Acquired with the assistance of the

Sophia Augusta Brown

Fund

JOHN CARTER BROWN LIBRARY

[illegible]

[illegible]

[illegible] Dinero

El P. Donner verb. jura-
mentum §. 4º. Cita es-
ta obra como q.e ya
se escribia en el año
de 1584

ANNVAE LITTERAE SOCIETATIS IESV

ANNI. M. D. LXXXIX.

AD. PATRES. ET. FRATRES eiuſdem Societatis.

CASA PROFESSA IHS

SANCHA

ROMAE,

In Collegio Societatis IESV. M. D. XCI.

Cum Facultate Superiorum.

RPJCB

ANNVAE LITTERAE SOCIETATIS IESV ANNI. M. D. LXXXIX

PATRIBVS. FRATRIBVSQVE Societatis IESV gratia & pax Chriſti Domini.

RES GESTAS ab vniuerſis Prouincijs Societatis vertēte anno, conferre in vnum volumen, vtile inuentum, iucundumque, nec niſi profectum ab ea mente, quæ mutuo complexu gentium diuerſarum efficit nexum indiſſolubilem animorum. nam & eas dum audimus, mutuis facibus accendimur, & quæ vtilitas fuerit in vniuerſo corpore ſingularum partium, non ignorare delectat. quo magis huc intendere debet curam ſcriptor annalium, vt ne auditores debito fraudentur. Equidem tali in munere non leuem experior difficultatem propter ſimilitudinem rerum ſcribendarum: neque ea mihi fiducia ſtyli, vt ſperem ſatietatem vitari varietate verborum. igitur decurri ad remedium breuitatis, quæ celaret inopiam: eo libentius, quod ſic quoque ſeruio iudicijs Patrum Aſſiſtentium, qui cum multa malint explicari pau

cis,quam pauca dilatari multis, ſimul circumſcriptam tradunt materiam, & præſcribunt rationem ſcribendi. Fateor ſane me obtemperantem illis, contigiſſe potius omnia, quam ſingulis ſatisfeciſſe: illud tamen affirmo, nihil fere de induſtria fuiſſe omiſſum. Et video nihilominus pertiſmeſcendam infantiæ culpam: ſed illam præſtabit, opinor, eorum auctoritas, qui meæ conſcij imbecillitatis periculum fecerunt obedientiæ. Ceterum executi ſumus Prouincias viginti: demptis, quæ adhuc non peruenerant, Mexicana, & India. Atque, vt aliquid vniuerſe dicam, extinxit hic annus ſocios centum viginti duos, dedit tercentum triginta quattuor.

PRO-

PROVINCIA ROMANA.

NVMERATI ſocij, illis exceptis qui ſunt in Domo Profeſſorum, quadringenti duodecim. In Collegio Romano alijſque locis quæ ad ipſum pertinent, centum octoginta: in Seminario viginti tres: in Germanico quattuordecim: in Collegio Pœnitentiariorum, vnus & viginti: in Anglicano ſeptem: tres in Maronitano: in Probationis Domo ad Sancti Andreæ viginti quinque: ſi tamen Nouitij excipiantur: in Collegio Lauretano triginta octo: in Recinetenſi quattuordecim: vno amplius in Maceratenſi: in Peruſino, Florentinoque viceni: viginti vnus in Senenſi: vndecim in Tiburtino. Mortui quattuordecim. Aggregati in Societatem vndequadraginta.

COLLEGIVM ROMANVM.

MAIORVM Sodalitas, hoc anno, præſertim extremo, auctior, & illuſtrior fuit: quando enim Gregorij primum Tertijdecimi, deinde Sixti Quinti, Pontificum decretis in eam reliquæ aggregantur, ambitur a Sodalitatibus, quas procurant noſtri in toto fere orbe Chri-

ſtianō: & iam ex ipſis adſciuit cetum vndequadraginta: vt cum ceteræ ſint Congregationes hominum, hanc recte dixeris Congregationem Congregationum. Ita, cum ſæpe vrbs Roma ex illarum gregibus contrahat iuuenes diuerſarum nationum, viſendi cupidos noua, vel vetera diſcendi, ab ijs Sodalitas Parthenia agnoſcitur, vti mater communis. Ex hac, & ex altera Sodalitate, quæ dicitur Minorum, vt alias perſcriptum eſt, Academia coaluit, eaque frequentibus exercitationibus (quinque emeriti Philoſophiæ in theatro publico placuere) perſeuerauit, hoc etiam anno, & honeſtis ſtudijs innoteſcere, & gloria ſciendi. Sed quoniam huiuſmodi Congregationum officium antiquiſſimum eſt pietas, in illam ſic intendunt ſodales, vt eos eſſe primariæ Congregationis non tantum videas, ſed etiam intelligas. Id adeo proxime declaratum eſt, voluntaria corporis diuerberatione, geſtatione cilicij, frequentatione templorum, ceteraque vſurpatione piorum munerum, a Patre Præfecto impetratis, in hoc diſcrimine Gallicani Regni, numini propitiando: pars etiam eius ſe aliqua oſtendit, in vnius tum ægrotatione, cui e ſodalibus bini ſemper partitis vicibus aſsidebant, tum etiam morte, quem ſuis humeris aliquot extulerunt ex eodem cœtu, cum ceteri proſequerentur: interrogante vrbe cauſam comitatus, nec poſtea reticente. addidere ſtimulos Dominicus Blon-

dus

dus Præfectus vrbis (Senatorem appellant) cum celebraret Sodalitium, & Marianus Perbenedictus Cardinalis, qui cum fuiſſet olim vnus e ſodalibus antiquioribus, & pro inſtitutore haberi poſſet, cooptatus hoc anno a Sixto Quinto in numerum Patrum purpuratorum, Præfectum Sodalitij fungentem gaudio perhumaniter excepit, partem aliquam partæ dignitatis a ſe deberi Congregationi profeſſus. E minore Sodalitio in Societatem noſtram duo admiſsi: ſpes alijs pro re oſtentata, vt in dilatione rei expetitæ, notior fiat petentium cupiditas, & gratior petitionis effectus. Ceterum in hoc Collegio morbo abſumptus eſt Pater Ioannes Baptiſta Aelianus, vir omnino pietate, deſpicientia ſui, & in proximos caritate inſignis: multarum repertor artium, quibus peccantes arcerentur illecebra, ſeu pauperes inopia ſublevarentur: ſic prorſus, vt cum in eoſdem dies incidiſſet mors Farneſij Cardinalis, vulgo diceretur, duo fulcra paupertatis concidiſſe. Bis a Pio Quarto, tertium a Gregorio Tertiodecimo in Aegyptum miſſus aliaſque ad regiones Orientis, mirum eſt, quantas vtilitates attulerit religioni labenti, quam multa tulerit dictu grauia, perpeſſu aſpera, non ſolum in itinere, facto naufragio, ſed in terris etiam ipſis, vbi petitus Iudæorum inſidijs Turcarumque, minimo minus interijt. Sed hæc commemorata ab alijs, in annalibus, ad quos plura hoc de patre diſcen-

di cupidos relego. cum demum ad vrbem reuertiſſet, eamdem illam rationem obtinentem, & maiora molientem quotidie, ſupremus dies occupauit.

MISSIONES NONNVLLAE.

VNVS E NOSTRIS ſacerdotibus, cuius opera iamdiu Alexander Farneſius Cardinalis, in oppidis aliquot obeundis rerum ſpiritualium cauſa, vti ſolebat, cũ ſuſpicaretur, id quod euenit, Cardinalem breui ereptum iri e rebus humanis, ſex laborum ſocios Quadrageſima ſecum adduxit: & cum quina oppida binis aſsignaſſet, ipſe ſibi præcipuum ſepoſuiſſet (erant autem omnia numero ſedecim) auctor fuit, vt luſtrarentur atque excolerentur populi admirabili cum fructu: conciones omnium frequentes, etiam inter tempeſtatum, & frigorum aduerſa: ergo ne quis dies ſexusve ceſſaret a pio opere, diebus negotioſis, vno ſeorſum edocente pueros, alter mulierculas puellaſque intentas acui, & colo, ad Solem erudiebat: ſic vt ſingula oppida viderentur ſcholæ Chriſtianæ doctrinæ: maior res æſtimatu quam dictu. taceo de auditis confeſsionibus totius vitæ, de compoſitis ſimultatibus, odijſque reſtinctis, de multorum, qui religione obſtricti tenebantur, exſoluta conſcientia. nonnulla etiam quæ pertinebant ad oppidi ornatum, & commoditatem

publicam,

publicam, eodem ſacerdote monitore, & interprete extitere. fatiſcebat vetuſtate ædes, & vitium fecerat, reſtituta, ac refecta: dirutus, diruptuſque erat pons, nec tranſiri poterat fluuius oppido ſubiectus, creſcentibus aquis, ſine metu periculoque, repoſitus in ſolo firmitatis ſpectatæ, & nouis operibus erectus: non exigua Farneſij Cardinalis impenſa.

Poſt Farneſij obitum Geſualdus Cardinalis & Epiſcopus Portuenſis eumdem ſacerdotem adhibuit ad ſuam diœceſim inuiſendam: quo expleto munere, idem Pater in quodam oppido haud procul vrbe, dum ſe frangeret calor, conſedit, tanto commodo oppidanorum, qui purgati ſunt fere omnes, & inſtructi, vt pæne plus fructus apparuerit in appendice miſſionis, quam in miſsione ipſa: et quod eſt in veteri prouerbio, mantiſſa opſonia vincerentur.

DOMVS PROBATIONIS, ET COLlegium Pœnitentiariorum.

ADLECTI in noſtrum ordinem nonnulli, quorum parentes ita indoluerunt impatienter, vt eſſent cogēdi: trium, ita lætati ſunt, vt obtulerint vltro: vnius maxime, qui & anno ſuperiore cum filiū dediſſet natu maximum, reliquos ſic inſtituere pergit, Deo adiuuante, vt eos creſcere dicat Societati: nec aliud niſi maturum tempus expectent.

A POENITENTIARIIS auditæ confeſsiones etiam totius vitæ, impertitæ diſpenſationes variorum votorum, abſolutioneſque noxarum reſeruatarum Apoſtolicæ Sedi, pro eorum facultate, pæne inummerabiles: cum Catholica religione aliqui reconciliati: a pellicum conſuetudine alij abſtracti: inter virum, & vxorem generis ſplendore & magnitudine opũ æque nobiles pax conſtabilita, magno bono vtriuſque familiæ alioquin ad arma ituræ. Vir quidã illuſtris, & ſacerdotio præditus ſuburbanam villam aureorum bis millium donauit, cuius vſus & fructus Pœnitentiariorum eſſet, eorũ animis relaxandis, mancipium vero, & nexus ad alterum Collegium pertineret. Ceterum accidit quiddã ad memoriam inſigne. Aedes cuiuſdam vicinæ noſtris, menſe Ianuario, cum flaret ventus maximus, prouecta nocte improuiſo caſu flagrare cœperunt: & iam ſe flamma in tabernam aromatarij, & ſalſamentariorum quorumdam, vbi materia plurima nutriendo igni, magno impetu conuerterat: quin, & in fœnile imminebat, noſtrorum domui contiguum: quod ſi corripuiſſet actum erat de re noſtra, quæ agebatur pariete proximo ardente: hoc in incendio, ea cogitatio ingentem curam accendebat patribus, ne ſacroſancta Euchariſtia, quæ aſſeruabatur in ſacello domeſtico, vlla ratione contingeretur. Ita cum aliunde nihil eſſet ſubſidij, exiere cum

aqua,

aqua,alijſque remedijs peſti opprimēdæ. Sed in his,duorum animus magis enituit, qui cum per manuarias ſcalas conſcendiſſent tectum, qua ſcalpris illud diruentes, qua ingerentes aquam, auerterũt ignem. Illud vero mirabile, & obſeruatum a multis, cum ſacram cæleſtis agni effigiem ieciſſet ſacerdos in flammas, il-lam metuentes repente retroactas, mox etiam ſopitas: et nos præſenti periculo liberati ſu-mus.

SEMINARIVM ROMANVM.

EX QVO ad conuictorum contubernium in Seminario, non niſi per Vicarium Pontificis(is eſt nunc Cardinalis Ruſticucius) patet aditus,in tantum excreuit ambientium numerus, adhibentiumque interpretes, viros principes, vt Cardinalis, diſtractiſsimus licet aliorum onerum mole, non parum ſe occupa-tum fore dicat, ſi huic vni negotio vacaret: magna eſt etiam opinio diſcipulorum fructus: ea vero, ne quemquam fallat, noſtri adlabo-rant: aucta porro eſt exemplo vnius e familia nobiliſsima, & præcipua Italiæ ciuitate, quem cum fretum illud adoleſcentiæ ſiue indulgen-tia moderatorum, ſiue leuitate animi,eo abri-puiſſet, vt periculum metueretur: vbi regen-dum ſuſcepere noſtri, imminuendo ſpiritu, & adhibenda arte gubernandi, in eum curſum

dire-

direxere, vt cum poſtea fuerit in ſua poteſtate, eumdem prorſus ſua ſponte tenuerit, ſine vllo gubernatore: quod cum miraculo fuit omnibus, qui illum antea norant, tum multis nobilibus incitamento: ita plures ex eadem ciuitate miſsi, qui liberalibus ſtudijs operentur. Neque ſocordia, ac deſidia bonum otium conteritur: quattuor in aula Romani gymnaſij, & conſpectu ſplendidiſsimo Cardinalium, ſpecimen dedere ingenij, & in ſapientiæ ſtudio progreſſus. Sodalitium alterum beatiſsimæ Virginis e conuictoribus iampridem intermiſſum, inſtauratum hoc anno, magna vtilitate adoleſcentium. Ceterum omnium magnum eſt ſtudium pietatis: quos ſcilicet ex vnius facto diſcetis. Clericus hic erat, & ex Congregatione Parthenia, natura non ſatis mitis, & facilis iraſci, quam tamen emolliret, & comprimeret diligenti cultura: is cum a magiſtro, data ne occaſione, an arrepta, iuſſus eſſet, vt per tres dies continuos complicitus in genua intereſſet ſcholis, dum explicarentur, idque ſtatim feciſſet, poſtridie ita uicit animum, vt eam pœnam ſponte ſubierit, condiſcipulis admirantibus, ipſoque præceptore collaudatum iuuenem, ſeſſum ſe recipere, iubente: idem, cũ ab alio quopiam accepiſſet colaphum in fronte, dolorem premens, & iracundiam, hoc ſatis habuit dicere: Tu vero maiore plaga tuum animum, quam meum corpus affeciſti: adi ſodes quamprimum

ſacer-

ſacerdotem, vt te peccati vinculo abſoluat. Hæc bonus adoleſcẽs didicerat in ſchola Chriſtianarum virtutum.

COLLEGIVM ANGLICANVM.

DE ANGLIS noſtris prius perſequar, dein de de alumnis. igitur miſsi e noſtris Catholicorum accerſitu, in Angliam ſacerdotes duo, qui cum difficili nauigatione vſi, vt exſcenderent in inſulam, expectare non poſſent tenebras, quod maxime optabant, ſed clara luce ſe commiſiſſent homini ignoto, quem offenderãt in littore, ac tenerentur incerto metu, eum repererunt non abhorrere a Catholica religione: in cuius gremium, vt reciperetur cum vxore, dux eorum, & comes itineris, poſtridie ad viros quoſdam nobiles Catholicos adduxit. at illi bene ſperare iuſsi ab hoc ingreſſu, diuiſerunt prouinciam, vt alter obiret terras verſus Auſtrum, alter verſus Septemtrionem: ita e noſtris totam per inſulam, ſuper ſuam, & aliorum expectationem ſex libere vagantur, duo attinentur in carcere: requirũt illi quod perierat, reducunt quod erat abiectum, confracta alligant, corroborãt infirma, pinguia & fortia cuſtodiunt: hi vero perſecutionem patientes propter iuſtitiam magnam patientiæ laudem habent. Romæ autem deceſsit Pater Thomas Martialis Anglus a confeſsionibus alumno-

rum,

rum, vir humilitatis virtute conſpicuus: is dum ſe ad profeſsionem parat, peractis omnibus experimentis, incidit in febrem, nec alius poſtea ei morbi, quam vitæ finis fuit. Permiſſu Patris Prouincialis, vt curaretur melius, translatus erat in Romanum Collegium: obijt die ſacro Mariæ Magdalenæ, quo die vota in Collegio de more renouantur: cum ipſe pridie eius diei iuſſu Reuerendi Patris Generalis ſollemni nuncupatione votorum in Profeſſorum numerum fuiſſet adſcriptus. Hæc pauca de noſtris. Alumni quadraginta numerantur, non laudanda ſolum præſentibus luce pietatis, ſed etiam poſteris æmulāda: exarſit nempe ignis ex præſcripto meditationum Patris Noſtri Ignatij. Sacerdotes nouem abſoluto Theologiæ curriculo dimiſsi, vnus in Galliam in Remenſi Collegio Theologiam profeſſurus, in Cantabriam alij, vt inde ſoluant in Angliam ſecuriore traiectu. e Remenſi Collegio in horum locum ſubmiſsi octo, tres ex Anglia ipſa, multis periculis in itinere perfuncti. Sodalitium Parthenium in quod fere omnes alumni cooptati, effloreſcit: hinc ille fructus: vnus ſe incluſit in Cartuſianorum cœnobium, alter impetrauit noſtram Societatem: nec deſunt, qui idem conſilium coquant in animo, vbi tempus appetierit erupturum.

GER-

GERMANICVM, ET MARONITAnum Collegia.

COLLEGIVM Germanicum auctum vectigali, propter reditus annuæ penſionis, auxit numerum collegarum: centum iam & quinquaginta numerantur. Huc Maximilianus ab Herſt, eximia claritudine generis, ab illuſtriſsimo Principe Cliuienſi miſſus, cum iter intendit, Tridenti moritur, atque honorifice ab Epiſcopo ſepelitur: mandaſſe dicitur famulo, vt tibiam Sancti Apollinaris, quæ ad Collegium, cœtus nomine Canonicorum Cliuienſium mittebatur, afferret: ea cũ allata eſſet, ingenti lætitia, & gratulatione condita eſt in ipſo Collegij templo, quod a beato Apollinari nomen accepit: additum etiam aliquid ad populi venerationem: etſi communis ſermo eſt, ea templa quorum ad Collegium Germanicum procuratio pertinet, ſollemni cærimonia celebrari. Ita cum ad Sancti Apollinaris non raro adeant Cardinales, Pontifex ipſe aliquando ad Sancti Stephani in Cælio monte, mox ad Sancti Sabæ cum veniſſet, gauiſus eſt, & alumnorum omnium pietate, & vtriuſque ædis inſtructu.

Interuenit tamen his rebus lætis, vt ſæpe fit, aliquid triſte, Patris Caroli Marani e Societate noſtra obitus repetinus: qui cum florenti

adhuc ætate,& robore corporis, nocte ea, quæ antecedit diem Dominicum proximum a Paſcha, cubitum iſſet, maneque excitatus ab vno e noſtris fratribus,& cum eo colloquēs de quodam negotio (erat enim miniſter Collegij) ſine vllis euidentibus cauſis,expiraſſet, qui ipſum norant, & propterea diligebant, magno eos dolore,ceteros omnes audientes factum,& reputantes imbecillitatem condicionis humanæ,terrore affecit.

VNVS ETIAM e Maronitarum numero octo linguarum cognitione, ſed multo magis in Deum pietate, ac religione excellens, poſt decurſa ſpatia Philoſophiæ, Neapoli, quo erat miſſus firmandæ valetudini, mortuus eſt: ita admirante eximias illius virtutes Parocho exactæ ætatis, qui aderat morienti, vt affirmarit a ſe neminem viſum, cuius mors magis fuerit inuidenda.

COLLEGIVM LAVRETANVM.

INSTITVTA pridem Dei matris Congregatio,hoc anno confirmata,& aucta:ſacroſancta a ſodalibus myſteria frequentantur: celebratur dies aſſumptæ Virginis,qui eſt proprius Congregationis, præter alios dies, pulcherrimo cultu:eo die habita in Deiparæ laudē Latina oratio pleniſsima grauitatis. Virorum Principum ex vniuerſo pæne orbe Chriſtiano ad-

mirabilis

mirabilis concurſus: audiuntur a noſtris, perſæpe ad multam noctem die deficiente. Vir quidam illuſtris e nobiliſsima Italiæ vrbe miſerandum in modum cum eſſet a Dæmone agitatus, aſcitis peritiſsimis medicis duobus, huc confugit ad matrem miſericordiæ: accitus æditus cum haberetur ludibrio, itur ad noſtros: a Patre Rectore res vni permittitur: ſeducit is hominẽ in ſacellum ſeorſum a turba: cum exorciſatur, diabolus inter multa maledicta, quibus inſectatur ſacerdotem, idiotam appellat qui parum ſciret, aut nihil: at noſter. Ego arbitror me nihil ſcire, niſi Ieſum Chriſtũ, & hunc Crucifixum: ei me in ipſius Societate conſecratum eſſe gaudeo, & obligatum paupertatis caſtitatis & obedientiæ votis. Non hæc verba viſa inferno monſtro, ſed tela, quibus affligeretur in mortem. ita exclamauit furens horrendum. fit in adiuratione mentio Patris Noſtri Ignatij, cuius ſancta memoria: at incredibile eſt, qua ira ſimul, ac dolore ſtimulatus dæmon exarſerit: quanta in Ignatium fuderit conuicia: vt manifeſto appareret in Societatem auctoremque eius Ignatium ipſius odium inexplebile. Et quamquam Lauretum vrbs eſt ambitu anguſta, abundat tamen & incolarum & conuenarum multitudine ſupra fidem: hinc carcer, & xenodochium, quæ frequenter adeuntur a noſtris. Ceterum inimicitias compoſitas, æs alienum reſtitutum, e turpi concu-

binatu ad ſacrum coniugium multos perdu-ctos, confeſsiones ante actæ ſuperioris vitæ omnis quamplurimas exceptas, collectam ele-emoſynã in vſum pauperum, aliaque id genus, exiſtimare poteſt vnusquiſque, etiam ſi a me taceantur. Sacri Aduentus, & ieiunij diebus, habitæ a noſtris conciones de more in templo, feſtis item diebus doctrina Chriſtiana pueris tradita, præſente interdum atque opus promouente Epiſcopo. Si quando maior eſt ruſticanorum copia confiteri cupientium, mittuntur adoleſcentuli e ſcholis ad eos erudiendos: acceſsit hoc anno, præter ordinarium & publicum, alter ſacerdos qui intra domeſticos parietes explicat noſtris qualis ſit peccatorum cognitio, & diſceptatio futura. Tres deceſſerunt e vita: inter hos ſacerdos vnus, qui cum octoginta fere annos expleſſet, triginta poſuerat in hoc Collegio, notabili cum fructu. Huc ſpectat, quod duo gubernatores huius vrbis trium menſium ſpatio diem ſuum obierunt: vterque erat de nobis optime meritus: ſed poſterioris ſtatim extiterunt beneficia, multis rebus confectis in Collegio ipſius iuſſu, quæ ad ornatum domus mirifice pertinent, & ad commoda noſtrorum: viuenti illi (namque deceſsit Maceratæ) huic etiam morienti, quæ exigebantur a nobis officia, nulla defuerunt.

MACE-

MACERATENSE COLLEGIVM.

OMNIA Maceratæ vetera,& vſitata,ſed nouo quodam & inuſitato modo : vocati noſtri ad moribundos interdiu noctuque : diſcipulorum numerus dimidio maior : ſcholarum ſpatia prolata. Parthenia Congregatio aucta.multi peccatis, alij peccatorum periculis erepti.nobilis meretrix materia olim multorum, & cauſa flagitiorum, abſterſis apud noſtros criminibus,eorum opera in tuto locata eſt,Deo conſecranda cum alijs in poſterum, quibus pœnitentibus portus eſt mutatio conſilij. Vnus e noſtris ſacerdotibus, viro cuidam qui graues inimicitias gerens cum altero, in eius cædem imminebat, nec admittebat vllas cohortationes, breui denuntiauit futurum, vt experiretur iram diuinam, veridico exitu conſecuto. in tranſitu fluminis pæne ſubmergebatur, niſi pertinacem animum ad meliora flexiſſet: ereptus e periculo votum exoluit. Duo qui agebantur ad ſupplicium,e quibus alter aiebat animum interire cũ corpore, alter conuictus licet & damnatus, ſcelera obſtinatius tegebat, feliciter adiuti : ille in carcere agnouit ſtultitiam, hic ipſum ad patibulum ſe ſe aperuit, cum fere indueret laqueum capite immiſſo. Vtrumque Deiparæ Sodalitium quotidie propagatur. Maiorum, quod dicitur,

euidentiora dedit indicia pietatis: ex eorum numero vnus non paruam aureorum ſummam collocandis pupillis, magnumque frumenti numerum pauperibus teſtamento legauit. puella deinde vna ſodalium ære & conſilio nuptui tradita: altera amittendæ pudicitiæ periculo extracta: nec minus ipſi ad alia pia negotia intenti: pulchrum ſane ſpectaculum erat viros cernere primarios noſocomia obeuntes, ægrotis miniſtrantes, vinctis operam ferentes (ſic penitus vt eorum ope ſint paucis hebdomadis viginti amplius ſoluti) collata pecunia in egentes aliquot familias victum diſtribuentes, diuini violandi numinis occaſioni occurrentes, multorum odia cum pace mutantes. Et inciderat talis annus, vt haberent Chriſtianæ virtutes ſpatia exemplorum.

PERVSINVM ET FLORENTINUM Collegia.

PERVSIAE datum drama in diſtributione præmiorum, eleganti non minus ornatu, quã poetico artificio: placuit ciuitati taliũ rerum iuxta auidæ, & intelligenti. oratio quam habuit magiſter primæ claſsis in inſtauratione ſtudiorum, audita eſt præter morem a Præfecto & Magiſtratibus vrbis, omniumque aſſenſu comprobata. Minor Sodalitas mirum in modum aucta. ex his duo Societati noſtræ, vnus Ca-

pucci-

puccinorum ordini nomina dedere: uiri quidam nobiles ita pie, & officioſe tractarunt ægrotos, quos commendatos a noſtris domi acceperant, vt eorum etiam lectulos religioſe oſcularentur. Vnus e noſtris Peruſia miſſus Tuder, Quadrageſima concionatum, quam acceptus fuerit, vel illud indicauit: quod cum poſtremis diebus incidiſſet in morbum, a cunctis Sodalitijs ſupplicatio pro ipſius valetudine indicta eſt: putabant enim publicis votis eius vitam retinendam, qui ſe pro ſalute populi in diſcrimen adduxiſſet.

FLORENTIA excurſum in pagũ proximum gratia Catechiſmi. ſacræ virgines confeſsione expiatæ rogante Cardinale Archiepiſcopo. Per eos dies Deo reddidit animam virgo, quæ ſeptuaginta annos in cœnobio vixerat. narrauit ſacerdoti (quod non erit abſurdum attexere) ſe, cum aſsidue male acciperetur a ſocia, tædio victam, & neſciam tolerandi (non poterat quippe ſuſtinere procacem, nec vitare contubernalem) eo deſperationis prouectam fuiſſe, vt conſtituerit ſe in puteum proijcere, quotidiani remedium conuicij voluntario exitu inuenturam: huc ire properanti affuit Chriſtus Dominus, eamque manu repellens, Redi, inquit, ad te mulier parui animi, & recogitans quot ego quantoſque cruciatus tua cauſa pertulerim, ſororis tuæ voculas inſuperhabere diſce. his dictis redditus animus miſellæ: quæ pudore ſuffu-

ſa ſimul, & gaudio, mutato conſilio in cubiculum reuertit. In templo noſtro conciones fuere Quadrageſima, & ſermones habiti in varijs Sodalitijs vrbis toto anno non inutiles. Concionatus præterea vnus in æde principe per dies ſacros dominico Aduentui magna approbatione omnium, parique concurſu. Sereniſsima Magni Ducis vxor cum ipſo die natali ad veſpertinas preces veniſſet in noſtrum templum, ſacerdotem rogauit, vt liber ab habenda concione in templo maximo haberet in noſtro; Magni etiam Ducis erga nos beneuolentia non vulgaris: ipſius nempe auctoritate venditæ nobis ædes, quæ laxando templo, Collegioque iamdiu deſiderabantur. ita Dei benignitate, & priorum dominorum voluntate, iam inſulam liberam habemus.

COLLEGIVM SENENSE.

ADVENTV Domini concionator in æde noſtra ita gratus fuit populo, vt multorũ rogatus a Patre Generali eumdem impetrarit ad Quadrageſimam, non ſine fructu ciuitatis. Concurſus ad eum magnus, & quoniam excludebantur multis anguſtijs templi, ſunt etiamnunc, qui corrogata pecunia cogitent de eo amplificando. Ceterum creuit numerus pœnitentium. Qui a natali Domini vſque ad Circumciſionem communicarunt numerati ter

mille

mille quingenti: acceſſere munera ad ſacram ſupellectilem complura, & opulenta: veſtitus ſacerdotis, conopeum tabernaculi, periſtromata ad feſtum ædis ornatum, alia denique minutiora, in quibus æque admirere vel copiam in materia, vel artem in copia: præmia diſtributa vt anno ſuperiore diſcipulis, cum plauſu, & pompa: ſcholæ autem florentiſsimæ. Vterque magiſter propriæ Sodalitati, & Academiæ præficitur: e maiore vnus in Societatem receptus. Ingreſſus noui Archiepiſcopi in vrbem multigenis noſtrorum verſibus diſcipulorum celebratus eſt: quo apparatu ita eſt delectatus ipſe cum ciuitate vniuerſa, vt paucis poſt diebus Academiam Collegiumque inuiſere voluerit: vbi renouata gratulatio, & affixis carminibus, & recitatis. atque in his ecloga pereleganti: vt humaniſsimus Præſul affirmarit nihil ſibi in vita accidere potuiſſe iucundius. Duo præterea ſunt Sodalitia in Collegio: vetus vnum, Sanctiſsimi Euchariſtiæ ſacramenti: alterum frequentius, quod ex opificibus conſtat. ex priore in noſtrum ordinem tres adoleſcentes admiſsi. alius ſe contulit ad familiam Capuccinorum: vnus deinde ex cœtu opificum ad noſtram. ij centum ac viginti numerantur perinde religione, & ſacramentorum vſurpatione inſignes: e quibus cum fratres germani duo capitali inter ſe odio diſſiderēt, ſic vt vnus in vrbe eſſet, ruſticari alter cogeretur, magno cum pa-

rentis mærore, factum eſt vt vrbanus aliquando reuiſens cœtum , pijs exercitationibus intereſſet: quibus ita mutari animum ſenſit, vt fratrem continuo reuocarit: magna in præſenti parentis lætitia, & in futurum ſpe æternæ reconciliationis. Quadrageſima reditum a duobus ad ea oppida, ad quæ ierant anno proximo. e concionibus, confeſsionibus, pacificationibus, canticis præceptiſque Chriſtianæ doctrinæ, ij fructus qui aſſolent. Sublatus vſus nocturnarum peruigilationum, quo mulieres nuptæ innuptæque puellæ pariter conueniebant, non ſine laſciuia: cuius propoſiti virgunculæ quædam ita ſe præbuerunt tenaces, vt cum inuitarentur a dominis, adeoque cogerentur, vitam ſibi citius ereptum iri magno animo reſponderint. Eodem cõſilio euentuque reditum Collem (id eſt oppidi, vt alias audiſtis, nomen) & intra quindecim dies, quinquaginta de criminibus, vel ab ipſa pueritia confeſsi: octo decemve pellices exegere: mulier e cæno impuritatis emerſa. Liberata altera ab obsidente dæmone, oſtẽſu claui dominici: cum ageretur deinde ſpiritu deſperationis, quod ſe dictitaret eſſe inuiſãDeo, liberata remedio confeſsionis.

COLLEGIVM TIBVRTINVM.

HOC PRIMVM anno fructus capere cepimus e Prioratu Sancti Sabæ quem Gregorius Tertiusdecimus Contarello Cardi-

nale

nale interprete Collegio conceſsit. Sodalitas Dei matris inſigniter aucta. Sodales (ij ſunt capita vrbis) non ſuæ tantum ſtudent ſaluti, ſed etiam vtilitati proximorum. Carcerem adeunt & valetudinarium vinctis ægrotiſque opem ferentes: pauperes adiuuãt corrogata eleemoſyna, vel contributa: auctores auertendorum facinorum, & componendorum diſsidentium. Ex hac porro Sodalitate admonitu noſtrorum ſelecta eſt altera, cui nomen a Sancto Getulio. eius proprium officium ac munus eſt defendere ab inopia honeſtas familias ad paupertatem redactas. Non exiguam Congregationi, & Societati beneuolentiam promeruit tragœdia Sanctæ Symphoroſæ, & filiorum, publice data ſplendidiſsimo apparatu: exciuerat eius fama propinqua caſtella, viroſque nobiles, qui in ijs, vt in Autumno, agebant: interfuit, & Palæotus Cardinalis cum illuſtri comitatu: & delectati omnes argumento actionis: vt nemo fuerit qui non plauſerit ingenio poetæ, etiam ſi lacrimas darent in re ficta. Templum noſtrum ornatius apparet in dies. hoc anno in apſida aræ maximæ addita eſt tabella, beatorum Symphoroſæ Getulijque eius viri, & communium liberorum pictura inſignis: ornata præterea ſacella gemina, vnum, Tiburtum Epiſcopi, alterum, liberalitate cuiuſdam nobilis matronæ. coniugum rixæ ſedatæ, pecunia famaque reſtituta, puellarum pudor qui periclitabatur aperte,

conſer-

conſeruatus, aliæ e periculo mortis extractæ: eiectæ concubinæ a multis ſuaſu noſtrorum: cacodæmonis fraudes patefactæ, fallaciæ depulſæ: a deſperatione & a nefandis quibuſdam ſceleribns abducti nonnulli. per illud anni tempus, quo pronum eſſe in licentiam & fluere in luxum, Bacchanal appellatur, magnus concurſus tum ad ſacram ſynaxim, tum etiam ad publicas preces, piaſque commentationes in noſtro templo: et ſecuti ſunt vberes fructus cum magna approbatione ciuitatis. Decreta etiam ſupplicatio horarum quadraginta per eos dies, quibus Anien, prout niues imbresve ſatiauerant, ſuperfuſus parti vrbis, ingenti damno illam affecit. moletrinæ, ferratrinæ, trapetia diſiecta, multa ſupellex diſturbata & exhauſta, plures domus euerſæ. hæc erant in oculis ciuitatis, & ſæuiora metuebãtur, cum publicæ preces indictæ, & propoſitæ reliquiæ ſanctæ Symphoroſæ in æde noſtra adorandæ, ſi forte placaretur numen diuinum. Interea noſtri admonebant populum, ſe ſubtraherent a culpa, ſi ſubtractam cuperent Deo neceſsitatem vltionis.

PROVINCIA NEAPOLITANA.

HABVIT SOCIOS tercentum triginta. Neapoli in Profeſſorum Domo ſeptuaginta tres: in Collegio centum: in Domo Probationis tres& quinquaginta: Nolæ triginta: Cirinolæ decem: ſeptemdecim Barij: Aletij vigintiduos: Catazorij duodeuiginti: Conſentiam miſit ſeptem. Admiſit ſocios omnino duodecim: amiſit quattuor.

DOMVS PROFESSA.

IDEM NOSTRORVM labor in excolendo Domini agro, par fructus: & apparuit ſacroſanctorum celebratione myſteriorum, tum diebus feſtis, tum ijs maxime, quibus bacchatur impunita licentia: ergo triduo ante Cineralia, inſtituta ſupplicatio quadragenarum horarum frequenti concurſu: & matutina quidem tempora paſcendis animis cæleſti cibo, pomeridiana verbo, conſumpta. Ceterum pridie Quadrageſimæ ad mille communicarunt. Quadrageſima ipſa, vi concionum habitarum ad populum decem mulierculæ a meretricio abductæ: alienæ rei reſtitutiones plurimæ fa-

ctæ, ſimultates viros inter nobiles ſublatæ, odiaque reſtincta, contractus iniqui reſciſsi, mille circiter de totius vitæ criminibus rite confeſsi: viri decem pellices exegere: quamquam & ex his aliqui eaſdem duxere vxores: puellæ nonnullæ, quarum pudicitia fluctuabat, locatæ in portu: mulieres aliquot cædis periculo liberatæ: adiuti firmatique morientes, illa præcipue hora, quæ de annis omnibus ſententiam fert. nec ſine aliquo miraculo. Quidam piam vitam egerat diu, quam paulatim intepeſcens etiam poſthabuit, hoc iam deterior, quod non vitijs modo prouehebatur, ſed & praua animi contentione: nec reuocabat ſe ipſe, niſi a Deo correctus fuiſſet: hac ratione: in morbum incidit, graueſcente valetudine, qui aſsidebant ægroto, admonent confeſſionis, at ille diſsimulabat, ſeu negligebat: adit ad eum ſacerdos vnus e noſtris quaſi per officiũ, perſuadet vt ex veteri conſuetudine confugiat ad auxilium Dei matris, & ſanctorum quos patronos olim habuiſſet. nec fruſtra: affuit illi ore placidiſsimo beata Virgo, confeſsionẽ præcipiens: idem fuit Ioannis Euangeliſtæ, & Franciſci a Paula admonitum, qui eidem ſe obtulerunt videndos. narratur viſum familiaribus, reuocatur ſacerdos, demum æger ſanctiſsime expiatus decedit e vita. etſi alijs quoque inuocaſſe Deiparam vtile fuit. Vir quidam nobilis cum vxoris ſterilitatem doleret impatientius,

tius, de noſtrorum conſilio precibus aggreditur cæli reginam, quas non irritas fuiſſe, in ipſius feſto ac ſollemni die ſuſceptus filius oſtendit. alter certus interficiendi inimici cum ſica templum noſtrum ingreditur, hic Virginem orans, ſenſit ſibi animum mitigari: neque ante diſceſsit, quam vno e noſtris interprete, cædis conſilium cum pace mutaret. quod alius ſimiliter fecit vir clarus natalibus, qui per noctem ſtipatus armatis imminebat occaſioni obtruncandi hominis, quem oderat. Sed & vnus in carcere dum laqueo ſibi ſpiritum eripere molitur tædio vitæ, opportuno interuentu vnius e noſtris deductus ab inſania, & ad meliora conuerſus. inuiſuntur autem & publicæ cuſtodiæ, atque etiam valetudinaria, quibus non ſolum proſumus, quod opem ferimus ipſi, ſed quod iam viri feminæque nobiles, ad præſtanda huiuſmodi officia, incitantur exemplo. Ceterum Salernitana ciuitas & opulenta & nobilis, e Proregis auctoritate, egit cum Patre Noſtro Generali de excitando Collegio: et viſa iuſta cauſa impetrandi. ita breui hæc Prouincia nouo Collegio augebitur.

COLLEGIVM NEAPOLITANVM.

LAETIOR HIC tandem annus Collegio illuxit: etenim tres ipſos annos laboratum erat morbo interituque multorum: tametſi

metſi nihilominus obierũt duo ſpectatæ virtutis: inter hos Pater Franciſcus Marinus ſtudiorum Præfectus, qui ad hoc ipſum paulo ante venerat e Sicilia: et vita quidem eius propter doctrinam ac pietatem perutilis fuit: ſed ſi longior ſuppeditaſſet, propter ſcriptionem quam ſenectuti ſepoſitam nunc vt maxime vrgebat, vtilior videbatur futura: tamen vt ſpes eſt, non defuit illi a Deo præmium tam egregiæ voluntatis. Vtraque Sodalitas, vt alias eſt ſcriptum, & virtute creſcit & numero: maiori dulce eſt ac ſollemne exercere in proximos officia caritatis: corrigunt errantes, placant diſsidentes, ſubleuant inopia laborantes. hæc inter, ſubminiſtrarunt ſæpe veſtitum nonnullis, qui ad varia cœnobia affectantes viam, aut opem deſperabant a parentibus, aut veniam. aliqui etiam bidui triduive itinere adiuti viatico. ijdem adeunt damnatos ad triremes, eoſque erudiunt Chriſtianis præceptis, & ſermone ſolantur. illud præter cetera memorandum: quod ſingulis hebdomadis duodeni deliguntur, vt in ſex præcipua huius vrbis noſocomia bini diſpertiantur, ægrotantium vtili miniſterio: nec paruum æs in ſimilia confertur. Illud mirum. In ea quæ indicauimus opera, verterat fundum capſæ quæſtoriæ ærarius quæſtor, ne teruncio quidem reliquo facto: interiecto deinde vix ſemihoræ ſpatio, cum in occaſionem huiuſmodi opus eſſet præſenti pecunia, & conſuetudine

magis,

magis, quam ſpe vlla, arcam ipſam excute-
ret, magna cum lætitia, quanta ab inſperato ſo
let, parem omnino reperit numerum aureo-
rum, quot antea deprompſiſſet argenteos. hoc
libentiores ſodales in diuino cultu, quo beni-
gniorem erga ſe experiuntur prouidentiam
Dei. Ergo ex ijs aliqui, perlongo ſuſcepto iti-
nere obierunt votiuas peregrinationes: alij in
patriam reuerſi, inſtituerunt ſimilia Sodalitia:
tres ac viginti ad diuerſos religioſorum ordi-
nes animum appulerunt, decem ad noſtrum,
quorum nonnulli candidati iuris ciuilis, maio-
rem partem Philoſophicis exculti. Atque hæc
de maiore Sodalitate. non pauciora narraren-
tur, ſi cuncta exequi vellem, de altera appella-
tione magis, & numero, quam fortaſſe virtuti-
bus, & re ipſa, minore: centum cenſentur. ex his
duo miſsi in monachorum cœnobia, tres in So-
cietatem recepti. accipite nunc vnius pieta-
tem, & ab vno facto diſcite omnes. certis veſti-
gijs indagauerat quidam turpe flagitium alte-
rius externi: dein tectis conſilijs, vt reduceret
errantem in viam, vni tantum rem aperit, viro
graui & prudenti, qui admonitor eſſet: hoc vbi
ille ſubodoratus eſt, accenſus iracundia, perdi
tos homines pretio impellit ad male accipien-
dum verberibus adoleſcentem, qui nec referi-
re, nec quemquam apud magiſtratum accuſare
voluit, cum poſſet: magnum videlicet magi-
ſtrum æmulatus, & pro bono malum accipere,

&

& pro malo bonum reddere, Chriſtianum putabat. Ceterum tum ferijs anniuerſarijs, tum opportunis etiam temporibus, miſsi fratres noſtri circum fora compitaque: eiectiſque circulatoribus, habitæ conciones ad aſtantem multitudinem, & permulti ad confitendum adducti. Laboratum etiam apud vinctos in cuſtodijs,& ad triremes, non ſine fructu: adiuti confeſsione,pijs libellis,cibarijs,veſte:quibuſdam aut pœna mitigata, aut tempus contractum: quin etiam rogatu noſtrorum, innocentes exempti,& quibus condemnationis tempus effluxerat,liberi dimiſsi.

DOMVS PROBATIONIS, ET Collegium Nolanum.

AD RELIQVA probationis genera acceſsit illa, proximis ſalutaris Catecheſis vicino in ſuburbio. Ex ijs qui ponunt tertium annum tyrocinij (ſunt autem numero ſeptem, plerique ſacerdotes) duorum,per Quadrageſimam in totidem oppida miſſiones fructuoſæ fuerunt. nec defuit huic quoque domui piorum hominum liberalitas, ſiue in ſacros vſus, ſiue in domeſticos.ſed & hæc & alia ſingillatim diſſerere non eſt propoſitæ breuitatis.

NOLAE QVOQVE, nihil eorum quæ ad animorum ſalutem geri ſolent prætermiſſum eſt. Præter ciuium morem, ſed non contra

vtili-

vtilitatem, introducta eſt conſuetudo publicæ precationis per horas quadraginta: & quod mirum magis, illis diebus, quibus proni homines in laſciuiam, & in luxuriam fluentes. Mos tradendæ Chriſtianæ doctrinæ in æde maxima, a noſtris ſemel inductus, ab externis clericis non intermittitur. Nolanorum erga nos beneuolentia non verbis ſolum apparuit, ſed etiam rebus: et ſi piarum aliquot feminarum ac nobilium multo illuſtrior: hæ ſi quid ſacrorum ornatui deeſſe intelligunt, non parcunt ſumptibus: iamque diebus celeberrimis conueſtitæ aræ, facienteſque ſacerdotes, ipſius etiam templi parietes ornatu pulcherrimo. alia deinceps argumenta liberalitatis, quia quotidiana ac minuta, cur memoriæ prodantur, non ſatis cauſæ putamus.

COLLEGIVM CIRINOLANVM & Barienſe.

CIRINOLANVM COLLEGIVM hoc etiam anno auctum officinis rei domeſticæ adminiſtrandæ, & gymnaſium numero diſcipulorum, qui etiam e longinquis oppidis ad noſtros mittuntur: ex ijs nonnulli & ex alijs pariter concipiunt vota Societatis. Durior annona hiemiſque intemperies corporibus noxia, ſeges fuit noſtris exercendæ caritatis in fame morboque laborantes, non exi-

guo fructu. quamquam ſuam quoque in hoc munere laudem habent ſodales Oratorij, qui ſtipem quæritantes quotidie, tantam corrogabant, vt in magna hominum fame, etſi in oppido non admodum magno aut opulento, non deeſſet quod egenis, quod ægrotis, quod publico etiam carceri, affatim diſtribueres: quod ipſum pietatis officium intermitti non placuit laxante annona. dominicis nempe diebus bini oppidum circumeunt cogentes pecuniam ſubſidio mendiculorum: eaque induſtria, nuditas ſimul & pudicitia feminarum defenſa. ijdem ſodales cum meſsis vberior proueniſſet, magnum frumenti hordeique numerum precario coegerunt: ex quo redacta pecunia ampliando Monti Pietatis ad multorum inopiam ſubleuãdam.

BARII MVLIER quædam leuitate ingenij, & grauitate malorum, eorum remedium a veneno, quod iam diluerat, poſcebat; niſi opportune a noſtris admonita timuiſſet mortem ſecundam, omnique ope deinde, vt melius viueret, adnixa eſſet. Mos erat in hac vrbe, vt ferè in hoc tractu, peruetuſtus (quod & ſuperiore anno ſcripſimus in Cirinolano) vt mulieres, quæ proxime mortuum attingerent, domi ſe abdentes in ſquallore & ſordibus, per annum integrum prohiberentur egreſſu: hic mos vt exoleſceret, curarunt noſtri multarum exemplo familiarum: quæ etiam in luctu, percipiendis ſacroſanctis myſterijs venerunt ad tem-

plum

lum. Sodalitates & merito augentur & nume-
ro. id facile intelligetur e ſequentibus. Duo in-
ter noſtros, tertius inter Capuccinos admiſsi:
& repeti eadem poſſent, quæ anno proximo, de
rebus communibus: ſed propria eluxerunt. Atti-
nebatur quidam diutius in carcere, eo tan-
tum nomine, quod Prætorem non poſſet abſol-
uere: id cum comperiſſet vnus e ſodalibus, cui
incumbit procuratio vinctorum, debitam pe-
cuniam Prætori offert; quam cum ille ſtoma-
chans reieciſſet, quin & minitaretur vincula,
niſi deſiſteret ab eiuſmodi patrocinio. Mihi ve-
ro, inquit, nihil glorioſius poſſet accidere, quam
ſi vinctos liberare cupiens carcere, pro uinctis
includar in carcerem: ad alterum ex eodem cœ
tu, adijt quidam, duplicis oneris poſtulans ſub-
ſidium, paupertatis, & ſenectæ: nec erubuit of-
ferre florem virginis filiæ, quam ſecum adduxe
rat: admirabile factum iuuenis: turpem ſenem
graui oratione obiurgat, filiæ parricidam: adiu.
uat pauperem pecunia: hac tamen lege, ne poſt
hac vmquam eius pudicitiam putaret venalem
habendam. Alius cum vidiſſet a quodam pro-
pter paupertatem duas filias minus honeſte
collocatas, ſuſcipi tertiam domi ſuæ a mulieri-
bus iuſsit in tuto habendam: ne ſi apud patrem
eſſet, in eodem freto mergeretur. et hæc ſane So
dalitas videtur benigne alijs faciendi magi-
ſtra: hoc ipſo anno cum metueretur caritas an-
nonæ, multum frumenti ſepoſitum a ſodalibus,

vt ingraueſcente illa ſubueniretur ciuium inopiæ:quod & opportune factum,magna omnium commendatione, cum qui panem præberent pauperibus, ij fere eſſent genere ac virtute illuſtres. etſi eorumdem quoque virtus enituit in malorum modeſta perpeſsione. Vnus ex ijs cum in medio foro multis audientibus laceſſeretur iurgio,prouolutus in genua,oſculatuſque pedes laceſſentis, obſtupefecit miraculo omnes, cum, & in procacitate obloquentis agnoſcerent ardorem iracundiæ, & in manſuetudine audientis ſuſpicerent pulchritudinem Chriſtianæ pietatis. Agebat alter cum fratre germano vt iniuriam alapæ acceptæ condonaret inimico,quod cum ille ſuaderi ſibi, & domus tota grauius ferret,tot hominem cõfecere verberibus,vt ad multos dies vibices in ore præferret: cũ interea eius vox exaudiretur, Tundite,tundite dum licet, ego Sodalitatis meæ memor, numquam pacem ſuadere deſinam.felicem: cui datum eſt vt reſiſteret vſque ad ſanguinem aduerſus peccatum repugnanti.

CATACENSE COLLEGIVM.

MORTALITATEM expleuit vnus e ſocijs, rarum obedientiæ modeſtiæque non noſtris ſolum, ſed etiam externis exemplum: ſuppleuit alterum Deus adoleſcentem, cuius & conſtantia in domeſticis refutandis,&

ad

ad ſuam ſententiam adducendis prudentia ſpe
ctata eſt: auctæ ſcholæ tum magiſtrorum diligẽ
tia, tum ſpectaculo dramatis, quod cum datum
eſſet in magno theatro, in multorum animis
auxit amorem virtutis, ac noſtræ Societatis.
et ſi magna quoque eius opinio in oppidis cir-
cum iacentibus, a quibus interdum vocamur.
Tridui itinere accitus ſacerdos vnus iuerat ad
ægrum graui corporis morbo, vt audiret con-
fitentem: mira vis confeſsionis: purgatus ani-
mus culpa, ſtatim corpus infirmitate liberauit.
acceſsit in cumulum lætitiæ, quod vxor eius
grauida ſimulatque cæleſti pane refecta eſt,
marem peperit, cum antea numquam virilem
ſobolem eſſet enixa. Sed & alio facto in altero
oppido inclaruit nomen Societatis. Aegrotus
quidam longo itinere miſit ad nos Cœnobiar-
cham Capuccinorum, vt ſacerdotem impetra-
ret gratia confeſsionis: qui miſſus fuit, vt ho-
minem audiuit, conſultus de teſtamento, tale
illi conſilium dedit, vt quandoquidem non ha-
beret liberos, fratrem faceret heredem, ſed
aliquam tamen ſecerneret pecuniam, qua ali-
quot collocari poſſent virgines pauperculæ
aut parentibus orbæ. hic æger, qui diſsipato ru
more, arbitrabatur datum iri conſilium de
Collegio adiuuando, repente exclamauit, admi
ratuſque noſtrum inſtitutum, ea dixit, quæ re-
ferre non eſt noſtræ modeſtiæ: certe ipſa ciui-
tas non ignorauit quid eſſet actum, eoque ma-

gis ſuſpexit, quod diſcedens ſacerdos nihil eorum quæ muneris loco afferebantur, admiſit. Valuit etiam ad aliquam exiſtimationem Societatis, Sancti Leonardi templum refectum ornatumque (eſt hoc quoque beneficium Gregorij Tertijdecimi) quod ante erat ita neglectum, ac vetuſtate obſitum, vt non tam videretur eſſe templum, quam fuiſſe. illud præterea, quod recepta eſt conſuetudo incedentibus per vrbem pueris decantandæ Chriſtianæ doctrinæ: quæ ſtatis etiam temporibus in diſputatione & dialogo tradita eſt. pauperes denique in carcere aditi adiutique; vnus præter ceteros, qui equo raptus per vrbem, ſuſpenſusque patibulo, firmante eius animum ſacerdote, & ſocio quaſsi capitis ſudorem & collectas in itinere ſordes linteolo abſtergēte. Vtraque Congregatio ſuos in ſpiritu proceſſus habet. ex his multi Capuccinis adſcripti. fructus e concionibus non pœnitendi: ille præ ceteris memorandus. Virgo erat iam iuueni deſponſa: hæc cum quotidie intereſſet concioni, quæ habebatur Quadrageſima, nullum plorandi finem faciebat: ſub finem ieiunij aperit peccata totius vitæ, mox acuta febre deceſsit: ſed tanta cum ſignificatione religionis, ſupremis ſermonibus ſuis, & teſtamento, cum quicquid poterat, legarit in pios vſus, vt eam ſpes ſit euolaſſe ad ſponſum animarum, cuius penitus infixus amor maxime faſtidio præſentium erat ac-

censſus

cenſus, Sequitur aliud quiddam minime reticendum. Matronæ nobilis famula erat, cuius pudicitiæ, quod excellenti erat pulchritudine, inſidiæ tendebantur a multis. id cum domina moleſte ferret, nouacula faciem eius ſecuit, oriſque decorem multis vulneribus confudit, ne forma videlicet eſſet alienæ libidinis incitamentum. at virgo ſuam virginum reginæ commendans innocentiam, ſeruaturam ſe pudorem perpetuum voto obſtrinxit, remque omnem detulit ad noſtros: nec multo poſt, ope Deiparæ, reſtituta facies in priſtinum, & ab omni prorſus deformitate liberata eſt.

ALETINVM COLLEGIVM, & Miſsio Conſentina.

ALETII HEBRAEVS quidam noſtrorum auxilio Catechiſmo imbutus, & ad baptiſmum adductus. Sed quæ de hoc Collegio dici poſſent, maximam partem ſibi vindicant quattuor illæ Sodalitates, de quibus alias ſcriptum. Hoc igitur agamus. E diſcipulorum Sodalitate, aliqui varijs religioſorum familijs, multi Societati noſtræ nomina dedere, et, quod mirum eſt, libentibus parentibus, interdum etiam ipſis adducentibus: et ſunt quidam, qui a ſe liberos educari prædicant Societati, non ſibi. ex hac porro Sodalitate ad noſodochia publica ſeni quotidie delecti, diſcunt ægrotis in-

ſeruire,& animum frangere: quod quidam inter abſtergendas lances diſcutiendæ nauſeæ ita præſtitit,vt eſculentas reliquias inter retrimenta culinæ vel ante triduum abiectas, auide deuorans in ventrem aſtulerit, glorioſa ſui victoria: æſtate vero, cum in maximis caloribus publicus carcer laboraret penuria aquæ, mane ac veſpere hauſtas aquas e noſtris ædibus per mediam vrbem ad vinctos ferebant. Ex horum numero adoleſcens annorum ſedecim inuocato præſidio Mariæ Virginis vicit inſanam libidinem mulierculæ,quæ ad eius lectulum obrepſerat nocte, vt eriperet pudicitiam. idē de viro accepimus ex Sodalitate nobilium, qui cum iter faciens diuertiſſet in copioſum hoſpitium publicum, a meretricula perſæpe ſolicitatus ad flagitium, ne illic eſſet cum animæ periculo, migrauit in alterum tenuius priore relicto. talia hominum pectora formantur in Virginis officina.

AT CONSENTIAE cogitatum de extruendo Collegio: rogatuque Cardinalis Archiepiſcopi,miſsi aliquot e noſtris, exceptique magno, primum intra lapidem,nobilitatis occurſu,ingenti deinde lætitia totius ciuitatis. et ſi hic quoque,vt ferme ſolet initijs,aliquid turbatum eſt.Sed pacata omnia tertiū intra menſem,cum concionibus habendis,audiendis confeſſionibus,reliquiſque Societatis noſtræ muneribus datum eſſet ſpecimen futuræ vtilitatis,

ita

ita nunc, liberalitate ciuium, ſeptem e noſtris ſuſtentantur: et in vrbe, vnde magnus ſperatur animarum fructus, optimæ offeruntur condiciones, neque omnino repudiandæ. Hoc certe tam breui ſpatio tria Sodalitia inſtituta ſunt quæ Dei matrem ſibi patronam adoptarunt: Nobilium, in quo centum: Opificum, in quo quinquaginta: Diſcipulorum denique, in quo triginta numerantur, hoc profecto admirabilius, quod nondum ſcholæ a noſtris apertæ. mirus omnium pro portione feruor, ſtudiumque aſtrictioris diſciplinæ. in communicando frequentes, in uiſendis valetudinarijs, publiciſque cuſtodijs, aſsidui, diligentes in ſpiritualibus exercitationibus. interea reſtituta aliquorũ bona quæ male retinebantur, illicitæ pactiones diſtractæ, fenebre malum oppreſſum, diſsidentium mentes ad concordiam reductæ: mulieri denique quæ iam præſumpto veneno obſtinauerat mori, perſuaſum, vt antidoto deficientem iam ſpiritum alimine mortis reuocaret. Iuuenis, cum bis pugione ab inimico percuſſus, ad noſtras ædes confugiſſet, curatus primum a noſtris obligatis vulneribus, mox, et cum percuſſore reconciliatus, remiſſus eſt domum. Alter ſclopo ictus a cædis conſilio quam ſtruebat inimico, noſtrorum oratione deterritus. Itum in oppida caſtellaque finitima, tanta cum gratulatione popularium, quam augebat vtilitas perſpecta, vt Catechiſmi gratia deſerent

rent

rent plerique inſtantia negotia,& perinde profeſtis diebus, quam feſtis concioni intereſſent. at confitentium audiendorum munus a prima luce inceptum,ad veſperam vſque producebatur,vix modico circa meridiem interiecto ſpatio, corpori curando. intelligebant videlicet oppidani, idque crebris vſurpabant ſermonibus, vbi agitur de ſumma animæ, eſſe rem omnem familiarem ipſamque adeo ſalutem corporis vltro negligendam.

PROVINCIA SICILIENSIS.

SICILIAM EXCOLVERE in Profeſſorum Domo Panormitana quadraginta ſeptem: in Collegio Meſſanenſi nonaginta: in Parnomitano triginta: in Montis Regalis viginti: in Biuonenſi viginti tres: quindecim in Drepanitano: vno amplius in Rhegino: in Catanenſi viginti vnus: in Calataieronenſi viginti: duodeuiginti in Syracuſano: in Minæenſi vndecim: in Domo Probationis Meſſanæ triginta tres: in Sede Calatanaſſettenſi ſex: cuncti omnino trecenti quinquaginta. Obiere ſex: venere in Societatem ſedecim.

PANORMITANA PROFESſorum Domus.

SVMMA AD CONCIONEM venientium frequentia, et concionator ipſe ciuitati acceptus: ad quem audiendum cum Prorex ſemel atque iterum acceſsiſſet, ſæpiuſque audire vellet, ſed impediretur fluctibus negotiorum, obtinuit, vt in ipſa regia haberet aliquot conciones: quanto cum fructu, declarant litteræ, quas ad Patrem Generalem

miſit eiuſdem retinendi. et vero quanta fuerit erga nos Proregis beneuolentia, vel hoc vnum oſtendet exemplum. retulerat aliquãdo ad Senatum de argento in eleemoſynam diſtribuendo: alijs aliud ſuadentibus, incidit fortaſſe mentio noſtræ paupertatis: & fauebant aliqui: non nemo tamen e conſilio, non eſſe verendum ne fame moriatur ſoror, cui frater eſſet germanus ita opulentus: Domum & Collegium intelligebat. hic Prorex humaniſsimus cum honorifice appellaſſet Domum, neque ſibi inopiam ipſius ignotam eſſe, multaque de Societate addidiſſet verbis ampliſsimis, bonam partem eius pecuniæ nobis attribuendam cenſuit. Sed redeo ad concionatorem. illius oratio plena ardoris ac ſpiritus, ſine vlla oſtentatione artis, eoque validior ad penetrandum: non deerat facilitati grauitas, neque in grauitate facilitatem deſiderares: immerſerant ſe homines in profundum gurgitem peccatorum, ſpe nimia diuinæ miſericordiæ, intonabat fulmina iuſtitiæ: criminum conſcientia, & Dei cogitatione ſeueritatis, in deſperationis tenebras erant adacti, oſtendebat clariſsimam clementiæ lucem, vt ad veniam reuerterentur: frangere contumaces, abiectos erigere, caſtigare dubitantes: tanta vi dicendi, tantaque copia, vt quæ bona e Profeſſorum Domo ad animarum ſalutem profecta ſunt, magnam partem ab illo manarint: fluebant interea audientibus lacrimæ, & ino-

pum

pum ſubſidio, qui commendabantur, aurei annuli e digitis, e veſtitu palla ſuperior detracta. fructus eo non ſcribitur, quod ijs in rebus ſpectatus eſt, quæ intelligi magis quam audiri debeant. a duobus certe et viginti ſacerdotibus ſatisfieri confluentibus non poterat. nam illa, de ære reſtituto, fenore poſthabito, muliebri fuco interdicto, imminuto numero meretricum, aucto virginum Deo addictarum, adiutis morientibus, rudibus edoctis, placatis diſcordantibus, ab adulterio concubinatuque extractis, & quæ ſunt huius generis communia, ſileantur. etſi in his quoque operibus, vnius e noſtris ſacerdotis periculum officio diſcuſſum eſt. Vir impurus pudicam virginem ſolicitabat: res delata ad ſacerdotem, quem dicimus: is prudenti oratione & efficaci hominem a flagitio deterret: ſed non perinde res accepta, vt debuit: vt ægrotus in medicum, ſic intemperãs exarſit in admonentem: et preſsit iracundiam expromendi tempus expectans: nempe accitum ſacerdotem nocte intempeſta, ſpecie confiteri cupientis, interficere cogitabat: difficile eſt plerũque ſic tegere arcana, vt non emanent aliquibus indicijs: conſilium noſtro innotuit: igitur captata an oblata occaſione, cum in hominem incidiſſet, diſsimulans ſcire quod inaudierat: ita ſe hilaritate oris & comitate verborum inſinuauit in ſuſpicacem animum, vt omnem eiecerit offenſam. id re ipſa declaratum,

cum

cum vocatus ab eodem grauiſsime ægrotante, excepit confeſsionem totius vitæ. Catecheſi inſtructi quattuor, qui deinde ſacro baptiſmate abluti ſunt. itum in carcerem, noſocomiũ, regiaſque triremes: hiſque in locis omnibus pro munere noſtræ Societatis latum auxilium multis, conſilium, ſolatium. Nobilium Sodalitas aucta. ſed & opificum inſtituta duplex, proſperis initijs, ſucceſſu ſecundo. ex his vnus petitus ſclopo, cum a medicis iaceret deploratus, non ſolum veniam inimico dedit, vno e noſtris rogante, ſed numquam ſuorum precibus adigi potuit, vt ederet illius nomen, quem ſolus ſciebat: adeo cupiebat ſinceram eſſe pacem, & omnia ſimultatum ſemina reſtincta.

MESSANENSE COLLEGIVM.

TRES VIRORVM cœtus erant ſanctiſsimæ Dei parenti conſecrati; nobilium, Scholaſticorum, opificum: etſi hic poſtremus nec certis deuinctus eſt legibus, neque inſignitus vocabulo Congregationis: at vero Scholaſticorum cœtus creſcente multitudine congeminauit: & iam duplex Scholaſticorum Congregatio, maior, minorque: & e minore quidem quattuor in Societatem, e maiore, duo in alias religioſorum familias adſcripti. et quoniam peradoleſcentuli multi per ætatem arcebantur Congregationis ingreſſu, inſtitutum ve

luti

luti Seminariolum, vbi ad pietatem informatur tenerior ætas, poſtquam adoleuerit in Congregationem transferenda. magna eſt ſingulorum cœtuum religio. opificum præcipua in proximorum vtilitatem confertur induſtria. collecta ſtipe adiuuant vinctos, & pauperes verecũdos, ea dexteritate, ac fide, vt parẽtes pauperum nominentur. Vnus ex eorum numero inter noſtros acceptus. Puerorum quãta ſit ad pietatem indoles, hinc facile aduertas. Vnus ex ijs cum iuberetur a patre aureum torquem collo circumdatum ferre, inſigne honoris, modeſte recuſabat, ne ſingulari videlicet ornatu a ceteris differet: inſtanti parenti paruit, ſed medio quodam temperamento, vt geſtaret torquem quidem ipſe, ſed opertum ſagulo ſuperiore: & veſtitus nihil eſſet inter æquales excellens. Hæc pauca de Sodalitijs. Ciuitas erga nos optime affecta: & conſulunt nos interdum priuatim publiceque in rebus quæ ad Chriſtianum officium pertinent. Noſtro igitur conſilio auxilioque vſi in ſollemni beatorum Placidi & ſociorum martyrum pompa: eius ſeries publice litteris mandata eſt: nos, quod facere iubemur, in hoc uolumine pauca quædam attingemus, in quibus noſtrorum labor apparuit. etenim ſiue in foro, vbi collocata ſunt Sanctorum corpora, quattuor expoſita in arcis omnibus viſenda: ſiue in pyramide centenum pedũ altitudine ad lætificos ignes excitata: ſiue in

arcubus per certa interualla decem diſpoſitis: ſiue in portis ipſius vrbis, qua ad littus egredi ſupplicantium agmina, qua rurſum e littore regredi in vrbem debebãt: ſiue in quattuordecim pegmatis, vbi rerum argumenta a Placido ſocijſque in Sicilia geſtarum: ſiue denique in templo Sancti Ioannis, vbi repertus inæſtimabilis theſaurus: his cunctis in locis, in illis monumentis operoſis atque arduis, quæ omnia fere elaboratis verſibus, ingenioſis epigrammatis, pulcherrimiſque emblematis conueſtiebantur, quicquid egregium viſum eſt legentibus, e noſtra prodijt officina. Iam vero cum vrbs tota qua agendus erat triumphus, fulgeret aureis ſericiſque periſtromatis, ornaretur tabulis ſigniſque ingentis artificij, totumque iter conſtratum eſſet floribus, coroniſque, altaribus multis locis, ab vtroque latere diſpoſitis, quæ accenſis radiabant luminibus, & odoribus redolebant incenſis: nos etiam Collegij templique parietes quanto maximo potuimus cultu adornauimus: etſi affixa carmina maxime conſpiciebantur. et in tranſitu etiam ipſi Sancti ſalutati ſunt perelegãtibus verſibus. magnũ ſane totum illud fuit ſpectaculum, quantum qui oculis non ſubiecerint, animis concipere vix poſſunt. Templum autem noſtrum deiecto muro veteri, capacius, et quia iam columnatum, auguſtius etiam factum. & quattuor aduentoribus in noſtrum ordinem aggregatis extitit ali-

quis

quis fructus. Hic etiam explicatur Chriſtiana doctrina, & per ſpeciem interrogandorum pue rorum grandiores plerumque edocentur. adiu uantur etiam ex Illyricis, Mauris, Turciſque ca ptiuis: e quibus a noſtris inſtructi, ſollemni mo re aliquot baptizati: inter hos vnus quinquage narius, qui reſpuerat ſemper religionem Chri ſtianam, Deipara in ſomnis (ita enim ipſe retu lit) vt iam poneret contumaciam admonente. redditi ab vno, qui non retinebantur ſalua con ſcientia, aurei circiter mille. meretrix ad hone ſtiorem vitam traducta. collectitia pecunia ſu bleuati qui in carcere tenebantur. per Aduen tum & Quadrageſimam, adita adiutaque vici na oppida a concionatoribus, magno fructu. in his omnibus, atque etiam in vrbe reconciliatæ amicitiæ multorum. illa cum primis admirabi li modo. Vir ſine cauſa ſuſpectabat coniugis adulterium, igitur, in quam nimium credulum exacuerat animum, in eam acuto armatam gla dio intendit manum: tenerum corpuſculum af ficit vulneribus omnino viginti, finem vulne randi facit tantum ſatietas, & opinio mortis allatæ: pudica interea mulier fruebatur bono conſcientiæ, & recepto ferro per tot plagas, mortiferam plagam non accipit. defendebat videlicet corpus ab interitu animus integer a culpa. vix credit maritus, quod videt, tũ dam nans credulitatem ſuam, iram in deteſtatio nem ſceleris, & orationem in petitionem ve-

niæ conuertit: pax igitur inter eos noſtrorum ope firmata.

COLLEGIVM PANORMITANVM.

IN NOVA COLLEGII ſede, vbi cælum amœnius, omnique afflatu noxio carens, noſtri optima vtuntur valetudine, cum antea omnis fere annus videret aliquod funus: eoque magis aſtringitur domeſtica diſciplina, & expolitur externa iuuentus: cuius multitudine & aſpectu, Prorex, cum veniſſet aliquãdo ad rem diuinam in templum, mirificam percepit animo voluptatem. inter diſcipulos porro tanta æmulatio, illa altrix ingeniorum, vt tributa qualibet ſchola veluti republica in duas factiones, nihil vtilius videatur potuiſſe excogitari. vix credas quanta inter adoleſcentes ex hac imagine, certamina ſtudiorum, qua efferantur lætitia, vbi vicerunt, quam pudeat victos: vt ſe vtrique rurſus, nunc inuidia, nũc admiratione incitationem accendente, hi ad oblitterandam infamiam, illi ad amplificandum decus exuſcitent. inter omnes conſpicitur vir quidam magnæ olim auctoritatis inter Turcas, & in Philoſophicis ex Arabica diſciplina apprime doctus, qui nuper regeneratus baptiſmo, quaſi modo genitus infans, non Chriſtianæ modo pietatis, ſed & doctrinæ lac cõcupiſcens, aggreſſus a primis elemẽtis, quæ non erubuit addiſcere puero

rum

rum more, ita quotidie progreditur in noſtris ſcholis, vt ſemeſtri ſpatio videatur e Grammaticis exceſſurus: et affectat iam noſtram Societatem. illum Prorex domi habet honorifice, quotidieque repoſcit diligenter rationem ſtudiorum, vt fere ſubdoceat, admirans aſsiduitatem profectus, E gymnaſio enata Congregatio Pathenia, & pulcherrimis floribus, & vero etiam fructibus vbertatem oſtendit. Vnius adoleſcentis pudicitia hoc modo intellecta. Impura mulier ſemel eum atque iterum domi fruſtra tentauerat, tandem inuentum ſolum ruri, & procul ab omnibus arbitris, iam cluſo cubiculo, impudentius laceſſebat: hic noſter, cum tacitus in vota inuocaſſet matrem Virginem ac pudicitiæ patronam, tantũ valuit apud excetram, condicione cauſæ, & efficacitate ſermonis, vt cum illa pelliceret ād breue flagitium, hic hortaretur contra ad timorem ſupplicij æterni, adduxerit mulierem iam meliora cogitantem ad conſilium faciendæ confesſionis: ita quem parata venerat vt vinceret ipſius malo, ab eo victa magno ſuo bono diſceſsit.

COLLEGIVM CATANENSE & Rheginum.

CVM PRIMVM SACRORVM Antiſtes, vir noſtri ordinis amantiſsi-

mus, Collegium inuiſit, vario carminum genere, & oratione aduentitia exceptus eſt, atque vt re ipſa fecit ſuum aduentum honeſtum nobis, ita etiam ſermone oſtendit fuiſſe iucundum ſibi. auctor idem fuit, vt in templo maximo ſuſciperetur ab vno e noſtris doctrina perutilis, quod ſit officium hominis Chriſtiani: nec minus reliquæ profuimus ciuitati: reconciliati aliquot coniuges, & inimici multi: liberatus non nemo a periculo cædis. et mulier ab inſidijs diaboli: narrationem paucis perſtringam. Laborabat mulier angina; deficiente humano remedio ad diuinum accurrit. templum eſt in hac vrbe, vbi ara & imago beatæ Annæ, cuius ſuffragatione audierat quoſdam morbo liberatos: cum huc anxia confugiſſet; effuſis precibus ante altare, domum reuertit. opprimit interea triſtem ſtupor an ſomnus, viſaque audire vocem inediam ſuadentis: quam cum Annæ crediſſet, per totum biduum nihil ſumpſit, & color indicabat partem mortis in corpus receptam: et ingerebatur a ſuis cibus, ſed ipſa (vt ſunt plerumque mulieres miſere ſuperſtitioſæ) Sanctorum videlicet faciens imperata, pertinaciter recuſabat. tertio die vox iterum ad aures lapſa, Digitos in guttur inſerito: nec mora, inſeruit, mox dolore icta, cum recipere conaretur, non poterat miſera, vi maiore aliunde manum impellente: aduertit ſtrepitus, & confuſum murmur domeſticos,

accur-

accurrunt, ægre digitos ex ore, nec niſi inuocato Ieſu nomine, extrahunt. illa repente ad noſtros: rem narrat: perſuaſum lacrimanti, vt a diabolicis artibus ſibi caueat in poſterum: dein præbitum niueum vellus contactis beatæ Agathæ reliquijs, aduerſum verſutias inferni hoſtis abunde efficax: demum cum haberet melius, peracta peccatorum confeſsione diſceſſit. e ſodalibus Parthenijs duo in noſtrum numerum recepti.

LEONTIVM e noſtris profecti duo, diebus Pœnitentiæ dictis, vt haberent concionem ad populum: nec fruſtra ſuſceptum iter, aut in concionibus poſitus labor: reuocatæ ad pacem mentes manuſque multorum: iracundiæ flamma, quæ alioqui videbatur æterna, reſtincta: æs alienum dominis redditum: vnus in concione palam, multis audientibus teſtatus eſt hæſiſſe in animo ſuo ſpicula concionantis: igitur quam per annos decem habebat pellicem, vxorem duxit. Eadem fere eodem tempore facta in pago, cui nomen a Sancto Marco: illud præter cetera: mulieres duæ ad honeſtam vitam reductæ.

IN COLLEGIO RHEGINO ad duas Grammaticæ claſſes, addita tertia de moribus & officijs Chriſtianis. Qui gymnaſium frequentant non minus pietati ſtudent, quam doctrinæ. Lis inter quoſdam ſuper diuiſione patrimonij excitata, de noſtrorum conſilio compo-

ſita. Quidam extremo damnatus ſupplicio, cum, vt ſæpe maligna eſt calamitas, deſperans ſalutem corporis, nihil de animæ eſſet ſolicitus, ad ſpem cogitationemque meliorem eſt inductus. Duo læſi ab inimicis peregiſſent vltionem, niſi prohibiti eſſent ſacerdotis occurſu.

COLLEGIVM SYRACVSANVM.

HIC ETIAM LIS inter duos primarios, quorum vnus habebat alterum in vinculis, & de ſcintillis irarum metuebatur incendium, Deo adiuuante, dirempta. alij duo, quæ odia decreuerant cæde mutua, reconciliatione finierunt. Vnus a reſte ad ſpem vitæ melioris adductus. Septem mulierculæ de cæno turpitudinis extractæ. De ſodalibus maioris Congregationis, illud in vniuerſum dici poteſt, omnia fere munera pietatis in hac vrbe, vel per illos ſuſcipi, vel non perfici ſine illis: ex ijs iuris peritus, ſtudio iuuandi pauperes, controuerſarum cauſarum, medicus ægrotorum corporum, ſuſcepere procurationem: nec minus publicarum cuſtodiarum egeſtati ſubuentum: xenodochia adiuta: nec virgines quæ ſe Deo conſecrarunt in cœnobio neglectæ: has vnus cum pro concione edocet diuitias votiuæ paupertatis, hortaturque vt nihil ſibi reſeruantes de rebus proprijs, in commune omnia

nia conferant, tantum ardoris iniecit animis audientium, vt in medium omnia comportarent ſingulæ ad Antiſtitam, ne acu ſibi quidem in cubiculo relicta.

COLLEGIVM MONTIS REGALIS, Drepanitanum, & Biuonenſe.

IN COLLEGIO MONTIS REGALIS communia, nec more communi: magnus ſacramenta vſurpantium numerus, non paruus eorum qui aperuerunt in confeſsione peccata totius vitæ, vt nouam ordiantur: ad bonam frugem rediere permulti: quæ habebatur iniuſto titulo pecunia redhibita: reuocatæ mulieres ad amorem pudicitiæ: capitale ſupplicium æquo animo pertulere nonnulli, vnus etiam ita libenti, vt diceret cum lætiſsimo couiuio non eſſe mutandum: adiuti moribundi, vnus præcipue quem atrocitas conſcientiæ ad deſperationem adigebat. vir quidam ſatis honeſto loco, vulneris accepti iniuriam condonauit inimico, moxque ipſe peccatorum veniam per confeſsionem cum a Deo expetijſſet, frequenter obeundi ſacra myſteria vxori fecit exemplum. quattuor Virgo Mater e Congregatione peperit diuino cultui, & parturit adhuc alios donec formetur in illis Chriſtus.

AT IN DREPANITANO vir a concubina

cubina auulſus de religioſa vita ineunda cogitat. ſedata odia implacabilia. vir nobilis cui nuper inflictum erat vulnus ab altero, calentibus adhuc odiis cum vulnere, rogatu noſtri ſacerdotis, & odium deponere ſe dixit, & accepti vulneris remiſit offenſam.

IN BIVONENSI additus ſtimulus vtrique Sodalitati, quæ iam eſt cum Romana coniuncta: ex his duo ad Societatem admiſsi, alij dum admittantur expectant. at opificum cœtus in vtilitates pauperũ omnino admirabilis. concionum in æde maxima habitarum permagnus fructus. reſtitutum æs, multi totius vitæ peccata confeſsi, redintegratæ non nullorum amicitiæ, præſertim duorum, quos ficti ſermones temere diſtraxerant. In vicinis etiam oppidis noſtrorum deſudauit induſtria: et pax viros inter duos clariſsimos multarum ſequeſtra calamitatum conſtituta.

COLLEGIVM CALATAIERONenſe: Domus Probationis Meſſanenſis, & Collegium Minæenſe.

CALATAIERONAE præter reſtitutiones æris alieni aliquot factas, honeſtarum mulierum ſubleuatam inopiam (quam in rem liberalitas ciuitatis non parum incubuit) complures non ex vrbe ſolum, ſed e remotis etiam regionibus, longinquo ſuſcepto itinere

nere

nere,de vniuerſæ vitæ criminibus auditi. Gymnaſij diſciplinam ſi inſpicias, non multum deſideres formam perfectæ Academiæ. Senatus populique magna erga nos beneuolentia: in bibliothecæ inſtrumenta attributi de ærario publice aurei trecenti: ducentos ad ornatum templi ciues ipſi contulerunt. audite nunc quod magis admiremini. Homicida mulieres quaſdam fratre priuauerat, cum effertur funus magna pompa, multaque frequentia ducentium exequias, ibi tum ſoror natu maxima (celebrat hæc noſtrum templum) clara voce vt exaudiri poſſet ab omnibus. Teſtor, inquit, Deum, omneſque animas in cæli templa receptas, ignoſcere me ex animo interfectori ipſi, atque alijs omnibus,qui huiuſce cædis ſocij,participes,conſcij, ſuaſores, probatoreſve fuere. hancque ipſam vocem, die proximo dominico, cum reliquis ſororibus,percepto in æde noſtra reconciliationis ſacramẽto firmauit. huic non valde abſimile quod nobilium feminarum de noſtris benemerentium familia, orbata patre, contra morem lugentium, poſtridie ad rem diuinam, triduo poſt ad Euchariſtiam, totaque Quadrageſima quotidie ad ſacram concionem acceſsit: vt ſpes ſit, iniectam fuiſſe ſecurim inueteratæ conſuetudini, vt ne mulieres, niſi interiecto ſpatio multorum menſium, vbi ſcilicet crudum dolorem tempore decoxerint, poſt ſuorum funera, in publico conſpiciantur. Puer

quidam

quidam per ſingulas noctes auferebatur e latere patris, raptuſque per gradus ad limen ianuæ parentem eiulatu excitabat: & multa quidem fiebant, dicebanturque maleficio auertendo: ſed tamen ad ſolitam prædam nocturnus latro aduentabat: ad noſtros poſtremo itum eſt, qui cum ſacratã in cera effigiem agni cæleſtis, orbiculoſque piaculares ad pueri collum adalligaſſent, & vexatione illum, & patrem ſolicitudine liberarunt.

MESSANAE IN DOMO PROBATIONIS, vitæ curſum expleuit Pater Antonius Maria Parentucellius Rector, magna vir doctrina, religione, prudentia: qui & Romæ Philoſophiam docuit, & in Sicilia ad regendum hanc domum admotus, etſi vtrobique afflicta valetudine, re ipſa docuit, quod e ſacris litteris accepimus, infirmitate perfici Dei virtutem, & in corporis imbecillitate fieri animum valentiorem. mortuus eſt quidem ipſe, ſed eius vitam noſtrorum erga illum amor, mortem celebrem, dolor fecit etiam externorum. Aliquorum, quibus aucta Societas hoc anno, ſpectata virtus & conſtantia: inter hos vnius, qui liberorum vetuſtiſſimus erat viro nobili & opulento: alterius, qui vt domum deſereret ac ſuos, ſexaginta millia paſſuum pedibus confecit, magno periculo. Ceterum tyrones diebus feſtis exponunt pueris Chriſtianæ fidei rudimenta, vinctoſque reficiunt conquiſita eleemoſyna. noſtra viciſsim

inopia

inopia priuatim & publice leuata. Miſsi ſacerdotes tres ex ijs qui explent tertium probationis annum in varia oppida, non exiguos laborum fructus retulerunt.

MINAEENSE COLLEGIVM eſt ſane fundatum, inchoatumque hoc anno: ſed, ſiue reditus ſpectes, a fundatore Thoma Guerrierio, eiuſque opera a viro nobili, qui nuper eſt mortuus, & a ciuitate ipſa, non erit tenue: ſiue poſteros fructus ab hiſce initijs, ita vtile ac frugiferum, vt noſtrorum opera ſit egregie collocanda. apertæ ſcholæ menſe Nouembri, præuia oratione magiſtri ſuperioris claſsis, magna frequentia ciuium & gratulatione: quam auxerunt noui diſcipuli recitantes carmina pulcherrimo apparatu. Extortus precibus, & auditus concionator per Quadrageſimam, ac per totum annum feſtis diebus, mirifica attentione, & conſecuta vtilitas magna: impudicitia repreſſa: iniuriæ remiſſæ: fenebre lucrum coercitum: abſoluti noxarum, quas vel a pueritia contraxerant, amplius centum quinquaginta: in vicinis etiam pagis non minus ſtrenue quam vtiliter laboratum. magnam omnino promittit vtilitatem Minæenſe ſolum, ſi tam lætis rerum initijs euenta reſponderint.

PROVINCIA MEDIOLANENSIS.

AGVNT IN MEDIOLANENSI Prouincia vndecim ſupra ducentos. in Domo Sancti Fidelis triginta ſex: in Collegio Brerano ſeptem & ſexaginta: in Genuenſi triginta: in Taurinenſi triginta tres: tredecim in Comenſi: in Vercellenſi vndecim: in domo Probationis Aronenſi viginti vnus. Supremum diem expleuere ſex. Tredecim in Societatem adſcripti.

DOMVS SANCTI FIDELIS, & Collegium Breranum.

E MVLTIS, QVORVM concordiæ fuimus auctores, duo erant viri illuſtres, e quibus vnus alterius opera in carcerem coniectus, furenter iraſcebatur: et iaciebantur minæ prænuntiæ cædis: ſed vnius e noſtris oratione, cum hic in eum animo placatus eſſet, a quo ſe putabat violatum, reconciliatus vterque alteri, irarum certamina pace mutarunt. præciſa etiam cauſa ſimultatis inter duos germanos fratres, quorum non ſine offenſa totius ciuitatis alter alterius grauabatur aſpectum. edoctus muliebris ſexus de diaboli fraude, cui propter imbecillitatem eſt magis expoſitus.

Erit operæpretium paucula attingere. Vna Chriſtum parere,eumque in ſinu videbatur ſibi habere pueriliter blandientem. plus laboris poſitum in altera dedocenda. hæc vita factiſque profitebatur æmulam ſe eſſe beati Franciſci ſanctitatis: & apparebat illi eius imago, qualem depictam aſpicimus, Chriſti vulnerum præferens veſtigia: dictitabat ſe a Deo mitti, vt illam regeret conſilio, & inſtitueret præceptis: igitur quaſi rector mulieri datus, immanem animum ſubdola modeſtia tegens, cum ea ſe flagris acerrime diuerberans,adumbratamque Euchariſtiam perſæpe porrigens, mira arte oculis atque animo miſeræ præſtigiator illudebat:hortabatur ne in poſterum domo egrederetur ad templum,quod in cubiculo maiore ſilentio, remotoque ab arbitris loco, omnia ſibi commodius miniſtraret. vix ſane credas quam difficile inflatæ animus mulieris ab illo gurgite blandæ opinionis emerſerit. alia denique fuit,quæ ſiue viri tædio, cum quo erat,ſiue matrimonij, liberationem moleſtiarum veneno parabat:quod tamen (vt ſunt feminæ natura loquaces) alteri aperuit: illa, cum diſſuadere non poſſet, vni e noſtris ſacerdotibus:hic accedens ad amentem animi,vt infandum conſilium abijceret,ægre extorſit: firmati etiam opera noſtrorum, qui rapiebantur ad necem: atque in his iuuenis, tanta pietate & conſtantia, vt in illa tantum cogitatione,quod

ita

ita Deus ad eius ſalutem conſtituiſſet, forti animo graderetur ad mortem. Ceterum viri aliquot mulieresque abdidere ſe in cœnobia, quo religioſius Deum venerentur, ardore videlicet vel e frequentatione myſteriorum, vel e concionibus concepto. nec deſunt qui poſt exercitationes ſacras, & expiationem omnium criminum idem meditantur, curamque omnem mitigatis terrenis affectibus ad diuina conuertunt. e monaſterijs quæ promouentur noſtris cohortationibus, adductum eſt vnum ad amplectenda decreta Archiepiſcopi, quæ antea difficile ferebat: eam rem ipſe Archiepiſcopus vni e noſtris magnopere mandarat. Hæc propter ac talia, magna erga nos ciuium beneuolentia: & frequenter perſpicitur, cum ab ipſis, ſiue conſulimur in rebus ſuis, ſiue adiuuamur in noſtris. igitur ſubleuata Domus inopia, auctaque templi ſupellex. at nos labore noſtro illorum beneficentiæ reſpondemus. Ad gymnaſium ventitantium, eorum præcipue qui informantur ad humanitatem, quanta non alias multitudo. gnarum id principibus ciuitatis, quibus etiam placitum, vt laxiores ſedes & commodiores, ære publico extruantur, pluribus accipiendis. Itur de more a Patribus diebus feſtis ad iuuandos vinctos, eoſque qui inſtituuntur rudimentis Chriſtianæ doctrinæ. ab ijſdem conciones habitæ per fora & compita, in Bacchanalibus vtiliſsimæ.

COL-

COLLEGIVM GENVENSE.

VIGINTI AMPLIVS pijs commentationibus vtiliter exculti: mutatio enim facta permagna morum ac vitæ. ex his quædam (honos ſit veſtris auribus) cum modo ponemus. mulier Deo dicata, quæ per ſummas delicias, in menſa, liguriendo, & pitiſſando, hoc aſperum eſſe culpans, illud lenius, omnia faſtidioſe probabat, ita animum vicit, vt non ſolum quæcumque afferuntur capiat ſine vllo delectu, ſed etiam grauedinoſæ aniculæ pituitoſum humorem ac redundantem auide vorauerit, & deinde diutius in ore voluerit, demiſſumque in guttur iterum retraxerit, idque ſæpius factitarit, vt hac ratione vlciſceretur lautitiam ſuperiorem. idem et facere parabat altera, niſi in tempore vetita fuiſſet: & vero fecit adoleſcens, cum aſsideret mulierculæ ægrotanti. initurus alter apparatum conuiuium propinquorum, quibus vocantibus deeſſe non potuerat, ſcabro parieti linguam affricuit, vt recentis doloris ſenſus obtunderet guſtum epularum. ex ijs qui cum illuſi eſſent a dæmone noſtrorum opera reſipuere, non erit alienum, quid vni acciderit, breuiter perſtringere. Iuuenis Sodalitatem, cuius regimini præſunt noſtri, aliquamdiu celebrauerat, ſacrorum frequentationi imminens & attentus: is deinde, cum ex impru-

imprudenti oculorum coniectu diligere cœpiſſet mulierem, paulatim remittere de feruore ſpiritus, & e modico vapore, fomento exæſtuans deſiderij, ita effuſe in illam exarſit, vt occupatus in alio amore diuinum excluſerit impatientem conſortij: et mittebantur vltro citroque munera, & furtiuæ litteræ per interpretes accipiebantur. trimeſtre hoc ſpatium fuit: poſt quod graui corporis morbo æger decubuit. tormina erant peracerba, erodente ſe ipſum ſtomacho, & ſupplicia ſibi gignente: mirum ſane quam immundas ſordes & varias ante ora aſsidentiũ euomuerit: muliebres crines, ouium villos, linum, bombycem, crinales acus & ſutorias, vnguium ſegmina, oſsium fragmina & ferramentorum non paruo numero; vna cum ſanguine: vt quæreres locum vbi colluuies delituerit, & mirarere intercluſum ſpiritum non fuiſſe. ad eum accitus vnus e noſtris, hortatur hominem adhuc vomere non ceſſantem, ne illigari ſe amplius patiatur amore peſtifero: tum vt exhiberet, ſiqua eſſent, ab amica munuſcula. quærit deinde numquæ eſſent ab ea litteræ: acceptas ille fatebatur, ſed deinde laceratas addebat: cum fidem non faceret, admonet noſter familiares, vt diligenter exquirant arculam, in quam abdere ſolebat res cariſsimas, et quicquid eſt amatorium tollant: cum hoc dicto diſceſsit. ea res dum ægroto occultæ ſono vocis innotuiſſet, arculæ clauem horrendis cla-

mori-

moribus poſtulat ſibi dari, & acceptam coniectamque in os, eadem voce admonente, ſtatim voraſſet, niſi prohibitus eſſet aſtantium occurſu. igitur puluino ſupponit: ipſe emotæ fere mentis oculorum vſum tantiſper amittit: inſtat mater, vt doctus malo, ſacerdotis impetrium faceſſat, reddat clauem capſulæ aperiendæ: eam cum manu quærens non inueniret, furto ablatam credidit: hoc magis vociferari, & furore accendi: nec tamen reperta in toto lectulo diligenter excuſſo: vi tandem ferroque arcula cum eſſet reſerata, binæ litteræ Veneris inuentæ, & Vulcano traditæ ſunt: nec mora: reſtitutus iuueni ſenſus videndi, & diu multumque clauis fruſtra quæſita, apparuit ante oculos mirantis expoſita: melius interim ipſe habere & animo & corpore, & quicquid amentia deliquit, pœnitentia corrigere: et nunc ſanus factus a Domino, admonitu ipſius, adhibita omni ratione peccare refugit, ne deterius ſibi aliquid contingat. Niciam (quæ vrbs eſt in ditione Ducis Sabaudiæ) rogatu Honorati Martelli Nicienſis Epiſcopi deſignati, ad quadraginta dies verni ieiunij miſſus concionator: eum cum adoleſcentiorem primo aſpectu exiſtimaſſet Epiſcopus, non contentus pluribus interrogationibus exploraſſe, per alios etiam voluit periculum facere de ipſius doctrina: igitur doctiſſimum quemque adhibet prandio: hic cum multo varioque ſermone tentatus eſſet noſter a

prandio ad Solis vſque occaſum, atque expleſſet animos omnium, repeti idem placuit die ſequenti eodem euentu. vnus etiam reſtabat ſcrupulus, ne ad cathedram eſſet aptior, quam ad ſuggeſtum: verum hunc quoque euellit non turgida eius oratio, & facta quodam modo, ſed naturali quadam pulchritudine, & efficax, quæ mallet bonos audientes facere, quam magnum videri dicentem. et effecit quod voluit: in multorum odio, fenore, luxuque tollendo, prauas artes malaſque libidines ab vrbe prohibendo. ac primum reuocata arctior obſeruatio maioris ieiunij, quæ diſsimulatione dudum, aut contemptu, fere erat abolita: introductus vſus ſacramentorum frequentior: pax inter quinquaginta paria reſtituta, hoc vtilius ciuitati, quo inter nobiliores ciues bella metuebantur. præter conciones publicas, ſermones habiti priuatim ad piorum Sodalitia, nouumque inſtitutum nobilium feminarum, itaque inſitus amor virtutis in pectoribus ſodalium, vt ſpes ſit futuræ perpetuitatis. quamquam bona hæc ne incuria deformentur, aut corruant vetuſtate, ſuſcepta conſuetudo ſingulis diebus veſpere ad certum pulſum æris campani explorandi latebras conſcientiæ, & diurna facta ad Chriſtianæ religionis rationem exquirendi: quod a ſingulis familijs tanto fit ardore animi ac ſtudio, vt ſimul atque increpuit, vel e menſa, ad orandum conſurgant. Grata hæc omnia communiter: auxit vo-

luntatem

luntatem ciuium, quod cum rumor eſſet a noſtris concionatoribus captari munera, ea noſter ſponte oblata, tantum abeſt vt quæſita, libera oratione recuſauit.

TAVRINENSE COLLEGIVM.

SACERDOTES DVO finem vitæ fecere. vnus ex his Pater Ignatius Parochetus, vir natus ad hæreticos peruincendos: longa ei & difficilis fuit ægritudo: in qua nihil tam hominem male habuit, quam quod in afflicto corpore extollere ſpiritum non poſſet, vt ſolebat olim, ad rerum cæleſtium contemplationem. excurrimus autem ex hac vrbe frequenter ad pagos ſubiectos: nec ſane nihil proficimus. tres ad fidem Catholicam traducti. & quoniam vſu compertum eſt ab Alpibus Cotijs æſtiuo tempore deſcendere homines, qui ſuam locantes operam inter Catholicos ad demetenda frumenta, ſeminent zizania, curatum eſt in poſterum, vt huiuſmodi peſtes arceãtur. Vir nobilis innutritus hæreticis, cũ Deum negaret præſidere rebus humanis, a dæmone correptus, adigebatur ſæpe vt ſe vel in puteum proijciens, vel in fluuium, animam proijceret: et affirmabat furore percitus eſſe ſe iam dudum infernis flammis addictum: perſuaſit eius gentilibus atque agnatis vnus e noſtris, vt quoniam loquebatur deliramenta, purgarent atram eius bilem, qua

agitabatur, redditúſque eſt menti vitæque meliori. Doctrinæ Chriſtianæ vſus in multis oppidis reſtitutus. in vno propemodũ voce cæleſti. inciderunt noſtri, cum eò veniſſent, in frequentem populum, & ſupplicationi paratum, pluuiæ videlicet, qua iamdiu caruerant, euocandæ: ad eum habuere concionem ex tempore, ac polliciti ſunt Deum fore placatum, ſi ipſi redirent ad addiſcenda præcepta Chriſtianæ legis: nec vanum fuiſſe promiſſum, eorum agris irrigandis, effuſus de cælo imber nocte proxima declarauit: cum vicina circum loca vix leui rore fuiſſent aſperſa. In vrbe vero, quidam deploratus a medicis, de noſtrorum conſilio peracta generali cõfeſsione, cœpit melius habere, & poſt triduum ſanus ſurrexit: et quoniam intellexit animi morbos redundare in corpus, ſtatuit, fretus diuino munere, mentem a peſtifera qualibet macula, quoad facere poſsit, puram integramque ſeruare. Sex virginibus conſultum, quarum pudicitia inopia periclitabatur. Quinque aliæ in cœnobium ingreſſæ. tres adoleſcentes Franciſcanorum ordini, tres noſtro, adſcripti. nec deſunt qui ſuam Deo caſtitatem, vel perpetuo, vel ex arbitrio ſacerdotis, voto obſtrinxerunt. Octo mulieres matrimonio vinctæ, quæ meretricium meditabantur. In carcere publico Dux ſereniſsimus rogatus a noſtris ſacellum extruxit rei quotidie diuinæ faciendæ: ſpemque affert fore, vt reditus annui aſsignentur

gnentur ſacerdoti, qui vinctorum procuratio-
ni incumbat. In templo noſtro excitata eſt mo-
les Euchariſtiæ aſſeruandæ, cum ſignis inau-
ratis, & tabula præclare picta, opere magnifi-
co, impenſa aureorum duum millium. eam ci-
uitas mirando non ſatiatur. Reddam nunc
exempla nonnulla, propter admirabilitatem
digna quæ libenter audiantur. Iuuenis quidam
ex eorum genere qui arte & manu vitam pro-
pagant, relicta patria, diu fuerat in hac vrbe:
ſubijt poſtea cogitatio patris, redit in patriam
cum pecuniola, quam collegerat. Quantum
ſpes hominum fallit? et hanc in itinere amiſit
furto: & illum offendit ereptum morte. non tu-
lit dolorem iuuenis, in furorem vertitur: velu-
ti captus animi diabolum inuocare, ei dedere
ſe, nec alium dominum velle. nec fruſtra ſe ille
paſſus eſt inuocari: addidit ſe comitem miſero,
eius, quacumque ingrederetur, perſequens ve-
ſtigia: niſi quod, vbi plures eſſent, nemini ſe da-
bat videndum. quod ſi interdum pons tranſe-
undus, aut mons præruptus, ſuadebat vt ſe illa
præcipitem daret, amœna inferius vireta, &
vernantia floribus prata oſtentans: et ſemel
quidem proiecit ſe ille e ponte Calerij montis
in Padum, vnde ægre extractus multorum ac-
curſu. ex eo tempore periculum in conſilium
vertit: timere cœpit inſidias dæmonis, & ad
beatiſsimæ Virginis patrocinium confugere.
Sed cum rurſus eſſet iter facturus, arreptus a

dæmone per tria paſſum millia aſportatus eſt in ſiluam vaſtæ ſolitudinis: obtulit ſe ſtatim matrona eximiæ pulchritudinis in veſte cœrulea, quæ cum pro imperio arcuiſſet diabolum, manu prehenſum iuuenem duxit in ſacellum dicatum Mariæ Virgini, ab eo loco non procul: vbi, quotieſcumque illac tranſiret, fundere ſolebat preces iuuenis, vt ſe Deiparæ commendaret. hic conuerſa ad iuuenem præ admiratione & metu vix compotem ſui, quod ſeſe inferno hoſti dediſſet, increpat vehementer, confeſsionem imperat, proque admiſſo ſcelere, pœnitentiam ſeptem annorum: id ſi faciat, ei ſemper placatam ſe ac propitiam futuram. redit Taurinum, quæ ſibi acciderant animo cogitante, ſtatimque ex officina ad noſtros: confeſsionem exorſurum tantus pauor tremorque omnium membrorum cepit, vt confuſo ore, anhelo pectore, arctatis faucibus, ſudore perfuſo per totum corpus, diu hiſcere non poſſet. confirmabat hominem ſacerdos (etſi ipſe quoque non omnino expers timoris) ſignum Crucis digito pingens in fronte: & res agebatur multis ſpectantibus. tum miſer ille ſe ex eius conſpectu proripere moliens, retentus primum, dein abductus in ſecretum, poſtremo ſolutus animo, ac liber dimiſſus eſt. quod cum per ſeptem dies continuos feciſſet, præſenti Virginis tutela elatus ad iuſtam fiduciam ſui, ita contempſit diabolum, vt ab eo deinceps, nec occulta fuerit

tenta-

tentatione vlla, nec obiecta, mercatoris eum ad ſibi inſeruiendum mercede inuitantis, ſpecie deceptus. & nunc profectus eſt Taurino, ſeruitum aliquo ſeptennium in templo beatæ Virgini conſecrato. Ergo hoc primum ad augendam venerationem Dei matris. ſequitur vnum atque alterum, quo augeatur veneratio beatorum martyrum Thebæorum huius vrbis tutelarium, quorum reliquiæ in æde noſtra. Iuuenis quidam nobilis cum in Belgio captus eſſet ab hæreticis, ſcripſit ea de re ad patrem iam ætate confectum: is dolore proſtratus & mærore, humanis deficientibus auxilijs, ad diuina confugit: pro libertate filij in templo noſtro vota ſuſcipit, eum ſanctis martyribus commendat. preces Deo acceptæ. re enim ipſa compertum eſt, eodem die filium e carcere liberatum. In eodem templo licuit mulieri præſentes cognoſcere animos cæleſtium. hæc cum bis antea fuiſſet morti proxima ex colliſione abiecti partus, iamque inſtante tertio idem timeret, tertiodecimo Calendas Februarias, quo die ſanctorum martyrũ anniuerſaria celebrantur, cum ſe in templo noſtro, eorum implorans auxilium, confeſsionis muniſſet & Euchariſtiæ ſacramentis, domum reuerſa, eodem die virilis ſexus ſtirpem edidit perleui dolore. Narrabo iam aliud, in quo etiam vim diuini numinis agnoſcas. Adoleſcentes duo pari nobilitate & ſtudio inſignes, cum ex mutua beneuo

lentia, vt fit ſæpe inter amicos, prolapſi eſſent in immoderationem verborum, deinde etiam in pugnam, ſtyli acie ferrei alter alterius corpus hauſit repetito quinquies ictu: hic deinde cum domum relatus medicos accerſiſſet, ac ſacerdotem: illis corpori fomenta adhibentibus, animum curabat ſacerdos audienda confeſſione: ſed abeuntibus illis, quod nulla ſpes ſubeſſet valetudinis, ne ſtilla quidem ſanguinis e punctionibus manante, noſter ægroto aſsidens totam noctem ducebat inſomnem. mane redeunt medici, iuuenem reperiunt alleuato corpore melius habentem. is poſcit ſacratiſsimum Chriſti corpus, quo recreatus exclamat, conſanuiſſe ſe beneficio ſacramentorum. mox chartam poſcens cum calamo, ſcribit ad eum a quo fuerat percuſſus, veniam ſe illi ex animo dare, immo vero gratias agere, quod magno beneficio fuiſſet affectus. et uero illud beneficium ſemper appellauit, æquitatem Chriſtiani animi cunctis admirantibus, qui ad eum veniebant. Cum primum domo extulit pedem, fratrem eius conuenit a quo fuerat vulneratus, ac perbenigne eum ſalutans, gratias fratri apud illum agit. quin etiam, vt potuit equum conſcendere, eum ipſum adit: is propinquanti obuiam factus (conuenerant enim certum in locum, ex condicto, vno e noſtris omnem rem peragente) ex equo deſilit, & ſeſe ad illius pedes qui iam deſcenderat, abijciens, obnixe ve-

niam

niam petit: neque ipſe ſuſtinuit, abiectum leuat, verbiſque magnum præ ſe amorem ferentibus complexu atque oſculo amicitiam firmat: & certauit vterque lacrimis, & officijs Chriſtianæ humanitatis. Ceterum, vt hic percrebuit ſuſceptum bellum a Duce ſereniſsimo contra Geneuenſes, quotidie veſpertinæ preces, & litaniæ recitatæ, perbreui ſermone ad populum habito. Dux ipſe quattuor e noſtris ſecum habere voluit: ipſiuſque, & fratris eius, aulicorum omnium, & militum plurimorum audita confeſsio. inſtructum eorum opera noſocomium ad pauperes ægroſque ſubleuandos. ſaucij curati. mortui Chriſtiano ritu ſepulti. ante pugnam inſtructi milites, in pugna excitati, a pugna refecti. multorum ſimultates ſepultæ, rixæque cõpoſitæ. Quibus in locis profanata eſſent templa, ijs in locis tabulata inſtructa ſacro faciundo, vt toto ab exercitu conſpici poſſet. libri quamplurimi non ſanæ doctrinæ exuſti. hac in expeditione, vir quidam ampliſsimus, neque ordinis noſtri valde amicus, ita captus eſt noſtrorum obſequio, vt quæ ad rem Catholicam pertinent, ad eorum arbitrium retulerit in ſua ditione, peroptetque inſtitui Collegium, ac Seminarium, vbi quattuor & viginti iuuenes alantur.

COLLEGIVM COMENSE.

EXERCITATIONIBVS Patris Ignatij multorum mentes excultæ: fratres fratribus, parentes filijs, mariti vxoribus, alijs denique alij noſtrorum opera reconciliati. Mulier quædam enutrita a parentibus in hæreſi, Catholicarum puellarum virtute animaduerſa, ad Catholicos profugere decreuerat: nec patrem fefellit: incluſam domi habet quaſi in carcere, pane & aqua ſuſtentat, interdum etiam afficit verberibus, vt deſciſcat a ſententia. verum elapſa tandem e cuſtodia, a noſtris inſtructa, & apud nobilem matronam honeſte collocata eſt. exædificatum eſt Sanctuarium auguſtiſſimo Chriſti corpori cuſtodiendo, templi opus, & egregia circum ſigna, ſummo artificio, ſimulque tabula ingens pulcherrime picta: omnia ad augendum ornatum ædis, & cultum. Ieiunio quadragenum dierum, per ternos dies ſingulis hebdomadis, illuſtriſsimus gubernator huius vrbis cum vniuerſa nobilitate conueniens in noſtrum templum veſperi, pſalmum quinquageſimum ab externis cantoribus cum inſigni modulatione, cani iubebat ante ſimulacrum Chriſti Domini in cruce expirantis. pulchrum omnino ſpectaculum, ſiue vim conſiderares accenſarum facum, lychnorumque dependentium, ſiue celebritatem apparatus,

ſiue

ſiue populi religionem, ac frequentiam. poſt precationem habebatur ſermo de Domini cruciatibus: tum demum, cum bene ſacerdos dixiſſet omnibus elata ſacra pyxide cum Chriſti corpore, quæ conſuetudo eſt in hac vrbe ſolemnis, diſcedere licebat. Felicianus Ninguarda e beati Dominici diſciplina, Comenſis Epiſcopus, vir illo ordine, graduque digniſsimus, vt ingreſſus eſt in Epiſcopatus poſſeſsionem, noſtrum Collegium adire, atque apud nos cibum capere voluit. eius aduentus magnifice celebratus eſt. paries exterior templi, atrium ipſum ſatis amplum, & Collegium interius conueſtiebantur vario genere carminum, emblematum, lemmatum, & argumentorum: quibus non eruditi ſolum animi, ſed etiam oculi paſcerentur. breuis & elegans habita eſt in ingreſſu oratio. rem diuinam fecit Epiſcopus in templo, noſtriſque collegis ac diſcipulis præbuit panem, qui e cælo deſcendit: dein ipſe, alijque viri nobiles pranſi nobiſcum, nec tam delectati epulis, quam varietate linguarum, quas audierunt inter prandendum: hæ fuere nouem: quod ſane quam mirum fuit in eo Collegio, vbi tantum e noſtris tredecim numerantur. Ipſe autem a prandio conuerſus ad ſacrum Quæſitorem, ad Dominicanos aliquot, alioſque viros, capita ciuitatis, qui aderant, Societati noſtræ præclarum iudicij ſui teſtimonium dedit, in ijs præcipue rebus quæ in Germania fierent

circa religionem Catholicam . cum demum adiſſet ſcholas, exceptus eſt eodem honore orationis & verſuum . ac ne multis, feſtus dies ac lætus Epiſcopo ac ciuitati fuit. Pagus eſt quidam frequens admodum & celeber, ab vrbe non procul, Vgiate nomine, qui Mediolanenſem ditionem ab Heluetijs prope diſterminat. hic concionatus vnus e noſtris Quadragesima, feſtis diebus, vberrimo fructu: habita ſchola doctrinæ Chriſtianæ ſub veſperam, concurſu admirabili: initia noſtræ fidei, & rationem precandi, qui neſciebant edocti. in hunc porro pagum, alliciente opportunitate loci, confluunt multi, quibus propter facinora patria eſt interdicta: ad hos ſæpe habita concio: nec nihil effectum. inter hos erat vir quidam famoſus & contumax, cui cum prædiceret ſacerdos violentam mortem, atque atrocem, proinde expiaret animum ſacramento confeſsionis: perſuaſit quod cupiebat. ſed cum idem mobilitate humani ingenij redijſſet ad priſtinam vitam, confoſſus miſerrime prædictionem ſacerdotis impleuit.

DOMVS PROBATIONIS Aronenſis.

INTER EOS, QVI hoc anno in Societatem aggregati, duo fuerunt, in quibus verum eſſe reperias, quod dictum eſt a Domino,

vt e duobus cubantibus in eodem lecto,aſſuma tur vnus,alter relinquatur:id, vti ſe habuit, quam breuiſsime expediam. Adoleſcens vnus, in remotis regionibus, per tres ipſos annos co xerat conſiliũ Societatis, demum in Italiam,cõ cepta ſpe non dubij ingreſſus in Mediolanenſem Prouinciam,ſtatuit proficiſci.amicum exo rat primum,vt iter cum itinere, deinde etiam vt conſilium cum conſilio coniungat. verum hic non ita vehementer ſe ad religionem ſentiebat impelli:itaque in ipſo probationis limine de reditu in patriam cogitat, et rem ſocio aperit: hortatur ille, vt in tantis tenebris oret Deum, præferat menti facem,ne erret:ſed ca ligo obiecta a dæmone officiebat diuino lumini: et vana ſpes adiuuandi parentes ac proximos,et,ſi forte, delectis aliquot ſocijs eiuſdem propoſiti, nouam quaſi diſciplinam inſtituendi ſalutarem multis,obcæcabat conſilia.vbi ſtetit diſcedere, adit Rectorem: paſtor ouiculæ timens, ſi extra ſepta pedem efferret, modicam ſuadet moram, obtendens anni intemperiem, & viarum difficultatem: expectet interea deliberationis maturitatem, & ſcrutetur voluntatem Dei per exercitia ſpiritualia. ſcitis plerũque fieri in eiuſmodi æſtu, vt vbi pars labet, ſumma turbetur. vbi ad electionẽ ventum eſt, conſilium diſcedendi ſedit: animaduertit noſter non æquam fuiſſe diſceptationem,vbi cupiditas,imponẽte diabolo,præponderaſſet,cõſul

tationem

tationem magis integram orat, vt ponderentur diligentius momenta rationum. igitur cum hæc ſecum agitaret varius incertuſque animi quadam nocte, nec ſomnum oculis caperet, vocem audit, Sequere fili liberatorem tuum. tum ille nihil hæſitans, an quod timorem dimouerat cupiditas interrogandi, Vtra via? quæſijt. & reſponſum accepit, altera. nec dubium quin præſcriberet religionem. Huc inclinantem malus aggreditur dæmon, & inuolās in os iacētis, & guttur. Quid, agis, inquit, deſertor? ſiccine me contemnendū putas? itaque ne te arbitrere nihil egiſſe, ego vi apprehenſum ſic traham, vt vel inuitus me ſequare. obſtitit ille, & obluctatus eſt improbæ ſuadelæ, compreſsis licet faucibus, donec excitator de more lumen inferret. ſurgit confeſtim, conuenit Rectorem, rem narrat: quærit quæ nam ſit via altera, vt liberatorem ſequatur. audit id quod erat, & conſtituit amplecti Societatem. O incomprehenſa Dei iudicia, & viæ inueſtigatu difficiles: ea hora qua hic confirmabatur, labaſcere alter incepit, nec tam fugam quærere, quam queri de mora obiecta: neque id clam ſocio: cum inſtaret dies profectionis, acrioribus ſtimulis dæmon alterum extrudere, annoſum patrem offerre, venerandum canicie, & illuuie miſerandum: mærentem matrem anum, ſparſo crine, & ſciſsis veſtibus, vbera, quibus puerum infantem nutriuerat, oſtendētem. Hos tu patiere tui deſiderio cōfici,

&

& carentes ductore animarum ad inferos dela-
bi ? ſi hos negligis, quomodo amabis alienos?
ſi proximorum ſalutem expetis, a tuis incipe.
homines non ſibi naſcuntur, ſed eorum ortus
partem, primum parentes, cognati, patria vin-
dicant, & amici: vbi his vtilitati fueris, deinde
ad exteros, & ignotos, ſi libuerit, te confer: hic
eſt ordo caritatis: redi cum ſocio, cui iam me-
lior mens, vnde diſceſsiſti: eoſque primum adiu
ua, quibus plurimum debes, alloquio, & exem-
plo. nunc tu quidem ſpe & iuuenta properus,
magna quam ſana concupiſcis. ſtultum eſt in-
certa certis, futura præſentibus anteferre.
Conſiliũ ſpecie quam re vtilius. et flexerat te-
nerum adoleſcentem: ni Chriſtus fluctuantem
miſeratus, & facilem capi, imagine, qua erat
cum annum ageret duodecimum, ei ſe offerret,
blãdoque vultu abſterſis omnibus moleſtijs, fir
maret animum, vt mallet cum eo morte iungi,
quam diſtrahi vita. Ceterum, in frangendis cu-
piditatibus, caſtigando corpore, in lacera at-
que attrita veſte eundo ad publicas nundinas
præter hominum oculos, qui non ignari noſtræ
conſuetudinis, quaſi faciendi periculi, irridere
illos, atque increpare vocibus conſueuerunt,
corroganda eleemosyna ad ſubleuandam pau-
perum inopiam, diebus feſtis circumeundo pa
gos, & media etiam hieme, via licet difficili, at-
que interdum inexplicabili, inſtituendis rudi-
bus ad doctrinam Chriſtianam, ardor tyronum
qui

qui debet. Adiunctus autem huic domui ſacerdos, qui oppidanos audiat confitentes, adiuuetque, cum ab illis vocatur, vicinos ad moriendum. fructum vel e numero eorum coniectes qui diebus feſtis confitentur in noſtro templo, & cæleſti pane reficiuntur. Accidit etiam hic quiddam admirabile, quo Deus voluit admonitos parentes, ne prouecti intemperantia linguæ mala filijs imprecentur. Mulier quædam naturalem leuitatem ira concitante, cum infantem puerum ſacro igni deuouiſſet, exaudita eſt celerius, quam volebat: eodem enim morbo paulo poſt filius miſere abſumptus, quamquam ſero, admonuit genitricem verbi imprudenter lapſi: et ipſa ſua orbitate; quicũque hoc erant audituri, vt ne commoti iracundia, diris execrationibus proſequãtur liberos, quæ vbi ſemel exciderunt, reuocari non poſſunt. Et agnouit quidem mulier admiſſum crimen, diluitque illud confeſsione, & lacrimis, in noſtro templo: ſed non propterea filium, cui videtur auctor mortis fuiſſe, a mortuis excitauit. ita et laudanda fuit poſt factum pœnitentia, & a principio cauſa vituperanda.

VERCELLENSE COLLEGIVM.

VIX ANNVS EFFLVXIT, cum aperuimus ſcholas duas, et diſcipulorum numerus eſt maior opinione: quibuſdam licet

licet aperte calumniantibus, clam multis carpentibus noſtram docendi rationem. Sed nec obfuit nobis eorum ſermo,& quæ ab illis iactabantur de noſtra diſciplina, refutata ſunt a diſcipulorum profectu:confitentur parentes iam ſibi eſſe filios eruditiores, modeſtiores, & magis dicto audientes,quam antea fuiſſent. Pullulauit e ſcholis congregatio Parthenia,in quam non niſi natu maiores,diuque approbati inſeruntur. hi omnes quotidiana perſcrutatione intimos animi receſſus introſpicere edocti, retroactam vitam confeſsione detexerunt: itaque progrediuntur in pietate ac doctrina, vt gratulentur nobis parentes,beatæque Virgini gratias agant. Nouus ſacrorum Antiſtes cum ipſo die, qui ſacer eſt Sancto Euſebio martyri primo Epiſcopo huius vrbis,Epiſcopatum iniret,magnaque clericorum & ciuium pompa duceretur ad maximum templum, exornauimus externam faciem noſtri, qua erat tranſeundum, pereleganti varietate poematum: quæ ciuium aduenarumque (ad diem enim ſollemnem confluxerant frequentes) non vulgarium modo,qui numerare,ſed multo magis eruditorum, qui ponderare verſus ſolent, ad ſe oculos atque ora verterũt: poſtridie cum ad ædem noſtram veniſſet Epiſcopus auditurus ſacrum, a tribus pueris, qui orationem aduentitiam habuerunt, & recitarunt carmina, conſalutatus eſt inſigni gratulatione ciui-

F tatis.

tatis. Porro ad ſcholas acceſsit contubernium conuictorum nobilium, cuiuſdam probi viri & familiaris noſtri opera: e quibus partem ad nos ventitant, partem vt idonei fiant ad noſtras ſcholas, à magiſtro domeſtico exercentur. Confitentium numerus excreuit hoc anno. ex ijs accidit quiddam vni iuueni, quod, propter ſpeciem facti, hiſce annalibus fuit inſerendum. Inſaniebat hic amore aleæ & ludi, quodam die veſpere, cum haberet domi colluſores, orta eſt, vt ſæpe fit, inter eos contentio: cum hic peierans audacius. veluti liti finiendæ, Ne viuam, inquit, inuadat in me malus dæmon, ni hoc ita ſe habet. viſus iecisse fulmen: eodem veſtigio temporis totum cubiculum intremuit, & tætra vmbra, ante oculos videntum oberrans circum parietes, apparuit: metu ille exanimatus in terram cadit: vbi primum ad ſe redijt, multo magis pauidus, & vecors conſcientia, veniam a Deo eiuſque matre ſuppliciter petit, votoque ſe obſtringit curandi ſacri in proximum diem beati Nicolai Tolentinatis, pedeſtriſque itineris religionis cauſa ad Varalli montem ſuſcipiendi. nihilo ſecius fuliginoſa volitat effigies circum cubiculum, & lucernam conatur extinguere. Ieſum ille & Mariam in auxilium vocare: at ſocij terribili ſpectro Crucem ligneam, quacumque ferretur, opponere: ab hora altera noctis ad diluculum vſque formidoloſa durauit pugna: ita aleatores renouantes ſubinde

binde,oleo infuſo, ne deficeret, lumen , æquarunt nocti, in lucemque tulerunt, non ludum, ſed timorem. tum vero audito matutino ſigno Angelicæ ſalutationis, nocturnum monſtrum, quod caua ſub imagine omnes terruerat, inimico offenſum ſono, obſcurum procul nebulis in ſuas tenebras receſsit, conſternatorum magis oculos, quam animos relinquens. ad nos illico iuuenis exanguis, & attonitus, nec ſatis ſecurus viſus ſibi, non ante miſeram mentem metu, quam peccatorum vinculis abſoluit. Non infimi ordinis in hac vrbe vir & vxor, perpetuo ſeptem annorum litigio matrimonium infamauerant: cum auerſo vterque animo congreſſum alterius conſpectumque vitaret: quod ſi forte occurrerent, vt fiebat ſæpe, nempe in eadem domo, non mutuis ſe modo conuicijs, ſed & pugnis etiam petebant, & calcibus. ſonabat interim vicinia horum altercationibus: nec vllus erat iurgij finis. & recōciliare conati ſunt eos, parentes, virique multi, auctoritate & gratia nobiles: ſed grauiora erant mala inteſtina, quam remedia externa. denique aduocatus vnus e noſtris, orationem ad conuertendos homines Deo ſuggerente, ita penetrauit in illorum animos, vt non ſolum placarit in præſens, ſed, alte licet inſitas atque inueteratas, omnes iracundiæ fibras euellerit: veniā petenti vxori maritus libentiſsime conceſsit. et nunc viuunt inter ſe non tacita concordia, quæ plerumque

F 2 eſt

eſt inſtar odiorum, ſed tanto voluntatum vocumque conſenſu, vt vna anima duorum corpora regi videantur. Noſtrorum etiam deambulationes extra vrbem, recreandis interdum animis, non inutiles fuere. paſtores videlicet, bubulci, opiliones, ruſtici paganique multi Catechiſmo inſtituti, & ad peccatorum confeſſionem adducti. eadem cura collata in operas, quas toto fere anno domi habuimus, ad neceſſaria negotia conductas. Sed & ſacerdos quidam profectus in nobile quoddam oppidum, cum primariæ ædis Præpoſito homine valde pio & Societatis noſtræ peramante, cum paucos ibi dies ſubſtitiſſet, tradenda doctrina Chriſtiana, concionibus habendis, excipiendis confeſsionibus, operam nauauit. Alter cum ſocio etiam ſacerdote, qui Arona venerat, Nouariam miſſus Quadrageſima ad Epiſcopum, quattuor cœnobia virginum ad arctiorem diſciplinam erudijt: earum confeſsiones, pleraſque generales accepit: quod & fecit in ſummo tēplo, & aliquot parœcijs. doctrina Chriſtiana e ſuggeſtu ciuibus explicata: multæque inter eos ſedatæ diſcordiæ. Eodem redijt ſacerdos alter Aduentu Domini, rogante Epiſcopo, & in rebus ſimilibus elaborauit pari euentu: ille idem Antiſtes noſtri ordinis ſtudioſiſsimus, auctor fuit, vt ſacerdotes duo quamdam obirent partem ipſius diœceſeos, magna vtilitate oppidorum, quæ ab illis luſtrata. ergo parochi confeſ-

ſi, &

ſi, & plerique de totius vitæ criminibus, omneſque ad ſuum officium recte faciendum inſtructi. docendis rudimentis fidei ſcholæ inſtitutæ. auditi duceni per ſingulas hebdomadas, cum confiterentur: hacque ratione, tacite plures reconciliati, quam ſi palam in conſpectu multorum de inimicitijs componendis fuiſſet actum. malunt enim natura homines interdum videri ſua ſponte remittere iniuriam, quam ſi ab alijs rogētur. homicidæ multi, adulteri, ſicarij, facinoroſi, ad pœnitentiam adducti: fenebres contractus vt tollerentur, tabellionum conuentus habitus, in eoque, conceſsis contractibus & pactionibus rite atque ordine condendis, leges præſcriptæ. Hæc ſcio viſum iri parua, & leuia nonnullis, ſed non videbūtur cogitantibus, ni hoc tempore eſſet occurſum, in quantam immanitatem excreuiſſent. noſtrorum deinde eſt, diligentia vti in obſequendo, & verecundia in prædicando: vt eorum labor ſit extra inuidiam, nec extra vtilitatem proximorum.

PROVINCIA VENETA.

IN HAC PROVINCIA ſocij fuere quattuordecim ſupra trecentos.in Domo Profeſſa Venetijs vnus & quadraginta : in Collegio Patauino quinquaginta ſeptem:in Brixienſi triginta quinque:triginta & vnus in Bononienſi: in Ferrarienſi viginti tres: decem & octo in Veronenſi : in Parmenſi quattuordecim : in Mantuano & Foroliuienſi ternideni : in Mutinenſi vndecim : in Domo Probationis Nouellarienſi triginta quattuor: in Creta inſula ſeptem. Morte intercepti octo: Tredecim accepti in Societatem.

VENETA PROFESSORVM Domus.

MORTVVS EST Iacobus Antonius Segala Coadiutor formatus,cui diuturna laborum perpeſsio , & admirationem religioſæ virtutis, & fidem cæleſtis gloriæ fecit. concionatus vnus e noſtris in parœcia nobili, cum pari cupiditate animarum,& lucro. idem eſt factum,effectumque in templo noſtro,Quadrageſima,& Aduentu Domini . ipſum autem templum proxime conſecratum eſt menſe Iulio a

lio, a Franciſco Barbaro electo Patriarcha Aquileienſi,& patricio Veneto, ſumma ipſius voluntate,ac populi lætitia: auctumque ſacris veſtibus intertexto auro, ornatumque magnifice,præcelſum Euchariſtiæ pegma, carbaſino velo magni pretij inumbrante. Quadrageſima etiam, celebri in templo noſocomij publici, expoſita quotidie capita nonnulla ex hiſtoria Chriſti Domini patientis, & aſperſum aliquid vtiliter,incitandis animis ad odium peccati. has ob res,in multorũ animis, extinctis vitijs, accenſa virtus, conſopitæ inimicitiæ, damnoſa lucra redhibita,mulierum aliquot famæ curæque ſubuentum. Sacræ Deo virgines ſermonibus adiutæ,& auditæ confitentes. aditi vincti in carcerem,damnatique ad patibulum deducti,magno perinde ipſorum bono, quam numeroſiſsimæ vrbis exemplo. Illud vero huius reipublicæ erga nos beneuolentiam indicauit, & perpetuum iuſtitiæ tenorem, quod et Collegio Patauino, aduerſus nobilem Venetum, et Veronenſi, aduerſus Fiſcum, cauſam adiudicauit.

COLLEGIVM PATAVINVM.

PHILOSOPHIAE additum alterum curriculum, Theologiæ, explicatio linguæ Hebrææ,& ſchola de officijs ac moribus Chriſtianis. Et quamquã Academia publica Patauina

propter doctorum auctoritatem, & vrbis, abundat multis adoleſcentibus ex toto orbe Chriſtiano, tamen noſtrum gymnaſium vacuum non relinquitur: ad Theologiam ventitant auditores externi non pauciores quinquaginta: ad alias claſſes quadringenti: inter hos nobiles Veneti ſeptuaginta: & , fremente Satana, aliquid erat motuum excitatum: egerant enim aliqui cum Senatu populoque Veneto de noſtris ſcholis interdicendis: ſed Dei clementia, & prudentia ciuium ſedata res eſt, cum maiore ordinis noſtri commendatione. per eoſdem fere dies, cum iuuenes aliquot procaces, turbarum non nihil in noſtro gymnaſio dediſſent, Prætor Venetus, ne gliſceret malum impunitum, eſſetque omnibus magiſter officij metus, vetuit turbatores domo diſcedere: quam ob cauſam commota tota Accademia: nec prius deſtitit a cõſilio, quam a noſtris exoratus eſt, vt ignoſceret lapſis. ex eo, amantiore vtimur iuuentute: e qua etiam nonnulli apud nos conſcientiæ maculas pœnitentiæ ſacramento eluerunt. neque enim ſolum in erudienda iuuentute elaborant noſtri, ſed multo magis in eadem, & ciuitate vniuerſa, quantulum quidem poſſunt, ad pietatem excitanda. Duo in ſummo templo conciones ad populum habuerunt: alter ieiunio ante Paſcha, alter ante Domini diem natalem. in noſtro etiam templo explicari cœptus liber Geneſeos, & eſca

multi-

multiplicis doctrinæ adhæſit hamus Chriſtianæ virtutis in pectoribus multorum. Congregatio vtraque Parthenia augeſcit. noſtri autem non modo ipſi in ſex templis huius vrbis exponunt Chriſtianæ religionis rudimenta, ſed & fuere auctores conflandi Sodalitij e viris nobilibus, tam vtili ſtudio promouendo. exercitia ſpiritualia, præterquam quod multis adoleſcentibus, tradita etiam non nullis ex præcipuis ordinibus religioſorum, eorumque nouitiorum magiſtris: ea dexteritate, vt eo maior emerſerit vtilitas, quo liberioribus ipſi animis, nemine e noſtris inuitante, ſe informandos obtulere. Quidam ex ære alieno ad deſperationem adactus, cum laqueo vitam finire cogitaſſet, ægre a domeſticis retardatus, noſtrorum poſtea oratione reſipuit, & paucis poſt menſibus, criminibus rite expiatis deceſsit. nec defuere primariorum Academiæ doctorum erga nos teſtimonia voluntatis. Iacobus Zabarella, tum ſubtilitate, tum etiam doctrina Philoſophus in primis excellens, quod ipſius ſcripta declarant, inter noſtrorum manus expirauit: is in eo volumine, quod edidit paulo ante mortē, honorificis verbis noſtram Societatem appellat. Eodem modo Hieronymus Capiuacchius medicus primi nominis, decedens, locum ſibi ſepulturæ in noſtra æde delegit, legatis aureis mille altari maximo excitando, in æde noua quæ extruitur: eius exemplum paulo

poſt

poſt ſecutus ipſius frater, quadringentos reliquit ad eam pauimentandam: ad ædificationem denique promouendam, alius, qui erat ſacerdos, aureos ſexcentos.

COLLEGIVM BRIXIENSE.

LAVRENTIVS Bononius Rethoricæ magiſter deſignatus, obijt diẽ extremum: ceteri, tum quotidiano opere, tum exercitationibus ſpiritualibus, per eos dies quibus prolatæ ſcholæ, in ſtudium religioſæ perfectionis incubuerunt. eius rei, vel hoc vnum argumentum, quod vnus e fratribus rei domeſticæ adminiſter, cum iter faceret ſolus, ac præter patriam tranſiret, vbi parentes multis ante annis non viſi, voluptatem, quam ex eorum aſpectu complexuque cepiſſet, poſt habuit cupiditati Dei placendi. in templo principe, diebus maioris ieiunij, euangelia explicauit populo vnus e noſtris: qui & ineunte poſtrema hebdomada, qua inſtituitur comprecatio, de more, ad horas quadraginta, quadragies mutatis vicibus, toties ad recentes verba fecit accommodata tempori, non ſine admiratione non intermiſſæ vigiliæ, & ſuccedentis laboris. in eodem templo alter Eccleſiaſten egit menſe Decembri, magno audientium fructu. magnus fuit numerus confitentium. Initia legis Chriſtianæ, & in templo noſtro expoſita, & in nonnullis

nullis alijs templis. Sodalitas Chriſtianæ doctrinæ conſtat hominibus fere quadringentis, e quibus nobiles bene multi, aliquot etiam e primoribus vrbis. horum omnium officium munuſque in rudiorum cultu eſt occupatum, non in vrbanis modo ſcholis, ſed & in villis oppidiſque ſubiectis: quo pergere interdum ſolent, nulla, nec moleſtia itineris, nec difficultate temporum, deterriti, ſpatio milliarium, etiam quinquaginta. Huius Sodalitatis moderator, ſecundum Epiſcopum, eſt vnus e noſtris, eaque res ſodalium rationibus conducere videtur. Accerſimur ad damnatos capitis, ſubſidio ſimul ſolatioque multorum: e quibus vnus cum totam per vrbem carruca vectus candentibus vngulis excarnificaretur, in ſingulis ferme compitis affluentem multitudinem admonebat, vt recte vitam inſtituerent, vitarentque improborum conſuetudinem: & alienis malis vtili exemplo docerentur. alter non ſolum animum aduerſum ſuprema firmarat, ſed ita erat promptus in ſpem alterius vitæ, vt, aſſiduis cum Chriſto colloquijs, exultantis ſpeciē præſeferret. res tulit aliquando, vt cum duo conſcij & participes fuiſſent eiuſdē ſceleris, vnus, qui natura corporis, an metu ſupplicij, vim tormentorum pertulerat, iraſceretur alteri, tamquam auctori mortis, & infamiæ, qui conſcientia victus, ſeu dolore, maleficium indicarat: ſed noſtrorum tandem oratione inflexus eſt, vt et

veniam

veniam illi daret, & communem pœnam æquiſſimo animo ſuſtineret. Duo e noſtris ingreſsi noſocomium, ægrotorum animis, corporibuſque curandis, inciderunt in vnum, qui labentem iam ſpiritum ſtatuerat reddere ſine ſacramento confeſsionis: et viſa res digna eſt, quæ non haberetur neglectui. igitur altero ad alios ſe conferente, relictus alter, ita hortari, orare, impellere hominem cœpit, vt vicerit pertinaciam: aduocatur ſacerdos, auditur confeſsio, æger poſtridie ſacram ſynaxim ſumit, ſimulque recipit valetudinem. et miratus eſt idem noſter paucis poſt diebus reuertens ad valetudinarium, cum vegetum atque alacrem offendit, quem mortuum exiſtimabat: gratias ille egit, & facti cauſam lætanti aperuit, cum inſigni numinis commendatione. Congregatio maior beatæ Virginis, aucta numero ſodalium in incepto feliciter progreditur. gymnaſium quattuor claſsibus diſtinguitur: in quibus adoleſcentes plerique omnes nobiles politioribus litteris erudiuntur ad ducētos quinquaginta: neque enim plures gymnaſium capit: raræ omnes indolis, & excellentis pietatis. ex ijs delecti quinquaginta, flos iuuentutis, Sodalitio minori beatæ Virginis inſcripti. Menſe Auguſto, ferijs Sancti Laurentij, in templo maximo recitatus dialogus a noſtris diſcipulis de rebus ad Chriſtianam doctrinã pertinentibus, in maxima populi corona: præuia diſputatione quæ

inter

inter ſeptem habita eſt. occaſionem dedit ſollemnis puerorũ de doctrina Chriſtiana concertatio ex inſtituto eius Congregationis, de qua diximus ſupra: victores a duobus Præſidibus, Epiſcopi nomine, argentea cruce non leuiſsimi ponderis ad collum appenſa, equeſtri dignitate vocabuloque inſigniti ſunt. habuit ea res excogitata a noſtris mirificam omnium approbationem. Super ſolitam liberalitatem ciuium, Angelus Paradiſius, cuius opera primum in hanc vrbem Societas inuecta eſt, moriens trecentos aureos Collegio noſtro reliquit: hac ratione leuatum æs alienum, quo premimur. ad fabricam etiam Collegij non nulla acceſsio facta. auctumque ſacrarium ſupellectili non exigui pretij.

COLLEGIVM BONONIENSE.

HIC ETIAM frater vnus deceſsit. Quidam e noſtris mandatu illuſtriſsimi Cardinalis Palæoti, bis hebdomada in templo maximo exponit officia hominis Chriſtiani: cumque ſemel quot menſibus, tum in oppidis huius diœceſeos, tum in vrbe ipſa, qui habent procurationem animarum, proponant ſpecies aliquot facti communiter excutiendas, vrbanorum conuentui idem præſidet Pater, diſceptator & arbiter: oppidanorum, conſilio moderatur: nec deſunt deinde e noſtris qui matutinis

pome-

pomeridianiſque ſermonibus elaborent in populo erudiendo. Ex ijs, qui celebrant gymnaſium, tres Societatem impetrarunt: alij nonnulli varia religioſorum cœnobia ingreſsi. multi pacificati inter ſe, qui implacabiles inimicitias gerebant. multa ſuis dominis reſtituta. hæretici aliquot ad fidem, noſtrorum impulſu, reuerterunt. ad exoluenda peccatorum vincla pijs collocutionibus excitati complures. ex ijs, quæ in hoc genere accidere memoratu digna, ſeponam breuiter vnum, atque alterum. Quidam adijt vnum e noſtris ſacerdotem, eique extra confeſsionem, aperit flexo ore in mæſtitiã, ſibi, per duos iam menſes, quamuis rei ſacræ ſæpe interfuerit, numquam viſam ſacroſanctam Hoſtiam, aut calicem ſalutarem: perſuadet homini ſacerdos peccatorum confeſsionem: cum audiret ſacrum poſtridie, diſcuſſam ſenſit illã caliginem, quæ præſtinguebat aciem oculorum. Alter ſacerdotio præditus magna vir probitate, ac ſpectata virtute, ſub mortem mali inſtinctu dæmonis deſperabat animæ ſalutem, illud ſubinde repetens: Igni ſempiterno addictus ſum: fecit mea negligentia, vt nullum fructũ e Chriſti ſanguine percipere poſsim. itaque alte hanc cogitationem in pectus ſuum demiſerat, vt neque a domeſticis, neque a religioſis aliquot hominibus extrahi poſſet. placuit diuinæ bonitati, vt vnius e noſtris alloquio redderetur animo tranquillitas, & mens ægroto:

cuius

cuius alia deinceps fuit oratio: nam et magnã ſpem concepit diuinæ miſericordiæ, & durante tractu & lentitudine mortis, venia a circum ſtanti bus petita, ingenti cum gaudio deceſsit. Patris Viſitatoris aduentu magna in noſtris facta acceſsio ad pietatem. Quod ad rem externam attinet, Collegium, Dei beneficio, auctum: et pars eius anterior propemodum abſoluta: addita aliquot cubicula: ad annuũ præterea vectigal, ſiue propter emptam domum, ſiue propter cuiuſdam e noſtris hereditatem, aureorum ducenum quinquagenum reditus acceſsit.

COLLEGIVM VERONENSE.

NEQVE HOC COLLEGIVM funeris expers fuit. Obijt Pater Paulus Vizanius, de Germania benemeritus: qui cũ huc e Collegio Patauino ad balneas veniſſet, vim morbi ſuſtinere non potuit. Multis locis in hac vrbe ſemen ſparſum diuini verbi: et fuit aliqua meſsis. in ſummo templo mane veſperique, diebus legitimis: ter præterea ſingulis hebdomadis in ſacello Epiſcopij: ad quattuor deinde cœnobia virginum, e quibus duo confeſsione expiata, habitæ conciones. in publico etiam gymnaſio Epiſcopij explicatæ controuerſiæ, quæ ad conſcientiam pertinent. Diſcipulorum Sodalitas, virorum item altera pietate preſtantium,

ad Romanam adiunctæ. Doctrinæ Chriſtianæ promouendæ, cuius procuratio noſtris incumbit, inſtitutæ Sodalitates duæ: puerorum vna quadraginta: altera adoleſcentium triginta quinque: horum plerique ſacramenta in templo noſtro frequētant. proſpectum pariter huic operi, tum per religioſos ſacerdotes, tum per alios pios viros, qui in noſtris Sodalitatibus numerantur. confeſsiones repetitæ a pueritia circiter ducentæ: ea fuit occaſio vt reſtitueretur pecunia, cuius ſumma ad centenos, ducenos, quadringenos aureos aſcendit. Complures e noſtris diſcipulis, ex ijs præcipue, quos ſibi Deipara ſegregauit, ad varios religioſorum ordines ſe recepere. ægrotis, ac cuſtodijs publicis frequens opera data eſt. Templi noſtri cœpta ſuperiore anno ædificatio, vſque adeo proceſsit, vt tota ſuperior pars, vbi ſacellum maximum, & ſacrarium, perfecta ferme ſit. Templum eſt a noſtro Collegio valde remotum, cui magna pars vrbis ſubijcitur: ipſi præſidet Marcus Cornelius nobilis Venetus, cuius permagna erga nos beneuolentia: is vbi primum effectus Abbas ſuſcepit regimen templi, ad eam vineam verno tempore excolendam quemdam e noſtris impetrauit, qui cum binis quotidie ſermonibus ad amorem Dei excitaſſet populum, cetero etiam anno in eodem labore perſeuerauit: antemeridiano tempore euangelia, pomeridiano decalogum explicabat. ratio-

nem

nem afferens, qua ſe quiſque excuteret in ſingulis præceptis. ex ea re effectum, vt plerique auditores inſtituerint confeſsionem generalem, aſciuerintque conſuetudinem ſæpius confitendi. Igitur quarta Dominica Quadrageſimæ, Abbas ipſe cæleſti epulo verboque populum excepit. diebus aliquot ante Paſcha, præparandis animis ad ſollemnem ſynaxim, inſtituta comprecatio horarum quadraginta, magno templi apparatu, & ciuium conuentu. qualibet hora adhibebatur diſputatio de Chriſti Domini cruciatibus: Abbas duodecies perorauit, horis viginti in precibus fuit: reliquo tẽpore ſacerdos noſter, & externi ſacerdotes aliquot, eadem de re habendis ſermonibus, multorum animos ad lacrimas impulerunt. Inſtauratæ deinde eædẽ preces, peccatorum veniæ conſequendæ, menſe Iulio, die Sancti Iacobi, & altero deinceps beatæ Annæ, ædis ornatu, & hominum concurſu non minore. libellus de myſterijs Dei matris ex compoſito editus fuerat: & de ijs verba facta horis ſingulis ad populum frequentem. his incitamentis adducti multi ad ſacramenta ſæpius vſurpanda. proinde curatum, vt eſſent qui miniſtrarent. reſtitutus mos prohibendi aditu templi, qui Paſchate non communicaſſent: eaque de re noſter ſacerdos publice diſſeruit. ita e ducentis qui abſtinuerant, centum & quinquaginta benigne admoniti reſipuere: re-

liqui a piorum cœtu faceſſere iuſsi: pauci perui uaces, ad alia loca migrarunt. Ceterum pars illa vrbis adeo expurgata eſt, vt cum mulierculæ cuidam domicilium quæreretur, nullum ſit inuentum: ac quæritanti reſponſum, ea in regione, quæ iam in melius mutaſſet viuendi rationem, neminem locaturum domum quantocumque pretio, ſi peccati periculum metueretur. ſtuduit præterea noſter idem, vt ne ijs, qui ob inopiam, feſtis diebus ſub Auroram tãtum, ad ſacrum accedere poterant, verbum Dei deeſſet. Hæreticus quidam, cum ex Alpibus Rheticis in hanc vrbem veniſſet, diuino, vt res ipſa docuit, impulſu, illam ipſam ædem, de qua modo loquimur, ingreſſus, Catholicum ſe velle eſſe profeſſus eſt: igitur receptus ipſe cum familia, in fideque inſtructus, Eccleſiæ reconciliatus eſt.

COLLEGIVM PARMENSE.

ET HIC, VNVS amiſſus morte. tres admiſsi, eius vicem expleuere: alij præterea, de noſtrorum conſilio, alia religioſorum caſtra ſecuti ſunt. Concionatus eſt vnus e noſtris in æde vrbis maxima, per quadraginta illos dies, qui ſunt pœnitentiæ dicti, frequenti cœtu, & ſatis vberi auditorum fructu. Doctrinæ Chriſtianæ ſcholæ duæ nuper inſtitutæ: vtile inuentum: nec nihil profuit excitandis pue-

rorum

rorum ingenijs,ac ſtudijs parentum,magnifica diſputatio & dialogus in noſtro templo. Turca, iuſſu ſereniſsimi Principis a noſtris ad fidem inſtructus,ablutus eſt: is nunc exercet Chriſtianam pietatem,vt præluceat omnibus exemplo. Itum ad carcerem publicum,audiendi vinctos, & ſacra faciendi: neque ipſi ſolum ad ergaſtulum, ſed damnati etiam ad ſupplicium,æquo animo perferendum adducti. redintegrata pax inter multos, ternos inter præcipue, quorum odia ingens perturbatio rerum ſequebatur. adiuti morientes. Qui miſſus eſt a ſummo Pontifice ad Parmenſem Eccleſiam regendam nomine Vicarij Apoſtolici, noſtra opera vtitur aſſidue, ipſeque ſuam erga nos beneuolentiam oſtendit: venit ad noſtrum templum frequens, vbi & rem diuinam facit, & ſanctiſsimum Chriſti corpus populo præbet. In funere Alexandri Farneſij Cardinalis, delectus a principe vnus e noſtris, debitis laudibus proſecutus eſt mortem viri ampliſsimi, magno cum ſolatio audiētium,& ipſius oratoris commendatione,cui gratiæ a Principe et a proceribus actæ. Ceterum ex hac oratione,& ex altera, quam præceptor noſter habuit in templo, magna corona principum & nobilium virorum, qui vltro nec inuitati cōfluebant, mirum,quantum noſtrarū ſcholarum exiſtimatio, & fama creuit. florent autem ſcholæ nunc,vt maxime,tum frequentia diſcipulorum,tum etiam nobilitate & ingenio.

Idem eſt ſtatus Congregationis Partheniæ, qui prior, ſed maior fructus. Templum noſtrum qua vetuſtate conſumptum, reſarcitum: qua inchoatum erat, ferme perfectum eſt. in dextera parte, ſacellum beati Rocchi: quod eſt Deiparæ ſacrum, illi ex altera parte reſpondet. ara maxima in commodiorem locum trãslata eſt; circumque illuſa auro, & varijs imaginibus egregie pictis exornata. Sacra demum ſupellex veſte permulta, & argentea pyxide, aucta.

COLLEGIVM PLACENTINVM.

IN AEDE NOSTRA conciones iam haberi cœptæ magno nobilium virorum, ac feminarum concurſu. in æde etiam maxima vnum e noſtris Quadrageſima concionantem, & frequentia hominum, & laus concionum, ac fructus, præter ceteros celebrauit. Plurimæ confeſsiones de totius vitæ criminibus auditæ. viuida multorum odia ſepulta. diſcipulorum numerus quam alijs annis maior, & gymnaſij exiſtimatio: ſic nempe, vt primores ciuitatis, ſi locum in eo filijs obtinuerunt, ſingulari ſe beneficio affectos arbitrentur. in inſtauratione ſtudiorum oratio habita, eo magis ex ſententia ceſsit, quod ſereniſsimi Principes Ranutius & Odoardus præſentes fuere. Ciuitas tenuitatem noſtram libenter ſuſtentat: cum ad conſilium publicum de templi

templi ædificatione relatum eſſet, aurei ducenti ad ferreas compages ſuſtinendo fornici ſumma omnium voluntate decreti ſunt. ſæpe etiam ornatus ſacrificalis offertur. emptum prædium ſuburbanum, quod tum frugiferum eſt ipſum, tum etiam opportunum animorum relaxationi. et habebamus quidem iam inde ab Duce Octauio Farneſio fundatore aliquam iuris præſcriptionem, ſed opponebatur ſcopulus, quem tandem hoc anno principum aliquot virorum erga nos beneuolentia, & auctoritate ſuperauimus: vt facile appareat, quantas pro accepto beneficio bonorum auctori gratias agere, & habere debeamus.

COLLEGIVM FERRARIENSE & Mantuanum.

IN FERRARIENSI diſcipuli magna ſpe bonaque indole duo recepti. Duo ex inueterato concubinatu extracti. Vir & vxor qui quattuordecim iam annos ſeparati parum pudice vixerant, vetus odium & peccata depoſuere.

MANTVAE hæc in ſummma geruntur. In noſocomijs & carcere, confeſsiones exceptæ, erectique rei capitales, vt in ſubeunda pœna gererent animos laude dignos. Germani qui ſunt ad cuſtodiam corporis Duci ſereniſsimo, apud vnum e noſtris conſciẽtiæ maculas eluũt.

Qui nos adeunt gratia pœnitentiæ, per multi ſunt, ac plerique nobiles: totius vitæ crimina a nonnullis patefacta: e compluribus, atque in his, a mulieribus præmortui pudoris, vita turpis cum honeſta mutata. homicidiorū conſilia repreſſa: æs alienum non leuis ponderis reſtitutum a multis. Ceterum Bacchanalibus ſupplicatio quadraginta horarum in æde noſtra indicta, et, quod mirum, illis diebus ſuperfluente multitudine. Sereniſsima quidem Leonora Auſtriaca Ducis mater, quæ in priſtina ſua erga Societatem noſtram beneuolentia perſeuerat, in ea comprecatione peraſsidua fuit: etſi par eius humanitas ad omnia pia loca ſe porrigit. Templi ædificatio eo perducta eſt, vt ſperemus, Deo volente, nos intra annum eo vſuros. hoc quidem anno, partim a matre Ducis, partim ab ipſo Duce, illa hortante, tria aureorum millia attributa.

COLLEGIVM FOROLIVIENSE & Mutinenſe.

MIGRAVIT VNVS ſacerdos magna laude ſilentij, & paupertatis ornatus: moribundus, de virtutibus, de obedientia præcipue diſſerebat, canebatque pias aliquot cantiones, et quaſi præſentem haberet cæleſtium chorum, eos vt cantarent viciſsim, & reſponderēt inuitabat: migrationem hic ſuam præſciſſe, & prædi-

prædixiſſe quodam modo videtur: affuerat mulieri, quæ credebatur animam efflatura, deinde in reditu, hæc dicit ſocio. Hæc quidem mulier hoc morbo non morietur, mihi paucis poſt diebus in Domino eſt moriendum. vtramque prædictionem euentus approbauit. Subijciam nũc aliquid non indignum. Mulier quædam erat curis exercita, a quibus nullam reperiebat, nec interdiu, nec noctu quietem: adijt ad hunc de quo dicimus, ſacerdotem, cauſa confeſsionis: leuari cœpta eſt: eo mortuo, eædẽ curæ recruduere. excitauit ipſa cogitationem ad memoriã defuncti, eiuſque patrocinio ſe cõmendauit, quem iam confidebat in cælo eſſe: res mira, abſceſsit extemplo omnis moleſtia, quæ animum exedebat. Vnus ad domeſtica miniſteria in Societatẽ adſcriptus. multi omnem vitam confeſſione aperuere. non defuit noſtrorũ opera agentibus animã, illis præcipue, qui ab exactore ducebantur ad necem. Dux Branſuicenſis, lectiſsima femina, cum e nuptijs magni Ducis Hetruriæ rediens, ſacroſanctã Deiparæ domum, quæ Laureti religioſiſsime colitur, inuiſiſſet, in hãc vrbem flexit, honorificeque ab Antiſtite, totaque ciuitate excepta eſt: venit in noſtrum templum, vbi eius impenſa ſacellum maximum extruitur: et magnopere lætata eſt, quod illud viderit pæne abſolutum. temporarium altare eo die ereximus, ornauimuſque: vbi collocatum ſimulacrum beatiſsimæ Virginis, quod olim ip

ſa miſerat dono. etſi eodem die eius liberalitas etiam illuxit; non ſolum quod trecentos aureos reliquit, ſed multo magis, quod donauit capſulam plenam reliquijs Sanctorum, ſerico argentoque intertextam: coram Epiſcopo, Prætore vrbis, cunctiſque magiſtratibus teſtata, eas reliquias abſtuliſſe a ditione ſua, ne in hæreticorũ manus peruenirent: voluit eius rei extare teſtimonium ſuo chirographo, cui etiã aliquot viri primarij ipſius rogatu ſubſcripſere. Sodalitas Parthenia cum Romana coniuncta: ex ea, duo præcipue, ſingulis ferme diebus, tum ſuis facultatibus, tum quæſita etiam oſtiatim eleemosyna paupertatem ſuſtentant. Oratorium ſuperioribus annis in Collegio noſtro inchoatum in dies effloreſcit: vno quidem die dederunt nomina viri e prima fere nobilitate, inſtar quinquaginta: omnes ſemel hebdomada certo die conueniunt. Aliquod etiam opis deriuatum in loca ſuburbana. Quadrageſima diebus feſtis ab vno e noſtris conciones habitæ in pago propinquo. itum interdum in oppidum, edocendi rudes elementa Chriſtiana, cum approbatione omnium, fructuque multorum.

MVTINAE, QVO liberius noſtri in proximorum ſalutem incumbant, multis iniecit Deus hanc mentem, vt eorum tenuitatem beneficijs & liberalitate proſequantur. igitur munera Societatis alacriter obita. Confeſsiones,

nes, atque in ijs plurimæ totius vitæ, cum fru-ctu extitere. adiuti ægri, aditique qui in carcere attinebantur. per vim & fraudem ablata res, famaque, reſtitutæ. Simultates, quæ honeſtos inter viros inueterauerant, compoſitæ: fuere etiam curæ cœnobia ſacrarum virginum. Ceterum, eorũ numerus qui rudimenta fidei pueros docent, ac frequẽter communicant, in dies augetur.

DOMVS PROBATIONIS Nouellariæ.

MINAX ANNVS & turbidus fuit in hoc tractu, ſubito horrore belli, quod ſtrepitu horribilius quam ictu detonuit: et ingruit nimbus militum, in ſpeciem ac terrorem omnia diripiens, et vaſtans: ſed tranſijt noſtros agellos, quæ plurimorum ciuium ſegetem grãdo percuſsit: vt eos appareret eſſe alumnos pacis, atque adminiſtros, qui in communi ſtrage erant intacti. et certe in eam pacificationem nos interpoſuimus, fuimuſque interdum auctores, vt abacta præda reſtitueretur. cum tamen interea, caſtigatione corporis, et numquam interruptis precibus (vt eſſet dies nocteſque, ſeruatis inter noſtros vicibus, qui ante Euchariſtiam ſupplex procumberet) inſtaremus numini placando. in digreſſu exercitus Deo grates

actæ, qui Societatem in hac ora poſuiſſet. ipſis vero Comitibus Alphonſo & Camillo, non tantum ad amorem in nos, verum etiam ad beneficia cumulus acceſsit. nam ſuper commune donum frumenti modiorum viginti quinque, Camillus domum noſtram noua ædificatione laxare inſtituit: et quamquam tam impeditis temporibus multa interpellarunt incrementum operis, tamen ita proceſsit, vt ſeſquialtera pars ſit ad faſtigium perducta. Alphonſus autem commoditati noſtrorum facere conſtituerat domum, loco amœno ac ſalubri, in quodam oppido, ſextò ab hinc lapide: & iam ducenos aureos vectigales attribuerat, et inchoauerat templum: ſed mors interceſsit: de qua breuiter dicendum. Quattuor menſes graui morbo ac difficili laborauit, vlceroſo corpore, magno animo dolorem ferens, & aſpectum ſuorum: vxori ſpem vitæ afferenti, an ſimulanti: An tu, inquit, ſi me amares, diutius confici velles in hoc ſepulcro? confeſsionem generalem, etſi fecerat ante alias, repetijt, tanto cũ ſenſu, vt præ fletu vix intelligi poſſet. ſexies toto tempore ægrotationis cæleſti cibo ſe refecit: hoc mirum, quotieſcumque eum recepiſſet, reuocato quaſi a limine mortis redibat ſpiritui vigor: id extremo maxime patuit: cum enim alto mergeretur ſomno, atque excitari non poſſet, inclamante ſacerdote, et admonente proximæ migrationis, collectis viribus ani-

mum

mum recepit: mox accepto viatico, ita in melius ire viſa ipſius valetudo, vt ſpes noua ſalutis affulſerit: ſed poſtridie grauiore ſopore correptus, experrectuſque ad ſacram inunctionem, ſupremis ſacramentis munitus, cum animo atque oratione conſiſteret, ſancte deceſsit ac pie, vt non vitam relinquere, ſed mortalitatem videretur. neque illud caruit admiratione, protractam ab eo vitam, contra medicorum ſententiam, ad lucem vſque beato Franciſco ſacram: vt quem patronum ſibi viuens delegerat, oſtenderet ſe in eius patrocinio animam efflare: magnum ſolatium mortis: cui peruulgatæ, ſtatim in his terris, multi, atque in his, Regienſis Epiſcopus inuidiſſe ſe potius, quam illacrimaſſe ſcripſerunt. eius certe vxor, virilis animi femina, ſe domumque totam ab infirmo deſiderio, & muliebribus lamentis ad imitationem viri contulit, contemplationemque eius virtutum, quas neque lugeri neque plangi fas eſſe arbitratur: vtiturque ipſa, quod et facit Comes Mirandulana, & Antiſtes Regij, multis in rebus, ope conſilioque noſtrorum. Ceterum hæc domus plena eſt adoleſcentium magnæ ſpei: ex his duo ſponte a parētibus oblati: vnus autem a patre, cui erat vnicus, incluſus domi, ſe per feneſtram demiſit, magno periculo: ad nos cum aduolaſſet, miſit ad animi atrocem, & peruicacem ira, epiſtolam plenam prudentiæ, qua accepta, quieuit commotus

animus,

animus, & in locum iræ ſucceſsit gratulatio.

MISSIO CRETENSIS.

IACTATI PERICVLIS, qualia plerumque affert nauigatio, decimotertio Calendas Septembres noſtri in Cretam, ad vrbem Candidam applicuere: excepti ſunt ingenti lætitia omnium, eorum præcipue, qui nomine Venetorum reipublicæ, regimini præſunt: per hos, obtentus locus ædificando Collegio. Rhetimæ Epiſcopus, cuius opera, ductuque huc venimus, ære ſuo, quoad poteſt, & auctoritate adiuuat ædificationem, totoque animo de nobis, & de noſtris commodis cogitat: exemploque fuit viris primarijs, vt nos benefice complectãtur. Diuerſati ſunt ſocij ad aliquot dies, dum inſtruitur domus et templum, apud Franciſcanos, loco ab illis remoto, ac libero: hic cum eſſent, aduentantibus multis, inter quos & filij erant virorum nobilium, expoſuere Catechiſmum, adiere ægrotos in valetudinario, audiere Latinos milites, qui in his locis excubant ad ſubita belli, cum peccata confeſsione aperirent: exercitationes ſpirituales tradidere nonnullis. excitauit hæc fama omnes fere Epiſcopos inſulæ, qui et cupiunt a nobis Collegia in ſuis vrbibus collocari: hoc Canea ciuitas poſtulat, hoc Rhetima, loco ſatis commodo & templo oblatis. Rhetimæ autem Quadrageſi-

ma

ma concionatus vnus magno applauſu omnium æque ac fructu.id adeo acceptum ex epiſtola, quam ipſe dedit, cuius fere hæc verba. Veni Rhetimam, mente ab omnibus, ac fronte benigna acceptus.eodem die ad me adiere primores vrbis, in quibus magna pietatis & beneuolentiæ erga Societatem argumenta perſpexi. Singulis diebus feſtis, & ter præterea quot hebdomadis, ſermones ad populum habui: de Iubileo, quod promulgauit Epiſcopus, concurrentibus etiam Græcis, ſeparatim diſſerui. & audiui multorum, atque in his aliquorum generales, confeſsiones. diſsidentes placati, pacatique non pauci. concubinæ excuſſæ. egi in concione aduerſus peruerſam huius regionis conſuetudinem, vt mulieres, ſua ne, an maritorum culpa, diebus feſtis non interſint ſacris myſterijs: & iam videas nobiles matronas ad templum frequentes: aptatur peculiare illis ſacellum, vbi non tutæ ſolum, ſed etiam ſecuræ eſſe poſsint. hæc niſi adhibeatur cautio, vſus ipſe docuit rem futuram in magno diſcrimine. in diſceſſu conueni publicos magiſtratus, qui ampliſsimis verbis oſtenderunt noſtrum officiũ fuiſſe ſibi gratum, Latiniſque militibus ſalutare. Hæc pauca ex ipſius epiſtola. Ceterum in hac miſsione duo fratres obiere. totidem ſubmiſsi Iulio Menſe, & ſacerdos præterea vnus, Græcæ peritus linguæ, quo pluribus munimentis expeditio inſiſtat.

PRO-

PROVINCIA POLONIA.

VERSATI SVNT in hac Prouincia Socij trecenti triginta quinque. in Collegio Branſbergenſi triginta: in Pultouienſi viginti duo: ſexaginta duo in Vilnenſi: in Poſnanienſi duo & triginta: in Iaroſlauienſi triginta quinque: in Lublinenſi viginti vnus: in Polocienſi duodecim: Rigæ, vt in exilio, ſex: in Caliſsienſi vndeuiginti: in Nieſuiſienſi ſedecim: quattuordecim in Derpatenſi: Cracouiæ, in Domo Sanctæ Barbaræ totidem: in Nouitiatu ad Sanctum Stephanum, modo quinquaginta, modo quadraginta: octo præterea Moldauiam incoluere, & Sueciam: duo cum Patre Prouinciali circumiere Prouinciam: tres in aula regia fuere; in Gedanenſi & Volinienſi miſsionibus bini. Recepti decē: Deſiderati quindecim.

COLLEGIVM BRANSBERGENSE.

CONCIONES IN AEDE noſtra, & in altero vrbis templo, fere continuæ. Itū frequenter in loca finitima, et vero etiam longius excurſum. in ea peragratione itinerum, & luſtratione terrarum, vnus e noſtris ſacerdos

dos virgines ad octoginta, in duobus cœnobijs præparatas ante pijs meditationibus, omnium annorum confeſsione expiauit. alter, ex Oliua (nomen eſt Monaſterij in Pomerania) nouum Abbatem, religioſis admodum moribus, ſibi a Cuiauienſi Epiſcopo, qui eum delegerat, cō-mendatum ad nos adduxit: mox diuinis commentationibus excultum remiſit, magna ſpe futuræ vtilitatis: cum eidem monaſterio ſubijciantur alia duo, & pagi circiter octoginta. idem grauem controuerſiam de Canonicatu Varmienſi, inter Collegium Canonicorum, & viros nobiles, accerſitus via milliarium ſexaginta, Dei beneficio, diremit. Scholæ in doctrina & pietate proficiunt: mirus feruor acceſsit, cum intellectum eſt per Reuerendum Patrem Generalem, factam eſſe poteſtatem, vt Congregationes Partheniæ, haud ita pridē conditæ aggregentur cum principe Romana: ita, cum olim vnus tantum eſſet iuuenum cœtus e noſtris diſcipulis, peculiari ſtudio beatā Virginem venerantium, neque vltra quadraginta, nunc quinque ſunt, & in eorum nonnullis, ſexageni cenſentur. acuit omnes æmulatio virtutis: nimirum ex hoc coniecturam facies de vniuerſis. vnius e conuictoribus, cum euocatus pernoctaret domi, per ſcortum a famulo perductum, tentata pudicitia, ſed tentata tantum: flagitij enim occaſio infra Dei timorem fuit. igitur quærentibus primo regnum

Dei

Dei, res etiam externæ adiectæ: pro conducta enim domo, qua conuictores vtebantur, eaque anguſta, vt non caperet amplius ſeptuaginta: ad annos ſeptuaginta data eſt gratis vtenda altera, commodior, ducentorum capax. Typographia præterea, Collegio, in commodum perinde, vt in ornamentum acceſsit.

COLLEGIVM PVLTOVIENSE.

POST SVPERIORIS anni peſtilentiam ſecuta eſt ſalubritas cæli, & vtilitas animorum. mirus concurſus ad templum cauſa ſacramentorum. triginta a criminibus totius vitæ, nouem ab hæreſi, vnus a ſchiſmate abſoluti. ex his mulier vna, quæ cum viro Catholico erat, nocturnis viſis admonita. Perſuaſum duobus, vt quas concubinas habuerant, vxores habere mallent. adoleſcentis nobilis, qui falſo inſimulabatur furti, famæ, reique ſubuentum. Sodalitium ſtudioſorum nobilium augeſcit. dedere ſpeciem pietatis, cũ decreta ſupplicatione quadraginta horarum, propter tumultum regni, non leue ſupplicium de ſe ſinguli publice ſumpſere voluntaria corporis diuerberatione. antiqua conſuetudo abluendi pedes pauperibus, & inſtruendi conuiuium, non intermittitur. Alteri item Sodalitio quod conflatur e ciuibus, præeſt vnus e noſtris: illius caritas ſæpe ſpectatur anno, cum prandium parat

egenis

egenis omnibus,qui in hac vrbe verſantur. ceteras vtriuſque Sodalitij laudes non perſequimur, quia, vt Deo placeant, qui faciunt plurimum,minimum de ſe ipſi loquuntur.amicorum ſolita humanitas.vnus iam pridem infenſus nobis,liberalem eleemosynam miſit,fidem mutatæ voluntatis. De excurſionibus ponam hoc tantum. Vir nobilis ad ſollemnes dies Paſchæ in pagum quemdam euocauit vnum e noſtris: templum illius pagi ab hæreticis tenebatur:igitur domi ſuæ extruxit ſubitum ſacellũ: quo,ad diuina ſacrificia,ſanctaque ſumenda myſteria, a paganis omnibus veniebatur, relicto Miniſtro hæretico, quaſi gallo ruſpante in ſterquilinio ſuo.

VILNENSE COLLEGIVM.

ANNVS PRIMA SVI parte lætior, media anceps,extrema luctuoſus fuit.Patres videlicet dilapſi ſuperiore anno metu peſtilentiæ, reuerterant Februario: et fuere per ſextum deinde menſem induciæ. rurſum principio Auguſti,valeſcente peſte, Collegio & vrbe cedere coacti ſunt.ita populoſam vrbem iuuandi cura, tam infeſtis temporibus,deuoluta ad paucos,qui in Collegio remanſerant, tanto in illis extitit illuſtrior, quanto a ſolita ceterorum ope atque auxilio remotior fuit.extincti e noſtrorum numero duodecim, totidem in eo-

rum locum à Deo ſuffecti. Nunc vt explicatius cuncta ponantur, altero quaſi ſumpto initio, de integro ordiamur. Diſciplinarum ſtudia non eum quem ſuperioribus annis conſueuerant, curſum tenuere. iuuentus enim quæ defluxerat timore contagij, primo contanter redire, quod rumor eſſet, neque ille falſus, nondum eſſe vrbem omnis periculi expertem. ſed & aliqui fidentiores, cum iterum graſſaretur lues repentino, fuga ſalutem quæſierunt. Ver ſcholas aperuit: primo die trecēti, poſt modum etiam ſexcenti numerati: dubio procul plures futuri, niſi peſtilentia intercesſiſſet. At, Deum immortalem, quam ægre a nobis multi diuellebantur, quam clarus aliquorum fletus, quam altum aliorum, ipſoque grauius fletu, in mærore ſilentium? hæc inter, non omittebantur queſtus, quos dolor ſuggerebat. eorum præcipue voces exaudiebantur, qui e parentibus hæreticis nati, contraque eorum voluntatem Eccleſiæ reconciliati, peius exilio patrium ſolum metuebant. neque horum deſunt inſignia probitatis, & raræ cuiuſdam virtutis argumenta. ex his pauca ſubijciam, gratia exempli. Vnus cum ab hæretico patre traditus eſſet Miniſtro æmulo inuentorum Caluini, corrumpendus, ab vtroque profugit, a noſtriſque, vt vel inter pauperes ſtudioſos ſibi eſſe liceret, etiā ſi oſtiatim victus eſſet emendicandus, efficaci prece cōtendit. Alter, parentes cuiuſdam puellæ, cuius ab ſe procacita-

cacitatem magno animo abegerat, admonuit, vt illius pudicitiæ diligentius conſulerent. pueri tres ſplendidis orti natalibus, a matre ſchiſmatica, nullis, nec minis, nec verberibus, adigi potuerunt, vt Miniſtri hæretici concionibus intereſſent. Duo adoleſcentes æque nobiles, e quibus alter vtroque parente hæretico natus, pia quadam contentione certarunt, vter eorum cuidam ad ſuſpendium ducēdo inſigne Crucis præferret: litem diremit vnus e noſtris, vt ferrent alternis. ergo in non maleuolas animas intrat ſapientia: idque perſpectum ſæpe, tum maxime eo tempore, quo Sigiſmundus tertius Poloniæ rex, die & vrbe frequenti, eſt primum Vilnam ingreſſus. celebrarunt hanc lætitiam verſibus innumeris, tam vbere materia ingenium excitante. tres autem gratulationes regiæ maieſtati factæ: ad arcum triumphalem, quem propter templum ingenti artificio erexerant propria impenſa: ad aulam regiam: ad Collegium noſtrum, quod rex ipſe inuiſere voluit. res autem in Collegio hoc modo geſta eſt. Omnium nomine ab vno e noſtris gratulabundo exceptus: rex ad eum per virum magnæ auctoritatis humaniſsime reſpondit. deinde ad ſcholas deductus interfuit dramati, quod dederunt adoleſcentes incredibili venuſtate, vt ſpectatoribus vbertim lacrimæ manarent. et certe actionem omnibus, & regi placuiſſe, ipſi etiam hæretici oſtenderunt: e quibus

vnus, audientibus ceteris, tam præclaram rationem inſtituendæ iuuentutis Patri Prouinciali gratulatus, orauit eumdem, vt perſiſteretur in incepto. Verum a rebus domeſticis veniamus ad externas. Doctrina Chriſtiana rudi plebi in præcipuis templis, compitiſque frequētibus, tradita: conciones habitæ pluribus locis. ægrotis in valetudinario, vinctiſque in carcere, egeſtate, morbo, alieno ære, aliave calamitate oppreſsis, oratione operaque ſubuentum eſt. Sed hæc communia, & vſitata: illa magis propria. additi religioni Catholicæ Scythæ duo, hæretici vndequadraginta, ſchiſmatici quinquaginta tres. Vir quidam magni nominis, etſi aliquot ante annis ab hæreſi ſe receperat, tamē ad perceptionem Euchariſtiæ non ita facile adducebatur: ſed tandem vnius e noſtris ſuaſu auidiſsime illud ſumpſit, a quo neſcio qua ratione improuidus abſtinebat. adoleſcens multa claritudine generis, cum ex praua hæreticorum conſuetudine, & viuendi licentia, nutaret, ne rueret, erectus. multi ſimiliter in fide firmati. quattuor e diuturnis luſtrorum tenebris emerſi. mulieres aliquot e cæno turpitudinum retractæ. vir vnus a mortis cupidine ad honeſtatem vitæ traductus. reuocatus vnus ab agitando fenore, et reddidit pecuniam, quam in vſuras extenderat. multorum pudicitia defenſa, partim etiam cōſeruata, & in tuto conſtituta. Sed maxime perſpe-

cta

cta noſtrorum induſtria in ſumma multorum inopia & fame. Sterilitas annorum ſuperiorum, præſertim proximi, eam caritatem annonæ fecerat, vt ex tota prope Lituania, ruſticani homines & agricolæ, deſolatis oppidis agriſque deſertis, quanta non alias multitudo, Vilnam confluxerint. accedebant ij, qui propter peſtilentiæ prioris incommoda, rerum omnium egeni, quo ſe liberoſque tolerarent, nihil habebant. homines deinde tenues, & manuum mercede inopiam leuantes, quæ maxima turba eſt, relicto ſellæ atque operis & quæſtus quotidiani loco, obſidere diuitum domos, pulſare fores, obſeruare egreſſus, vocibus & querelis cælum atque homines incendere, ad aliorum confugere miſericordiam, ea videlicet niſi vtantur miſerrime perituri. ibant cateruatim ſenes egeſtate enecti, orbatæ viris mulieres, deformatæ macie ac pallore, conſumptis lacrimis aſsiduo fletu, ſeu potius pudore, ac dolore nimio ſilentes, cum pueris quiritantibus, quos ægre trahebant. famelica deinceps omnis natio, viuentia mortalium cadauera, implebant omnia itinera et templa: tali ſpectaculo ad miſerationem ciuitas euicta: noſtrorum hortatu, cum xenodochia ſupereffluenti multitudini non eſſent ſatis; in vaſtam quamdam domum atque amplam reliquos cogit (aſsignatis, qui eam rem ſedulo ac diligenter procurarent) ſumptu publico alendos: multi dein-

de ſuper quotidianam liberalitatem, non paruam contulere pecuniam propagandæ plurimorum vitæ, qui mendicare neceſsitate coacti, verecundia prohibebantur. ita, cum paterent procerum arcæ, & tecta, & annona prouide diſpenſaretur, nonnihil ad eam rem noſtrorum cura conferente, dixiſſes ciuitatem permagnam minimæ domus diligentia contineri. Ceterum, vt ex antegreſsis morbis remedia, ex aduerſis rebus bona inſtituta reperta ſunt, hæc quoque temporum difficultas, optimæ conſuetudini adſciſcendæ noſtrorum admonitu initium dedit. Excitarunt Vilnenſes in templo noſtro Sodalitium Miſericordiæ, Montemque Pietatis: quod vtriuſque ſit munus, vel nomen ipſum declarat: illinc egrediuntur opem laturi egentibus: huc ſubleuandi confugiunt ære alieno oppreſsi. ipſo ſtatim initio, concurrentibus certatim plurimis ad tam inſigne opus, cum pro ſuis quiſque facultatibus aliquid pecuniæ pollicerentur, vir clariſsimus florenos obtulit mille: & magna ſpe res inchoata a non paruo auri numero collecto. Nec vero laboratum ſolum in vrbe feliciter: itum etiam foras æque proſpero euentu. Cauna oppidum eſt magnitudine opum, & claritudine incolarum, ante alia omnia Lituaniæ, vbi a Vilna diſceſſeris, quod etiam alias eſt dictum, memorabile: eius ciues, pro vetere ſua erga nos obſeruantia, a Præpoſito Prouinciæ vnum e noſtris, bona permulta

ab eo

ab eo ſperantes, impetrarunt. Ac, ne longum faciam, viciſſe viſus ſacerdos ſuis officijs illorum expectationem. a ſchiſmate quattuor, ab hæreſi mulier vna nota & nobilis, ad Eccleſiam redie re. multi confirmati in fide: ſoluti complures criminum nexu. et quoniam inibi non pauci hæretici, ne eorum matrimonia, baptiſmata, funera honeſtarent Catholici ſua præſentia, quod ſibi antea religioni non ducebant, paſſim deterriti. vis hominum ad concionem affluentium continenter magna: ſemel edicta ſupplicatione cauſa valetudinis, in tantum excreuit, vt cum omnes non caperet templum capacisſimum, in puro campo fuerint verba facienda. fuit bimeſtris ſacerdotis commoratio valde vtilis oppidanis, & diſceſſus moleſtus. At enim, dum domi foriſque res fluunt ex animi ſententia, vt extincta parum fideliter incendia maiore flamma reuiuiſcunt, ita etiam peſtis, quæ nuper remiſerat, menſe Iulio incanduit, cum feruore anni. igitur ſocij, relictis qui ſeruarent domi ſex fratribus, & Patribus tribus (e quibus vnus antequam reliqui diſcederent peſte hauſta, ſtatim vitam finiuit) itemque ſacerdotibus quattuor, qui eſſent ſubſidio ciuibus, & ſolatio, mutare vrbem coacti, in ſuburbanum prædium ſe receperunt. hic cum eſſent, colonos noſtros excitare ad pietatem, ad finitimos ire, cum vocarentur: etſi hoc non factum diu: vicinus enim pagus correptus pe-

 ſtilentia

ſtilentia prohibuit egreſſu: et mirum fuit ſeruatos omnes incolumes, cùm laborantibus colonis non deeſſent, et inter eos verſarentur plerumque infecti morbo. At quid factum per eos, qui remanſerunt in vrbe, diſtincte perſcribi non poteſt, cum et qui præerant, ſint morte abſumpti, et qui ſuperfuere, ſpectaculo morientium attoniti, & periculo mortis, non notandis rebus, ſed gerẽdis operam darent. In vniuerſum hæc pauca recordantur. Confitentium numerus, & communicantium, poſt hominum memoriam, in illa vrbe maximus: excitabat nempe quamplurimos ſuæ ſaluti indormientes imminentis exitij metus: quin & flagitioſi homines, & durati ad facinora, ad vrbem ſe conferebant, vt mortem anteuenirent peccatorum confeſsione. Sic hæretici multi, ſchiſmaticique ſanati, infames feminæ pudicitiam edoctæ, inter has lena quædam vitij olim male ſuada, peruertendarum mulierum ſtudium cũ earumdem conuertendarum ad Deum contentione mutauit: ſi quæ erant offirmatiores in flagitio, noſtris indicabat: neque enim ipſi ſolum ferebant opem vocantibus, aut venientibus ſua ſponte, offerebant ſe vltro, quærebant, quibus benefacerent. ita eueniebat ſæpe medicis animorum, vt cum incepiſſent neſcientibus adhibere curationem, imponentes vomicæ ſpõgiam ſcalpello inducto, ab ſaneſcentibus deinde orarentur, vt in curando perſiſterent, & a

perſa-

perſanatis poſtremo gratiæ agerentur. nec fiebat raro, vt reddita animo ſanitas, in corpus etiam redundaret. quattuor erant, vt dixi, in totidem partes ſibi vrbem deſcripſerant: in ſuam quiſque regionem ibat, albeſcente cælo, ſacro peracto, nec niſi inumbrante veſpera, pleni laborum & bonorum operum, ſub eadem tecta reuertebantur. nec carebat admiratione, totum diem verſantibus inter ægros, atque ipſa etiam inter cadauera, nihil mali adhæſiſse: adnotabant hoc ciues, & prædicabant. Eſſe opem qui alijs ferant ſua ſalute neglecta: eſſe, qui nullis nec incommodis nec periculis parcant, vt proſint etiam ignotis, eo tempore quo vel a proximis deſeruntur: nec vllum repetant ex eo opere pretium, aut gratiam. Hoc inter ſe multi. et Deus etiam ipſe aderat præſens conatibus ſuorum. reperiuntur nonnulli, qui ſe eorum attactu, vel impoſitis manibus, luſtraliſue aquæ aſperſione, indubitatam mortem depuliſſe teſtentur. ſed & accidit quiddã, quod excuſsit multis negligentiam confeſsionis differendæ. Mulier rogata à ſorore, & à ſacerdote noſtro, vt ne differret pœnitentiam, paruifaciebat preces vtriuſque, cui, noſter, Dei afflatus ſpiritu, an ſperans ſe aliquid minis profecturum, Triduo morieris: cum hoc dicto diſceſsit: prædictio habuit euentum. tertio die corripitur peſtilentia, admonitu ſororis ſacerdotem iubet accerſiri: ſed cum iam ipſe eſſet
pro

pro foribus, illa conceſsit e vita : fuit vnius exemplum correctio multorum. Et quoniam annonæ difficultas, ſæuitia peſtis intercluſo omni commeatu, eſt magis incenſa, vt multi etiam fame morerētur, huic quoque malo ſubuenerunt noſtri, magna pecunia collecta ab opulentioribus, qui vrbe exceſſerant. Quantum valet ſplendor religioſæ pietatis. multi qui deerrabant in hæreſi, redierunt in viam: ipſimet aduerſarij, indigne licet ferrent ſibi prædam eripi, videntes bona opera, non poterant non laudare auctorem Deum: & bene vt noſtris eſſet, ore precabantur. accedebat, quod res quoque domeſtica multorum, defenſa eſt noſtrorum auxilio. cum enim multæ diuitum domus vacue factæ eſſent diſceſſu dominorum, ope conſilioque prouiderunt, ne ſi in eas latrones irrumperent, plenas manus efferrent. nec minus auctores fuere, & adiutores extinguendi ignis, qui caſu ne, an dolo, in quaſdam domos adhæſerat, magno periculo vrbis. hæc propter atque alia, non ſolum propter religionem, ciues, noſtris ſacerdotibus, quacumque pedem ferrent, fauſtis acclamationibus eos proſequentes, cognomen indiderant paternæ venerationis. at noſtri tanto moderatiores, cū ſurgeret ſubinde noua laborum facies, magis operi inſtabant, illud vnum orantes Deum, vt ſi quidem ſibi moriendum erat, vltimi morerentur, quo plures cælo inferrent. neque irritæ

preces:

preces: cum enim vis morbi in dies ingraueſcens cepiſſet vires, quantas maximas poſſet, & exatiata mors nedum defatigata videretur mortales metendo, e quattuor illis ſacerdotibus, qui vrbem obibant, duo, rerum vſu, ætate, ac robore præſtantes, comprehenſi peſtifera lue, animam exhalarunt: vt inter vtrumque vix biduum intereſſet. at reliqui duo, etſi ætate imbecilliores, ac viribus, & amiſsis veluti magiſtris magno ſpoliati præſidio, non tardati priorum caſu, nec territi, inuidentes magis felicitati, acriores ad laborem rediere: vt qui præceſſerant, per eamdem ſemitam eoſdem ſequerentur. at vulgus vtroque funere elato, orbitatis luctu ictũ, lacrimis & conclamationibus dolorem teſtabantur, tanto certamine animorum, vt fidem excedat. orare proinde eos qui ſuperarant, Catholici, ne ſe ipſi amplius proijcerent, ſed parcerent vitæ, a qua pẽderet incolumitas et vita multorũ. ſatis ſuperque operæ datum ægrotis: nunc aliquid bene valentibus tribuendum. neque vero in publico periculo quærendam eſſe gloriam priuatam: domi ſe continerent, vt in templo conſulentibus præſto eſſent: nec deerant, qui morte ſua redimi vitam illorum, aut demi ſibi annos aliquot, cuperent, qui ijs attribuerentur. igitur vt res peramanter petita, ita obtemperanter conceſſa eſt. reuenere in Collegiũ noſtri: quod ſi quis ad præſtitutum tempus non faceret in

templo

templo copiam ſui, ilicet deſiderantium gemitus, & clarior etiam fletus, quaſi morbo oppreſſus eſſet. circumſiſtere etiam ianuam matronæ nobiliſsimæ cum viris & liberis, aditum orantes: hinc illa, cum cognouiſſent totam pæne familiam morte extinctam, non intromiſſarum querela. Seruari nos per veſtra funera, viuere veſtra morte, & nullum exiſtere a nobis officij genus, nec quemquam ſupremis veſtris intereſſe? Accidit aliquando, vt vnus e ſacerdotibus, qui ſolus erat ſuperſtes, cum daret aures confitentibus in templo, graui aliquo afflatus odore, e ſubſellio concideret moribundus. aduertit ille caſus multorum oculos, & accurrere trepidæ mulieres, virique, excitato clamore, qualis ſolet in improuiſa morte: circumſtetere omnes ſacerdotem vix compotem mentis, ac ſimilem expiranti. vellicant corpus, aquam aſpergunt, inclamant nominatim: at noſtro nec vox, nec ſenſus: hæc inter, ſacerdos quidam externus, innixus genibus ante imaginem Virginis, in cuius ſacello hæc acciderant, votum cōcipit peregrinationis Ceſtochouienſis, ſi pater reuiuiſceret: vix preces ediderat, cum ſublatis parumper oculis ſacerdos noſter ad ſe redire, deinde animus, mox etiam corpus, vigorē ſuum recuperare cœpit, communi gratulatione & lætitia: non aliter ac ſi reſtituta vni anima, omnium corpora ſeruata eſſent.

COL-

COLLEGIVM POSNANIENSE.

ETSI, APRILI ineunte, metu peſtis ciuitas trepidauit, et aliquorum clauſis domibus, noſtri quoque de claudendis ſcholis cogitabant, tamen erexit animos diuina benignitas, aſsiduis precibus exorata: qua factum eſt, vt non paucos auditores continenter habuerimus, et vnius morte peſtilentia defungeremur: quamquam alter etiam phthiſi extinctus. e miſsionibus crebris notabiles fructus. Sacrorum Antiſtites duo auditi, & ad ſynodũ inſtructi. Iam partem domi, partem foris, reconciliati Eccleſiæ amplius ſexcenti, in quibus multi nobiles, & non nemo ex proceribus regni; quinque templa trigeſimum ſextum annum ab hæreticis occupata, Catholicæ religioni reſtituta. Sacræ virgines in duobus cœnobijs ita ad pietatem eruditæ, vt ex his magiſtræ aliquot ad alia informanda, quaſi in colonias, rogatu Præſidum mittantur. Bis hæretici prouocarunt noſtros ad diſputationẽ, ſed in ſpeciem tantum: cum enim vrgerentur, ante diſcrimen feroces, in periculo pauidi, aliud videlicet agentes, amiſerunt ſimulationem doctrinæ. Semel tamen magiſter vnus hæreticorum, venire in dimicationem, & cedere coactus eſt. Sic & alias diſputatum cum Anabaptiſtis, vt nobiles iuuenes duo per baptiſmi ianuã

in

in Chriſti Eccleſiam intrarent. nobiles Prutheni duo, viginti milliarium itinere, ad nos venerunt gratia confeſsionis. Exercitationibus ſacris expoliti ſacerdotes quinque, & cœnobitæ nonnulli. a turpitudine vitæ multi reuocati. Ceterum, oblata a ciuibus pecunia, nouæque poſſeſsione villæ ſuperiore anno donatæ, ad ædificium & vectigal Collegij nonnihil acceſsit.

COLLEGIVM IAROSLAVIENSE.

TENTATA NONNVLLORVM valetudo: nam præterquam quod peſtilentia in vrbem ingruente, diſcedere e Collegio, & in pago quodam, tres ipſos menſes minus commode habitare ſubacti ſumus, graui tempore pomiferi anni, ægrotarunt plerique: vnus tamen Pater Martinus Viaſdius vim morbi non effugit: is fuerat publicus in Academia Cracouienſi Profeſſor, magiſter multorum diſcipulorum, quanto maioris nominis apud externos, tanto apud nos clarior exemplo veriſsimæ ſubmiſſionis. eius vicem penſare cupiunt aliquot adoleſcentes, quos Deus vocauit, ſed iubentur expectare, quo deſideria dilata, fiant firmiora. cōmentationibus ſpiritualibus exerciti ſex viri non ignobiles, pari eorum voluptate & fructu. Confeſsiones, vt eodem numero etiam ſuburbanas

banas complectar, exceptæ trecentæ triginta & vna. ad Catholicam religionem ab hæreſi quindecim, a Rutheno ſchiſmate octodecim rediere. Tartarus vnus Chriſtianæ militiæ adſcriptus. tres adoleſcentes ex eadem gente ad Seminarium Pontificium miſsi. Sed & quibuſdam rebus approbatum eſt, adeſſe Deum ærumnoſis hominibus, & ferre implorantibus opem. Retinebatur quidam in vinculis, & pro malefactis iudicium timebat: deſtitutus humano omni auxilio, ad diuinum confugit, vota nuncupat pro libertate, nulliſque euidentibus cauſis, repente apertis foribus, vincliſque diruptis, ſuſcepto itinere ad beatam Virginem Ceſtochouienſem, exoluit. Alter vir nobilis, cum a Tartaris, qui Podaliam, ceteraſque Ruſsiæ partes, vaſtando percurrebant, captiuus teneretur, voto facto confeſsionis, per ruſticos quoſdam qui e vicino pago irruptionem fecerunt in Tartaros, cum alijs quadraginta, mirabiliter ereptus eſt. vtrumque factum coniunxi, quo augeatur religio votorum. alia in diſsimili genere, æque memoranda. Quidam priora ſcelera peroſus, quo teſtatã faceret pœnitentiã, ſuam, domi primũ, a ſex familiaribus, deinde in templo, nudato corpore vmbilico tenus, ſe virgis cædendum curauit. et inuenta eſt mulier, quæ condidit ſe in aquam gelidam, dum incitatum falleret furorem iuuenis veſtigia perſequentis. Per concionatorem noſtrum introducta eſt conſuetudo

ad

ad meridianum campanæ ſonum Deiparam ſalutandi: quod hactenus ſolum in Collegio noſtro ſeruatum erat. ad idem exemplum excitata loca omnia, in quibus contigit vt noſtri verſarentur. nec minus effectum illud etiam ope & auxilio Leopolienſis & Premislienſis Antiſtitum, idque voce præconis publice edictum, ne amplius diebus nundinarum res venales in cœmeterio exponerentur. Iam vt de ſcholis aliquid dicamus: mittuntur ad nos hæreticorũ filij, atque ſchiſmaticorum, qui ad Catholicam pietatem facile conuertuntur. magiſtri quoque frequentioribus declamationibus & actionibus publicis promouent ſtudia litterarum. plurimi e noſtris auditoribus, die ſacro Paraſceues, ciues etiam, homines nobiles, & ſacerdotes nonnulli, quadrifariam diuiſo agmine, incedentes, plerique nudatis pedibus, ſeſe acriter flagellis diuerberarunt. Magna autem eſt in hiſce locis exiſtimatio Societatis, vt varijs ex pagis, atque oppidis longe remotis, accurrant, noſtrorum opera cum Deo reconciliandi. Neque enim cuipiam videtur longum iter, quo acquiritur tranquillitas conſcientiæ.

COLLEGIVM LVBLINENSE.

SCHOLASTICORVM numerus, vt hac difficultate temporum, non exiguus: trecenti fuere: eorum multi hoc biennio periti

ti

ti litterarum Græcarum fore videntur, ingenij celeritate mirabili, & progreſsionē diſcendi. etſi in alijs quoque muneribus Societatis opera egregia poſita. Sacerdotes miſsi interdum ad diuerſa loca, rediere cum fructu. Cum rex Lublinum ſecundo veniſſet, exceptuſque fuiſſet orationibus, & carminibus, a iuuentute, quam erudimus, nomine Collegij, in peruigilio Pentecoſtes pomeridianis horis, graue excitatum eſt incendium, a templo noſtro non procul, & deuſtis aliquot domibus, quæ erāt interiectæ, anteeunte remedia velocitate mali, ædiculam quoque noſtram, & quæ in ea erant intus omnia, abſumpſit: corripuit etiam ſupremum tabulatum domus, duobus inferioribus ægre relictis. multorum nobilium hinc mota miſericordia eſt, tantumque pecuniæ breui collatum, vt reſtituta ſint omnia Calendis Nouēbribus, & ſacra ſupellex aucta. interea, eos qui ad ſcholas, & qui ad concionē ventitabant, retinuimus ſub teſtudine domus, vbi & poſitis binis altaribus ſacra celebrabantur: et fuit operæpretium. aliquot feminæ quarum fama notabatur, ad frugē conuerſæ. Copa venditans medicatā potionem, cuius hauſtu alebatur ſitis, magna multorum infamia, æriſque iactura, ab illicita mercē ad ſobrietatis ſtudium adducta. hæretici, circiter octodecim mentem mutarunt. At vnus qui ad atrociſsimum ducebatur ſupplicium, vt viuo videntique ſcinderetur pectus ferro, & vi-

ſcera deriperentur, firmatus ab vno e noſtris, pœnam ita horribilem, tam magno animo tulit, vt non vocem modo, ſed etiam gemitus habuerit in poteſtate.

COLLEGIVM RIGENSE.

QVANTVM POTEST ſemel populi incitatus furor, niſi principio coerceatur: capit tempore incrementa, & more inueterati vlceris, ferrum poſcit. nec ab re dictum eſt, tardiora eſſe remedia, quam mala. Rigenſium erga Societatem odia, nec iniquitate cauſæ, nec oratione Legatorum, quibus hoc ipſum commiſſum erat in Comitijs regni, neque ipſius auctoritate Regis, & præſentia iubentis, placari poſſunt: nolunt nos recipere, neque noſtra nobis reſtituere, etiam quinquaginta millium aureorum Hungaricorum multa indicta: ſeu Miniſtrorum perfidia, ſeu quod proprium humani ingenij eſt odiſſe, quem læſeris. in hoc tamen exilio, e tam ſterili agro aliquid fructuum extudit, ſecundo numine, noſtrorum labor. etſi ſacerdos vnus, ſub faſce animam dedit: tantus erat proximorum amor, & Chriſto ſubinde plures generandi gloria. Is fuit Pater Ioannes Vincerius, ſuo dignus cognomine: neque enim labore vllo, aut corpus eius fatigari, aut vinci animus potuit: ſextũ iam annum, etſi ætate admodum prouecta, inter Lotauos, ſic agebat, vt ſingulis

gulis diebus feſtis, ſingula eorum templa in orbem obiens, ſacramenta miniſtraret. nunc cum eſſet in Nouamola, ſecundo lapide ab vrbe Riga, ac die Dominico rem diuinam feciſſet, magno Lotauorum, Germanorumque concurſu, deinde etiam apud Germanum quemdam infantem puerum baptizaſſet, initio prandij, ſtupore totius corporis correptus, mox etiam intra quartamdecimam horam, magno cum dolore omnium, extinctus eſt. nec tamen Lotaui omnino deſerti, nunc illos, altero quodam noſtro ſacerdote ſene, nunc vno puero perito linguæ adeunte. pueri enim in monaſterio, a quodam e noſtris pauperibus erudiuntur. nos autem adhuc expectantes, quid decreturi ſint Rigenſes de nobis accipiendis, ad proximum Paſcha, in arce ne, an in vrbe ſint ſcholæ aperiendæ, paupereſque ſuſtentandi, conſilium ex euentu capiemus. nunc quidem in monaſterio, vidua quædam Liuonica, familia magis, quam facultate nobilis, alitur cum quattuor liberis. Verum in arce, quamquam omnes abhorreant a recta fide, ex præſcripto Patris Prouincialis inſtitutum eſt, vt ter quotidie pulſus campani æris diſtinguat horas angelicæ ſalutationis. quin & pax compoſita inter nonnullos, & ipſo interdum rogante Præfecto arcis: reconciliatæ præterea familiæ duæ, quæ in mutua odia diſceſſerant. Conciones, tum in arce, tum extra arcem in vicinis locis, Polonice & Lotauice ha-

bentur: quod ſi Germani adſunt, interijciuntur quædam Germanica: etſi iam Germani plerique Lotauicam callent: non raro etiam in monaſterio (neglecta videlicet ſanctione Rigenſium, ne intra vrbem Catholicis ritibus vtamur, quam iniuſtam irritamque eſſe declarauit regia maieſtas) facimus rem diuinam, conſecratas Deo virgines, earumque familiam Chriſti corpore reficientes. Sed nunc de Lotauis proprie agamus. Cum in Liuonia laberetur fides Catholica, ita qui imperitabant alijs, nulla erat cura ſubiectorum, vt vix eſſet, vnde fidei elementa condiſcerent: nec propterea mirum, ſi in eis nunc nihil fere inuenias præter baptiſmum, quo Chriſtianos agnoſcas: magnam partem, nuptias celebrant innuptas, more ethnicorum. Catechiſmus vel neglectu, vel obliuione iacet. qui remotiores ab vrbe, pauci ſciunt orationem Dominicam: quam ob rem hoc negotium eſt vnius ſacerdotis, vt ſpatio milliarium viginti circumeat pagos, paganos conuocet & ruſticos, præbeatque omnibus Eccleſiaſtica ſacramenta, pœnitentiæ, Euchariſtiæ, matrimonij: etſi Euchariſtiam, extremamque vnctionem, magnum opus ac difficile pleriſque perſuadere: nempe qui numquam in tota vita communicarunt. audiunt tamen auide Chriſtianam doctrinam, & Catholicos ritus antiquos: vbicumque in itinere noſtros pernoctare cognouerint, eo turmatim aduolant, pe-

tentes

tẽtes pro ſe quiſque tutelares Apoſtolos,& ſalem cui noſtri benedixerint, atque huius generis alia nonnulla : ea occaſione adducuntur ad coningendas preces, & ad conciones audiendas. Diuerſis in locis nonnulli, qui veneficijs videbantur oppreſsi morbo, aut excantatis pecoribus, frugibusve magnum malum accipiebant, ſacrorum vi exorciſmorum diuino beneficio liberati.quattuor Lotauorum Sodalitia,quæ a bono ſatis principio,eo vſque degenerauerant, vt ſolum cauſa compotationum inſtituta viderentur, noſtrorum induſtria in priſtinum reſtituta. Ceterum in Paſchate e militibus præſidiarijs confeſsi de criminibus quingenti triginta, & de totius quidem vitæ, circiter triginta : nobilis Caluiniſta ad Eccleſiam redijt, vnus confirmatus in Catholica religione : atque hi omnes communicarunt.e ſchiſmate vero ſe receperunt amplius viginti: a diſſolutione ad leges matrimonij ſe reuocarunt Poloni circiter viginti,Lotaui ſupra quinquaginta. E Lotauis Poloniſque (neque enim potuit ſeparatim iniri numerus) quinquaginta ſeptem, cum vxoribus rite atque ordine copulati:Lotaui ſe aperuerunt in ferijs Paſchalibus quadringenti ſexaginta ſex. Dominicis deinde ſingulis, toto anno duceni deni,Germani triceni.tincti aqua luſtrali centum quinquaginta duo.deducti de prauis opinionibus quinque. ægrotis & moribundis au-

xilium eſt latum viginti tribus. Pauperis eſt numerare, dicet aliquis: video, & fateor: verum hæc paucitas non arguit operarum inertiam, ſed operis difficultatem.

COLLEGIVM CALISSIENSE.

PESTILENTIA, QVAE inceſſerat extremis tribus menſibus prioris anni, deſæuijt ad medium vſque Februarium, magna mortalium ſtrage. toto hoc tempore ſacerdotes duo, ſocij quattuor in Collegio perſtitere: et quamquam in templo, foriſque, edocendis, audiendis, adiuuandis, ægrotare timentibus, ægriſue, eorum opera nemini defuit (quæ Deo habenda eſt gratia) manſerunt omnes illæſi. hac noſtrorum caritate, multum populi creuit erga nos beneuolentia. Ceterum, cum remittente peſte, redijſſent ſocij, ciueſque qui diſceſſerant, ineunte ieiunio quadraginta dierum, data eſt opera, vt modis omnibus omnium animi ad pietatem incenderentur. ita & euangelium quotidie explicabatur, & Dauidis aliquot pſalmi, binis in hebdomada diebus, incredibili frequentia. in exitu deinde Aprilis inſtaurata ſtudia litterarum, nihil imminuto numero aduentantium: quadringenti amplius fuere: magna omniũ pietas: elucet eorum maxime, quos Parthenij Sodalitij ſplendor illuſtrat: ſiue in excolendo animo, ſiue in caſtigando corpore

acer

acerbiſsimis flagris, quod ſemel atque iterum, in publica ſupplicatione cum feciſſent, omniũ ad ſe ciuiũ oculos, atque ora verterunt. hæc breuiter percurro, ad vlteriora animo feſtinante: ereptus error deprauatæ religionis hominibus viginti. multi à peccatorum gurgite extracti. ſimultates repreſſæ. Iuuenem, quem execratio parẽtum ad furorem adegerat, noſtrorum opera, Dei beneficio, ad ſanitatem reduxit. alia ſimilia. hoc egreditur ordinem, quod narrauit quædã mulier ſibi contigiſſe. Viſa eſt ſibi, a quibuſdam inſidentibus equos nigerrimos, rapi ad inferos, ſic, vt ſex integros dies domo abeſſet: ſeptimo, luci, domuique reſtituta eſt: hic vero cum ſtetiſſet, vultu ob metum defixo, atque impos mentis, ſubleuauit trepidam & attonitam aſpectus mulieris pulcherrimæ, quæ ſe beatam Barbarã, magno in honore ab eius matre ſemper habitam, eſſe affirmabat. ea, inferorum quos modo conſpexiſſet, vnde numquam poſtea educeretur, timore iniecto, ſpem ſalutis viamque oſtendit: neque illa aſpernata eſt monentem. Liberalitas Archiepiſcopi fundatoris noſtri in dies augetur: ſumptum ſuppeditauit in ædificium: bonam partem librorum e bibliotheca ſua detractam, Collegio, ſcyphum etiam argenteum magno pondere elegantique artificio, ſacrario donauit. Idem in ſynodo, quam conuocarat, Rectorem Collegij adeſſe, & ſententiam ſuam, dicere voluit. in ea Synodo iacta

ſunt ſemina clericorum Seminarij: & iam nunc ipſe Antiſtes decem adoleſcentes proprio ære ſuſtentat. Sed & matronarum quarumdam, & virginum pietas extitit in ſacro inſtrumento augendo. prætermitto earum dona percenſere nominatim, ne quid ambitioni dediſſe iudicemur.

COLLEGIVM NIESVISIENSE.

HIC ETIAM reuocati multi ad fidem, compreſsæ libidines, ſubleuata inopia, & quæ in prauum deflexerant, in priſtinum reſtituta. Inter triginta, qui ab hæreſi, ſchiſmateue deſciuere, fuit nobilis femina, quæ cum vene num Caluini bibiſſet cum lacte, non ſine miraculo, paucis horis ante obitum, duce vno e noſtris, quem iuſſerat vocari, ſe ad Catholica myſteria conuertit. Excurſum & in oppida vicina non ſine fructu. Initum a duobus, publicum cer tamen cum magiſtris vanitatis, de iniquitate ſchiſmatis: quod & apud Vladicam & Popos (nota ea iam pridem vobis nomina) conuictum. ſed, vt difficile eſt quemquam hominum ſubito fingi, aut cuiuſquam vitam repente mutari, vel conuerti naturam, deliberatio capiendi conſilij reiecta eſt ad conciliabulum breui cogendum Vilnæ, vbi & Hieremias Patriarcha Byzantius, qui per eos dies e Turcia venerat, dicebatur affuturus. Racouium oppidum eſt Li

tuaniæ,

tuaniæ, cuius incolæ vigeſimum fere iam annũ ſolicitati ab hæreticorum Miniſtris, vt mutarent fidem, numquã adduci potuerunt. nũc eorum dominus per noſtros ad Catholicam religionem conuerſus, ſacram ædem in eo oppido ædificandam cum amplis reditibus curat. eius exemplum ſecuti ſeptem a ſchiſmate, ab hæreſi quattuor, ab improba peccandi conſuetudine, duodeſeptuaginta ſe reuocarunt. in illorum numero eius mater, clariſsima mulier, Palatina Voliniæ: quæ cum vigeſimum iam annum peruerſa dogmata foueret, eorumque profeſſores domi aleret, ſexto ab hinc anno, eo videlicet, quo filiã fundatori noſtro Duci illuſtriſſimo collocauit, Caluini fraudem metuens, ſubdiffidere, deinde auditis viſisque, quæ Racouij contigerant, & dolo planius cognito, deſperare cœpit. igitur Nieſuiſium venit, & hactenus deceptam ſe ingemiſcens imagine emẽdatæ religionis, ſuperius erratum pœnitentia redemit. accidit ea res fundatori noſtro, vxorique, nihil tale opinantibus gratiſsima. iucundumque fuit ſpectaculum, cum ipſo die Pentecoſtes, quo ſe reconciliaret, & octauo poſt, quo grates ageret Deo, genero, filiaque latera cingentibus ad cæleſte conuiuium acceſsit. magnum beneficium: ſed maius apparuit, cum ſexto menſe, ita pie, ac religioſe emoritur iam Catholica femina (quæ & ſupremo teſtamento ædificari tẽplum in ſuo oppido voluit, cum deſigna-

ſignatione perpetui ſacerdotis) vt ſpes ſit, perpurgatam animam labe criminum in cælũ euolaſſe. Sacerdos noſter, aſsidens viro nobiliſsimo, nuper a ſe conuerſo, qui grauiſsime ægrotabat, dum eum in ſupremis firmat, peſte hauſta mortem coniunxit. Ceterum fundator noſter, quo ſolutiore animo inſiſtamus diuino operi, auget noſtram rem domeſticam: bis millenorum vectigal florenorum hoc anno cõſtituit: iecit fundamenta templi, idemque in Comitijs publicis, regio decreto, Senatuſque conſulto, rata & probata eſſe voluit, quæ bona Collegio donaſſet: vtique, quo ad immunitatem & vacationem onerum pertinet, ea condicione eſſent, qua Eccleſiaſtica, quæ optima. Socios denique, qui Vilna diſceſſerant, metu peſtilentiæ, domum ſuam inuitauit, & cum maluiſſent eſſe in Collegio, ſua impenſa liberaliter habuit, ac perbenigne tractauit.

POLOCENSE COLLEGIVM.

CONFIRMATI CATHOLICI recens conuerſi, non ipſo ſolum ſacramento, quo eos munijt tres dies continenter Metonenſis Epiſcopus, e Dominicana familia, cum ad nos Polociam venit, ſed etiam debilitatione hæreticorum: quippe leuia decidunt, & fucata noſcuntur. Conuenerat frequens nobilitas, cauſa iudiciorum, viſum noſtris experiri

riri ecquos dedocere poſsint, imperitia nebulonum, quibus plerique inducerentur, detecta, in certamen prouocant Zuinglianorum pſeudoeccleſiaſten, propoſitis theſibus, de ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento: dies dicitur diſputationis. Zuinglianus interim, loco poſitionum, quas ſuper eadem re erat contra oblaturus, per puerum mittit exemplar, quaſi epiſtolæ ex inferorum regia ad Catholicos miſſæ. eam in peruetuſtis Catholicorum codicibus a ſe repertam ſimulabat, puerili mendacio, & , nemo licet refelleret, auctorem redarguente. ſed oſtenſa palam Auernalis pagina, & perlecta, deridiculo omnibus, ipſis vero hæreticis, etiam pudori fuit. ſtato die, nobilitas plurima ad noſtrum gymnaſium, illum campũ diſputationis, cupidine audiendi: aduerſarius non comparebat. cum expectatio iam longior videretur, mittuntur a noſtris viri nobiles, qui accerſant hominem, & honorifice deducant: at ille redditis abſentiæ cauſis admodum vagis, noſtrorum congreſſum non tam excuſauit, quam effugit. hanc propter Zuinglianorũ ignominiam, Ariani triſtitia ac rubore pleni, vt in ſimili nobis contradicendi voluntate oſtenderent facultatem maiorem, tres e vicinis locis conquirunt Miniſtros, qui præ ceteris ſcire plurimum viderentur, atque in his facem illam, & turbinem Lituaniæ, Simonem Budnæum, præcipiti perinde ſenectute, vt amentia: hos, cogni-

to eorum aduentu, noſtri repente adeunt, & præfinitur dies diſſertationis, de diuinitate filij Dei. accurrit maior nobiliũ multitudo: inſtituitur diſceptatio: cum proferrent noſtri teſtimonia ex vtroque teſtamento, aduerſarij cõticuerunt, cunctis admirantibus: nec dubium erat, quin ſilentiũ eſſet argumentum ignorantiæ: hic vir quidam nobilis, qui eorum ſtultitiæ ſemper fauit, veritus videlicet, id quod erat, ne admiratio nihil reſpondentium verteretur in contemptum. Mirari deſinite, ignota prorſus iſtis, & inaudita afferuntur: & perculſi rerum nouitate tacere maluerunt. dein, quaſi arbiter quæſtionis, Alio die, inquit. igitur tũ quidem diſceſſum eſt. poſtero die reditur ad pugnam, in qua præter leuem quamdam velitationem, & turpem fugam aduerſariorum, quæ nec videretur habere ſpeciem pugnæ, nihil eſt actum. ita quanto magis Ariani occultare imperitiã, & abdere nitebantur, manifeſtius imperiti apparuere. mirum dictu quantum ea res erexerit Catholicos, abiecerit hæreticos fluctuantes. Itum etiam ad virum Catholicum ampliſsima familia, cuius vxorem paucis ante annis ab hæreſi conuerſam, veneficia adduxerant in vitæ diſcrimen: et voluit eam Deus, noſtrorum vſus miniſterio, piacularibus ſacris, precibuſque Eccleſiaſticis ab omni veneficio liberare: paulo poſt comprehenſis auctoribus veneficij, reque omni patefacta, habuit tam magnam laudem il
luſtre

luſtre factum, vt vel ipſi hæretici Catholicarum precationum virtutem admirarentur. Ceterum e Collegio, non defuere in vrbem ſollemnia officia Societatis: Sed in hoc quoque, quod & in alijs, faciendum eſt, præſcriptæ ſtudio breuitatis, vt proprijs perſtrictis, communia prætereantur.

COLLEGIVM DERPATENSE.

ANNVS SALVBER: ſed in magnitudine meſsis, paucitas operarum periculo propior fuit: vt vnum ter in die diuerſis linguis oportuerit concionari. e Seminario, ſacerdotes duo facti ſunt, Heſtonibus adiumento. Creſcit gymnaſium & Sodalitium Virginis, auctis præcipue viribus animiſque, ex fœdere Romano. Excurſiones ad finitimas arces oppida, pagos, factæ: ad vectigales item noſtros, diebus feſtis, eo fructu, quem ex hominibus, quos trigeſimum iam annum diuinarum rerum ceperat obliuio, colligi oportuit. reuocatus confeſsionis, communionis, ſollemniſque matrimonij vſus, ſuperſtitiones quæ inueterauerant, abolitæ. Nec minus laboratum in vrbe, vbi non multis audientibus ſemel Germanice, paulo pluribus bis Polonice, bis etiam Heſtonice in magna frequentia, diebus feriatis, concionamur. Excitantur plerique, tum hebdomadarijs ſupplicationibus, ob neceſsi-

tudines

tudines regni, tum anniuerſarijs maxime, ſiue quæ in nocte Paraſceues, ſiue quæ die ſacro Eucharistiæ, & octauo poſt recurrente, inſigni cærimonia celebrantur. exornantur templa, inſtruuntur viæ, & conſternuntur roſis; altaria diſponuntur, ſymphoniæ auditur cantus, & tubarum ſonus, terrifico interim tormentorum fragore, lætitiam populi, & ſacrorum venerationem augente. promouetur his rebus religio Catholica, & perinde etiã ſtudio virorum principum, ſed præcipue Regis, qui edicto publico cauit, vt Lutherani miniſtri in Liuonia concionibus abſtineant, annique obſeruatio ad præſcriptum noui Calendarij dirigatur. Ceterum vt res externæ melius proceſſere, ſic etiam non magno ſumptu inſtauratio Collegij; vt abiecerimus conſilium, in præſens, nouum extruendi, ſuperſtructo potius ambulacro vtriuſque domicilia coniungere cogitemus.

SANCTAE BARBARAE Domus Cracouienſis.

SPARSIM MVLTA ponentur. ab hæreſi conualuere, nonaginta duo, a Schiſmate decem: vacillantes in religione ſex feminæ conſtabilitæ. virgines duæ, inuito patre Anabaptiſta, poſt diuturnam probationem ad baptiſmum admiſſæ: quod etiam cum feciſſet hæretici vxor, inſignem de affinibus, ipſoque diabolo,

bolo, multis machinis ipſius conſtantiam oppugnantibus, egit triumphum. duæ item feminæ pauperculæ, perflante ſpiritu hæreticorum, iam proximæ fidei naufragio, in tutum perductæ. Moſcha mulier ſchiſma deſeruit. Quattuor abiecere mentem religioſæ vitæ relinquendæ. Mulier Deo ſacra ad cœnobium quod deſeruerat regreſſa. Duodecim e turpi corporis quæſtu, quinque e pellicatu abſtractæ. aliquot ab illudente dæmone liberatæ. Duo a fenerandi conſuetudine prohibiti. Perſuaſum tribus, vt decimas perſoluerent. a ſpiritu deſperationis quinque erepti. odia nonnullorum extincta. aditus carcer, & loca publica ægrotantium. adiuti morientes in lectulo, atque in patibulo. Libri damnatæ ſuperſtitionis exuſti. Generales confeſsiones centum exceptæ. Vidua quædam, ſapienter refutatis decem petentibus coniugium, vndecimum fortiter repulit, qui graſſabatur ad flagitium. maiore animo nobilis mulier, impudico iuueni, cum reſtitiſſet primum ſeueritate verborum, dein ferrum eripuit, quo ille diſtricto, niſi aſſenſum extorqueret, minitabatur mortem: demum ſtatim clamore ſublato, vulnereque inflicto, excitata numeroſa familia, rubori ſimul ac dolori fuit. At turpis quædam femina, vt lucellum aliquod faceret, ter baptizata, reſipuit: & alia Iudaiſmo propior, quam Euãgelio, ad meliorem mentem reducta. Vna denique, quæ inſano

amore

amore futuram ſe in amici poteſtate, ſpoponderat chirographo, quod bis ſanguine ſcripſerat, ſalutaribus conſilijs inſtructa. Rex ſereniſsimus bis noſtrum templum adijt, domumque adiuuat: quod & præſtitum ſæpe ab alijs, eleemoſyna liberali.

DOMVS PROBATIONIS.

FINE ANNI ſuperioris, peſte ingraueſcente, in pagum noſtrum ſeceſsimus diſtantem milliaribus triginta: hic etſi omnia circum eſſent intuta, fuimus omnes intacti. nec tamen commoratio ſine fructu, vicinis confluentibus, ex hæreticis etiam locis: etſi itum quoque a noſtris in vicos propinquos. Sed & poſtea in vrbe non nihil profectum. triginta quattuor redditi Catholicæ religioni: in his Ariani aliquot, adoleſcentes egregiæ nobilitatis, non inutili exemplo. monachus præterea bis deſertor, Eccleſiæ atque ordini reconciliatus. hæretici duo propter grauitatem criminum inflammandi, alius item diuerſo tempore multandus capite, a noſtris aditi, adductique ad confeſsionem, & eiurationem hæreſeos, conſtanti animo ſuppliciū pertulere. alius in valetudinario hæreticus, grauiſsime corporis morbo æger, eo ipſo tempore quo eiecit hæreſim, recepit ſanitatem. In tumultu Turcarum irruentium, bis inſtitutæ preces per horas quadrage-

drage-

dragenas in noſtro templo, magna hominum pietate & frequentia, denæque a noſtris habitæ conciones: et experti ſumus erga nos argumenta prouidentiæ diuinæ. Cum milites circa Cracouiam, omnes pagos, præcipue Eccleſiaſticorum depopularentur, a noſtris manus abſtinuerunt. Domus præterea aucta templo inſigni, cui nomen a ſancto Stephano: ipſaque, quæ anno proximo ædificari cæpta, hoc anno ad faſtigium perducta. Sed ad Nouitiorum illuſtriora aliquot exempla veniamus. Transfuga, eodem die quo diſceſſerat, cum vix abeſſet Cracouia duobus millibus paſſuum, incidit in hominem furioſum, a quo pæne diſcerptus eſt: rediјt deinde ad vrbem exanimis, eamque rem narrauit vni e noſtris familiaribus, non ſine prædicatione diuinæ vltionis. alter, ſua ne voluntate, an culpa, dimiſſus, non ita multo poſt furti accuſatus, conuictuſque, dediſſet publice pœnam virgis cæſus, niſi habita eſſet ratio noſtræ Societatis, cuius conſtabat eum Nouitium fuiſſe. At tertius, vbi iugum fregit, ita prorupit in omnem libidinẽ, vt ceteris impuris hominibus eſſet anteſignanus. Alius præterea, cum delicatus nimium, et fugitans laboris, nec verbo admonẽtum excitaretur, nec ſociorum incitaretur exemplo, ignauus veluti fucus, non potuit non arceri a ſedulo examine, ne dulce opus corrumperet: is deinde ita laborauit rerum omnium inopia, vt effigies quædam eſ-

ſet, immo vmbra hominis, fame, illuuie, ſqualore enecti. Miſer, qui appenderet argentum non in panibus, & laborem ſuum non in ſaturitate. non ſic alius quidam, qui octo poſt annos, quam deſeruit, ad Societatem reuertit: narrauit is ſe toto eo tempore numquam fuiſſe vacuum trepidationis ac metus, ſemper obſtrepente conſcientia: quin & diebus ſacris Mariæ virgini aduerſis rebus conflictatum eſſe, ſemel etiam atque iterum propius a morte abſuiſſe. horum exemplo reliqui cautiores, cũ timore ac tremore ſuam ſalutem operantur. Quidam ſacerdos ſimiliter Nouitius, peregrinatus ad Deiparæ templũ Ceſtochouienſe (abeſt Cracouia paſsibus ſeptuaginta millibus) in reditu audiuit quodam in oppido Miniſtrũ Caluiniſtam animam efflaſſe, populares ipſos ad Catholicam fidem propenſiores eſſe: nihil prolatandum ratus, adit Senatum, impetrat fieri ſibi poſtero die (is erat peruigilium beatorum Petri & Pauli) ad populum dicendi poteſtatem. mane cum ſocio recta ad templum. obſeratum erat veſtibulum: & agnouit dolum: ſocius, eius iuſſu, murum tranſilit: ſed aperto veſtibulo, alia obijciebatur mora, templo clauſo. tum commodum viſum pulſari campanas: omnis ætas ac ſexus accurrit, & reſeratur tẽplum. Tum ſacerdos, ſilentio facto, circumſpiciens templum, quæ ſit illius facies, quærit, qualis cultus, vnde tanta deformitas. flectit

deinde,

deinde, vt dicat, ipſe quis ſit, vnde veniat, quo proficiſcatur, quod inſtitutum Societatis: hortatur omnes obſecratque, vt fugiant hæreſim animarum venenum; neve audiant auctores & duces nouarum opinionum, apud quos nihil eſt integri moris, aut priſci. Retinete vos antiquam religionem, & Catholicam fidem magno animo capeſsite, extra quam nulla animæ ſalus: quæ ſi abſit, fruſtra ſunt homini alia omnia. Hæc & talia dum dicit magna contentione animi, & ingenij, irrumpit factioſus ciuis ac peſtilens, ſimulque magna vi verborum perterrefacere dicentem, & concionem diſturbare conatur. Quis, malum, inquit, huic concionandi facultatem dedit? quis templum aperuit? etiamne ab homine demente vos infatuari, gens leuiſsima, ſinetis? eijcite extemplo iſtũ mihi, expellite, extrudite, niſi malitis aliud, quam minas, ſonare. At noſter, conuerſa oratione, in eum ipſum grauiter inuehi, emiſſariũ diaboli increpare, corruptorem, & corruptũ, facem & furiam veriſsimæ religionis, fumantem ſtipitem odore tæterrimo, & æternis ignibus addictum. Quanta eſt vis veritatis: proiecti licet pudoris eſſet ille, non ſuſtinuit grauitatem obiurgationis, fremens, frendenſque & quaſi furens contumelia, exiuit e templo. at populus noſtrum ad finem vſque attentis auribus, & libentiſsimis animis audiuit, iucundiſſima approbatione. cum peroraſſet, circum

eum multi ſe effundunt, errorem agnoſcunt, inductos ſe ab hæreticis fatentur, & pollicentur, dummodo legitimum ſacerdotem habeant, Catholicos fore. et videntur iam ſemina iacta illorum conuerſionis.

MISSIO SECIGNIEVIENSIS.

SECIGNIEVIVM villa eſt Præfecti Schidlouienſis, noſtro pago contermina. huc miſſo ſacerdote vno e noſtris, celebratum templum, in quo antea rari apparebant: numerati, qui communicarunt, octingenti: cum antea, vbi plurimi, vix eſſent trecenti: atque ex illis, vt conijci poteſt, centum circiter, e vicinis pagis hæreticorum, neglecto dominorum interdicto. hæreſim deteſtati duo. filius, fratris, ne, an ſororis, Præfecti, peracta confeſsione voto ſe Societatis obſtrinxit. Virgines præterea duæ perpetuam caſtitatem Deo vouerũt. Cum in concione reprehenderentur, qui ad ſacroſanctam Euchariſtiam non vererentur accedere, non depoſitis inimicitijs, eo die quinque a communione abſtinuerunt: ad quam, reconciliatione facta cum proximis, poſtridie venere. erant et alij ita pertinaci iracundia, vt dictitarent malle ſe ad inferos detrudi, quam pacificari: ſed horũ quoque feritatem emollijt Deus noſtrorum oratione. in doctrina Chriſtiana præcipue laboratum, fructu non pœnitendo. Capita reliquorum locorum Prouinciæ Polonæ deſiderantur.

PRO-

PROVINCIA AVSTRIA.

SEPTEM DOMICILIIS, in quibus ſocij ducēti ſexaginta quattuor, Prouincia Auſtria continetur. In Viennenſi quinquaginta octo: in Pragenſi triginta ſex: in Olomucēſi trigintaquattuor: quinquaginta ſex in Græcienſi: in Domo Probationis ſeptemdecim, Nouitij duodetriginta: in Crumlouienſi viginti vnus: in Hungaria duodecim, duobus locis. In locum duorum functorum vita, ſuffecti viginti tres.

COLLEGIVM VIENNENSE.

IN TEMPLO NOSTRO, ſub Anaſtaſim Domini, peccata depoſuerunt confeſſione, hominum tria millia ſexcenti viginti ſex: acceſſere ad ſacram ſynaxim duomillia ſeptingenti: vndecim ad vnam ſpeciem reducti: mulierculæ aliquot a meretricio retractæ. ad Catholicam religionem rediere centum nonaginta ſeptem: inter quos nonnullorum conuerſio haud facilis fuit. ſacerdos quidam deſciuerat ad Lutherū, conſumpſeratque in eius ſorde, & fæce annos viginti, cum muliercula contubernali: qua viduatus cum eſſet, ſuperdu-

xit alteram comitem nequitiæ: tum Viennam venit, vt vocem in quæſtum conferret, nomine Concionatoris Euangelici: ſic iſti nugiuendi ſe appellant. Dei prouiſu incidit in famulum Paſſauienſis Officialis (notum viri nomen, munus, odium in hæreticos, tota Auſtria) eum ſuæ ſectæ eſſe arbitratus, docet cauſam aduentus: hic recte ſimulans, Quin tu, inquit, venis ad dominum meum, tuis rationibus optime conſulturum? Ad illum deductus, diſſimulauit hæreſim, agnito dolo: & orationem accomodans ad tempus, nihil ſe auditoribus expoſuiſſe vnquã quod abhorreret a Catholica religione, iurauit verbis conceptiſsimis. cum adhuc non faceret fidẽ, accitus eſt vnus e noſtris, qui hominẽ in priſtina reduxit, meretricula abacta. Sed duo Dani neque obſcura familia, neque inopi, centum triginta milliaribus Viẽna diſtantes expetierũt, hauſerũtque orthodoxam doctrinam. alius cum longius emigraſſet e fide, varijſque erorribus ſe implicuiſſet, audita Patris noſtri concione ita commotus eſt, vt ſe Eccleſiæ reddere cogitaret: ſed cum eius conatibus obſiſteret dæmon, bis ter ve hominem auocans propinquum Collegio, agnouit tandem pellaciam hoſtis, pioque animo iuxta & magno, eiecit venenum, prauarum opinionum. Alius inter proceres non poſtremus, ita hæreſeos corruptelæ erat addictus, vt vitam ſibi prius diceret, quã illam defuturam: huic etiam Deus, nec opinanti, di-

ſiectis tenebris, veritatis ſuæ lumen oſtendit; Quin etiam adoleſcens vnus, cuius pater Lutheranus Miniſter obierat,& viuebant fratres heredes perfidiæ paternæ, conſilium cepit ad nos adeundi,& redeundi ad Catholicos: quod & fecit armatus piorum præſidio aduerſus vim, & inſidias germanorum tumultuantium. Præter apertas nonnullorum,opertasve ſimultates noſtrorum hortatu compreſſas, odia detumuerunt primariorum virorum mulierumque, cædes & vulnera parturientium: Eorum qui carcere detinentur,aut xenodochijs, animis corporibuſque conſultum eſt. Pileariorum Sodalitas tot iam Catholicos habet, opera noſtrorum, vt antiquam reuocarint conſuetudinem concelebrandi auguſtiſsimum ſacramentum die ipſius feſto, ſub vexillo: hoc qui facere negligit, expungunt: aduertit is metus hæreticos aliquos,aut etiam conuertit: Proſecutus eſt pompam Archidux Herneſtus, noſtrorumque induſtriam, & libenter agnouit, nec ſilentio præterijt: ſua etiam præſentia honeſtauit drama,quod dederunt diſcipuli noſtri,cum doctioribus præmia tribuerentur in area Collegij, magnifico apparatu: idemque ſuam erga nos beneuolentiam aſsidue declarat. Nuper cum iudices conſtitiſſent legitimo in loco, quemdam damnaturi capitis, ſereniſsimus Herneſtus mandauit eum abſolui: id, quia nemini dubium,quin rogatu noſtrorum, obganniebāt

maleuoli, datum id precibus Ieſuitarum. Legatus Pontificius ad Cæſarem, quamdiu Viennæ fuit, noſtro hoſpitio vti voluit, eſtque a ſtudioſa iuuentute oratione, & carminibus honorifice exceptus. Antonius etiam Barienſium Antiſtes, cum legationis munere fungitur, apud nos cœnatus cum eſſet, ita delectatus eſt breui quodam ſermone habito a conuictoribus in diſputatione & dialogo, vt in eorum horto poſtridie fuerit repetendus. E diſcipulorum numero ſex in Societatem admiſsi: vnus non ſine pugna: vbi enim rem audiuit ipſius pater, Dynaſta, ita furenter iratus eſt, vt niſi, reſtitueretur filius, minaretur cædem multorum: ſcripſerunt ad eum noſtri moderate, & placide, & ad mitigandum hominem ſatis apte: cum aliquantulum reſediſſet ira, iter ad nos intendit cum curru, vt abreptum filium, ſpecie alloquendi, ſecum aſportaret: igitur cum illo cum egiſſet, noluit repugnare diuinæ voluntati: diſcedens tamen orauit noſtros, vt alterum filium quem haberemus in Seminario, ſibi integrum ſeruaremus, ſpem ſobolis, ſubſidium ſenectutis. ſcholæ autem numerant auditores circiter nongentos: ex quibus plerique in Hungaria, atque Auſtria, præcipuæ nobilitatis. ſed vt abeamus a ſcholis, in aliquibus fallaces cacodæmonis præſtigiæ detectæ, ac depulſæ. Virgo quæ curioſitate primum, dein ſuaſu diaboli dantis ſe in eius conſpectum, audire concionem hæretici in ani-

mum

mum induxerat, a conſilio deducta. Vir qui dæmonis voce (quam Dei eſſe perſuaſerat ſibi) admonebatur, ſuper globum e cryſtallo, quem habebat in ciſta, tria ſacra curaret facienda, fore enim vt ex eo vaticinaretur futura, ab illa amentia liberatus. Ceterum pia virorum aliquot illuſtrium, & lectiſsimarum mulierum liberalitate multa acceſſerunt ad ornatum templi, quibus creuit illius religio, & magnificentia. longum eſt & non neceſſarium commemorare ſingulos, ſed tamen eorum memoriam gratiſsimis animis proſequemur.

PRAGENSE COLLEGIVM.

TRIBVS præclara indole adoleſcentibus patuit aditus ad Societatem, aliquot alijs maturius tempus expectare iuſsis. in conuertendis ad Deum animis elaboratum in vrbe, foriſque. e varijs hæreſibus emerſere nonaginta: mulier in his ægrota, ſimul, & ſalutem corporis recepit: abſtinuerunt ab vſu catlicis viginti quattuor: Iudæa quædam mulier cum duobus filiolis ſacro baptiſmate abluta. ad conciones ordinarias diebus feſtis per quattuor templa, acceſſere aliæ Quadrageſima, maiore, quam vmquam alias, auditorum numero, & fructu: ſed & de his, & de Crupenſi peregrinatione, eadem fere, quæ proximo anno: et Crupæ quidem ſacris Paſchæ ferijs panem Angelorum

gelorum manducarunt homines centum quadraginta: aliquanto plures Pentecoſte, videlicet octoginta ſupra centum: in vrbe autem pœnitentes numerati mille ducenti quinquaginta: et experti quidã in morbo vim diuini ſacramenti, ſiue cum placidiſsime expirant, ſiue cũ præter expectationem conualeſcunt. repertus vnus, qui percepta Euchariſtia ſuperauit inſidias diaboli mortem ſuadentis. Ad quoddam virorum cœnobium profectus vnus e noſtris, cum multa in eo præclara ſtatuit reuocandæ diſciplinæ, tum etiam illud, vt mulieres ingreſſu prohibeantur: ſed reuertimur ad vrbem. Reconciliationes gratiarum nec inutiles, nec paucæ: carcer aditus, adiutique vincti, ſoluti etiam non nulli corrogata pecunia, qui ære alieno tenebantur. nec minor ratio habita aliorum egentium: ſacra templi ſupellex aucta. Gymnaſium celebratur flore adoleſcentium, & numero: addidere ſtimulos diſcentibus, tum concertationes Philoſophiæ, ac Theologiæ ſollemnes, quibus in magna corona nobilium interfuere legati Pontificis maximi, & Catholici Regis: tum etiam præmia in repetitione ſtudiorum, publice data. Cum litterarum ſtudio pietas certat: magna in primis cuiuſdam adoleſcentis conſtantia, qui non ita pridẽ ad Catholicam fidem conuerſus, cum irato parente priuetur omni vitæ ſubſidio, mauult in paupertate apud Catholicos viuere, quam cum

animæ

animæ periculo reuerti ad domeſticas opes: alter, aſſecla olim, & adiutor buccinatoris hæretici, illius prauitate, & hæreſum varietate perſpecta, ad vnam ſanctamque religionem animum appulit, vbi nunc ex errorum magiſtro factus diſcipulus veritatis, egregijs moribus animum inſtruit, honeſtiſque diſciplinis. Meditationibus ſacris exculti nonnulli: e quibus ſacerdotes duo, multas ad res perutiles huic regno futuri. Pauperum contubernium propter annonæ caritatem hac hieme imminutũ: et quamquam in nonnullis retinendis enituit liberalitas aliquorum, dilapſi plerique; qui tamen in propinquis duabus ciuitatibus aluntur ab vno e proceribus regni, vbi detonuerit tempeſtas, ad intermiſſum opus redituri.

MISSIO COMOTOVIENSIS.

COMOTOVIA vrbs eſt in Boemiæ regno non ignobilis, ſed multis abhinc annis, incubante hæreſeos monſtro, non ſolum deformis, ſed etiam miſera: ei nunc dominatur Georgius Maior Popel, in vniuerſo Boemiæ regno a Prorege ſecundus, vir poteſtate perinde, vt religione illuſtris: eius hortatu rogatuque miſsi Februario menſe ſacerdotes duo cum ſocio, ſiquid opis collapſæ iam Catholicæ diſciplinæ afferrent. nec minus in reſtitutione rituum, quam in animorum expiatione

tione laboratum: ac primum in baptiſmo. Miniſtri videlicet hæretici ad quæſtum omnia referentes, interdixerant obſtetricibus, ne quem domi, etiam in præſenti mortis periculo, baptizarent: et pœna erat grauiſsima conſtituta: quam cum arbitrarentur ſatis non eſſe, carcere eas primum, deinde etiam trium annorum exilio damnarunt: ex quo factum eſt, vt multi (indignum) ſine baptiſmo morerentur. et ipſorum initiamenta baptiſmatis erant inania. igitur, vt cœpere noſtri baptiſmum præbere more Catholico, attoniti ciues, nec nihil metuentes, malebant retinere domi filios, quam ad templum afferre nouo ritu baptizandos. exin, dierum aliquot mora timore digeſto, ad parœciam venientes (ibi enim morabantur noſtri) collocant pueros in templo medio, & quaſi deponunt ſemianimes: æditus noſtrorum admonitu faceſſere iubet, quod profani arceantur: tollunt iterum pueros, & ſiſtunt ad fores templi: incipitur exorciſmus magno hominum concurſu: tum vero admiratio omnes rei tam inſolitæ defixit. peracto baptiſmate audita eſt vox mulieris magno natu, Gratia tibi Deus immortalis, quod iterum ſacerdotes nacti ſumus, qui baptizabunt infantes ex præſcripto ſummi Pontificis. ſuper cetera mirabantur, & numerabant cruces in cærimonia expreſſas: at ſuſceptorem pueri tantus ſtupor, ac veluti torpor membrorum omnium oppreſsit, vt

ſuſti-

ſuſtinenda fuerint brachia ſuſtinentis. Secundum hæc, reſtitutæ obſtetrices, et ſuum officium edoctæ: reuocatus etiam vetus vſus, vt nuptiæ religioſe ac pie conficiantur in templo, interprete Parocho: itemque vt mulieres non niſi eodem perductore ingrediantur in ſacram ædem recentes a partu: nec minus Catholicorum multæ cærimoniæ, & ſollemnes pompæ poſtliminio reductæ: et iam effingere ſignum Crucis in fronte, quod fere omnes pudebat, plerique gloriantur: luſtralem aquam domi certatim habent, eiuſque vſum experiuntur ægroti valetudini recipiendæ. Sanctiſsimam Dei matrem veſpertinis horis, ac matutinis, bis die, campanæ admonitu ſalutant. Cantus librique hæretici e templo ſublati: in eorum locum Catholici introducti. Atque hæc de reſtitutis ritibus. Nunc de expiatis animis pauca adijciamus. Conciones diebus feſtis tribus in locis frequentes: & ſucceſſere interdũ funebres non infructuoſæ: ab hæreſi diſceſſere vndecim: quod non parum videri debet in agro tam inculto. ſub Paſcha Domini confeſsi centum quadraginta: ſub Pentecoſten, ſeptuaginta quinque: Perſuaſum cuidam, vt exigeret pellicē domo, quam habebat malo exemplo: habitæ conciones, quinque ad Collegia artificum: eorum lex ſiue conſuetudo hæc erat, vt binas quotidie horas (ſic enim vocabant) ponerent in ſuis conuenticulis: at noſtri ſuperſtitioſas eorum pre-

cationes

cationes cum Catholicis mutarunt: ſic vt mane ſacrificio miſſæ pioque ſermoni, nec admodum longo, intereſſent: veſpertina hora doctrinæ Chriſtianæ, & pijs aliquot precibus (quas mirum eſt, quo labore adducti ſint, vt obeant genuflexi) tribueretur. Idem inſtituendæ iuuentutis modus, a prandio, diebus feſtis, in alio templo ſeruatur. Ad hæc additum, vt Senatores delectum noui Senatus a re diuina, & concione publica ordiantur: vt diebus feſtis, ne aperiantur tabernæ inſtitoriæ, niſi veſpertinis precibus abſolutis: vt in Paraſceue exornetur Domini ſepulcrum: vt ſollemnia maioris hebdomadæ celebrentur ſollemni apparatu: vt feſtus dies Chriſti corporis peragatur quam fieri poteſt pompa ſplendidiſsima: quod factum inſtructo atque inſtrato foro, & plurima face, conuentuque longe celeberrimo. Pari ratione renouatus cultus beatiſsimæ Virginis, & commemoratio in cælum aſcendentis, eiuſque laudatio, quæ fuerat intermiſſa. Excurritur etiam in vicina loca, & hæreſeos magiſtrorum ſtultitia oratione refellitur, iuxtaque ſuperbia redarguitur exemplo: ſcilicet inuiſuntur ergaſtula, & tuguriola ſordidorum, vinctique homines, ac tenues, affatu, conſilio, ope, gratiaque adiuuantur: at graue illorum ſupercilium humilia deſerit, nec niſi vnde efflatur aliquis odor lucri, ſe porrigit: et raro ipſi, niſi ſpe aliquid mordeant, vllum iter intendunt. mirabile magis illud

lud fuit, cum tredecim homines educti e carcere laxatique nonnulli, & melius habiti induſtria noſtrorum. Has ob res Princeps Comotouienſis Collegium expetit, non ſolum, vt olim, cupiditate incenſus, ſed talibus etiam initijs in ſpem ſublatus, religionis propagandæ.

OLOMVCENSE COLLEGIVM.

INSIGNIS laus, ſiue pietatem ſpectes, ſiue doctrinam, iuuentutis Olomucenſis. Illud eſt ſemper attenti ſtudij præmium, & numquam ceſſantis. Duodecim ex ea præclaris naturæ induſtriæque muneribus in Societatem adlecti. extitit ſuus etiam e concionibus (habitæ ſunt duabus in parœcijs) fructus: ab hæreſi ſeſe recepere ſeptuaginta, inter quos vnus propugnator hæreticorum: alter corde ita obſtinato, vt omnibus eſſet Catholicis propter faſtiditam religionem infeſtus. ſed hunc iuxta atque illum, obſequium vicit, & patientia noſtrorum: ab vſu calicis impermiſſo abſtenti quadraginta ſex. Paſchalibus detexerunt peccata, & communicarunt in templo noſtro mille quingenti: perſuaſum quibuſdam, vt reſtituerent opes iniuſte partas. vacillantes in fide firmati. multi ad quadragintadiale ieiunium, & ad reliquam Eccleſiaſticam abſtinentiam adducti. mira vnius pueri in religione conſtantia: qui cum rediſſet in patriam

triam recens conuerſus, moxque incidiſſet in morbum, a parentibus omnem licet adhibentibus machinam ad eum demouendum, manſit inuictus: mulieres aliquot proſtituti corporis ad bonam mentem reductæ. cum in noſocomio laboraretur inopia lignorum ſumma hieme, ſacerdos vnus a præpotenti viro, licet hæretico, magnam vim eorum extorſit: quod ſane officium danti voluptati, vtilitati ægris, ipſis etiam hæreticis admirationi fuit. alius ſacerdos, cum die ipſo Paſchæ corrogatam ſtipem offerret infirmo, iſque vocaret in partẽ ſacerdotem ipſum qui corrogauerat, reſpuit cum hoc dicto, Animorum noſtrum eſt lucrum: voſmetipſos quærimus non veſtra. quod dictũ ſuſpexere, qui circumſteterant omnes, non approbatione tantum, ſed etiam lætitia ſecuti. Aldobrandino Cardinali legato Põtificio, Epiſcopo item Iaurienſi, Hungariæ magno Cancellario, e Polonia reuertentibus, felicem rei exitũ noſtri gymnaſij iuuentus recitatis verſibus gratulata eſt. Idẽ honor eſt habitus Cardinali Radiuillo, cũ legatione apud Cæſarem perfunctus in Poloniam rediret. Olomucẽſium Epiſcopus monaſterium quoddam, quod multis annis incoluerãt alumni Pontificis, & conuictores non pauci, cum repentibus dominis reddi iuſsiſſet, aliam ædem domumque aſsignauit, ne tot adoleſcentium ſtudia optimorum langueſcere pateretur. Et ſane magna eſt viri ampliſsimi

erga

erga Deum pietas, & in Societatem beneuolentia: declarauit illam proxime, cum Sodalitati beatæ Annæ, quæ lectiſsimis ciuibus conſtat, quo minus præficeretur, non recuſauit: hãc vero, cum maiorem fecit hortum noſtrum ſuburbanum adiecto angulo proximo, qui illum deformabat, eiuſque domino voluit alterum tãtum ex ſua ipſius poſſeſsione remetiri: paruũ fortaſſe hoc, ſed non obſcurus cumulus maximæ liberalitatis.

MISSIO VRATISLAVIENSIS.

QVANTO noſtri Vratiſlauiæ ardentius procurant ſalutem animarum, hoc magis aduerſarij viribus impares, dolo pugnant: ſed malitia maximam partem veneni ſui bibit. nuper compoſita eſt fabula, cuius, quod facile fuit, abſurditate detecta, nobis parauerunt famam, ſibi infamiam: ſparſerunt in vulgus, maiore ſermone hominum quam fide, Ieſuitam in templo ſummo, cum Canonicis coram, populoque vniuerſo, velitaretur ſumma contentione pro cultu imaginum, omnibus qui intererant, videntibus, & opem ferre non valentibus, abreptum e ſuggeſtu a dæmone horribili, cum interea infelix miſeros cieret eiulatus, ſeque & doctrinam ſuam tarde accuſaret: vt eſſet alijs exemplo. quis putaret tam craſſum mendaciũ non ſtatim exploſum iri? vagus primum, & va-

rius rumor, mox ne parce mentirentur, interfuiſſe ſe quidam, & vidiſſe affirmabant, ſecuri de facilitate credentium. at veritas tacita ſe ipſa defendit, donec falſa quæ nuntiabantur, & in deterius credita, tempore, ac ſpatio vaneſcerent. Sed audax eſt natio hæreticorum, & contentionis cupidior, quam veritatis. Lutheranus quidam Miniſter a politico magiſtratu ad pſeudoepiſcopale faſtigium euectus, maledictis iaciendis aduerſus doctrinam Eſauitarum (ita ab his corruptoribus non tantum rerum, ſed etiam verborum, dicimur Ieſuitæ) præclara poſuit fundamenta dignitatis ſuæ. et quoniam admonemur reſpondendum ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſapiens ſibi videatur, ſacerdos noſter, a referendis abſtinens maledictis, quæcumque aduerſus doctrinam dicta eſſent, vehementer, & grauiter pro concione refutauit: id penetrauit altius aduerſariorum animos, & aperte querebantur certari conuicijs, diſcordias ſeri: reſponderunt Canonici, id quod res erat, nihil eſſe dictum a noſtro non moderate, nihil aduerſus hominem, ſed tantum pro cauſa: nihil quod non lenire potius quam aſperare cuiuſquam animum poſſet. et miſsi ſunt tabelliones publici, qui exciperent conciones, celeritatem linguæ manu ſequente: repertumque eſt, rem ipſam cum Canonicorum ſermone conuenire. poſt nubem illam apparuit Sol illuſtrior: multique cum ad nos acceſsiſ-

ſent

ſent iuuenes ſtudioſi,hæreſim eiurarunt: atque in his duo non ſolum hæreticam ſcholam, ſed domum etiam, ac parentes ipſos deſeruerunt, vt a noſtris informarentur. In vniuerſum,hoc anno Eccleſiæ reſtituti triginta: in quibus integra familia, raro admodum exemplo. Vidua quædam hæretica filiam miſerat in cœnobium virginum,donec adoleſceret,inſtituēdam:paucis poſt annis viro deſpondit: reluctatur virgo obiectu votiuæ virginitatis: ſed vi tandem victa,ſeu verecundia, conticuit:nec diſtulit vltio diuina: corripitur morbo ita graui, vt inter ſummos cruciatus corporis,mortem non metueret,ſed optaret. rigor dein occupat omnes neruos,vt carens vſu membrorum, hoc a mortua intereſſet,quod traheret animam moribunda: multis poſt diebus recepit ſenſum loquendi:et ad matrem. Tu vero mihi, inquit, cauſa omnis,& origo es mater præſentis doloris,quæ vitam mihi ereptum ibas,vt me a ſancto propoſito detruſiſti.at illa procumbens in genua: neque enim eſt facile orationem inuenire: cum contradici non poteſt: ſe filiam vouet,vbi primum conualuerit, ſanctiſsimæ Trinitati inter ſacras virgines conſecraturam.o maximā vim Catholicæ religionis, intra duas horas a voto concepto, virgo dolore omni morboque liberatur.Ergo illa in cœnobium virginum, mater in cœtum Catholicorum recepta.Ceterūm die anniuerſario Domini reuiuiſcentis, in hac par

ua inſula, diuino epulo refecti quadringenti, e quibus tantũ quinquaginta vnus aut alter, præbente Parocho, ſub vtraque communicarunt: licet hæretici Miniſtri tota vrbe non exigui numero dominentur. viſitati infirmi, & muniti, cum opus fuit, viatico: impetratæ eleemosynæ pro pauperibus. nutantes in fide erecti. qui multis milliaribus ad nos venerunt cauſa ſacramentorum, liberaliter habiti, & pie inſtructi. diſcordiæ ſublatæ. libri damnatæ ſuperſtitionis ſublati. diſtributi Catholici multorum conuerſioni. reconciliatus vir magni nominis Societati aduerſus. concubinæ aliquibus extractæ. Actum cum diuerſis curionibus, vt ſuo munere diligentius fungantur, & tradendæ doctrinæ Chriſtianæ libentius inſiſtant.

COLLEGIVM GRECIENSE.

DATVR opera, vt iuuentus doctrinæ, & pietatis armis inſtruatur ad rem Catholicam promouendam: vt perfidioſorum conatibus eatur obuiam, & errantes oues ad gregem Domini reducantur. non enim ſolum publice pro concione diſputatur contra hæreticos, & imperiti in fide inſtituuntur, ſed etiam inſerunt ſe noſtri in eorum ſcholas, ex occaſione inſcitiæ redarguendæ. cum ipſi contra ad noſtras etiam inuitati venire cunctentur. Porro ad Catholicam religionem reuocati quinquaginta

ginta quattuor. de aliquibus eorum hæc pauca dicenda. Vnum ex illis Deus conuertit clementi quadam violentia, timore iniecto: cum enim adhæſiſſet pellici, neglecta vxore, dæmonem videre viſus primum quidem in equi hinnientis, mox in imagine ſuis lutulétæ. hoc viſo territus cum confugiſſet ad preces, & ad propoſitum vitæ melioris, atra illa ſpecies ignem eructans faucibus, atque odorem tæterrimum poſt ſeſe relinquens, euanuit. igitur a ſacerdote noſtro expiatus, & in gratiam cum Eccleſia reductus. Matrona quædam vidua hæreſi nuntium miſſura labitur in morbum, quem cum cacodæmonum Miniſtri aſcriberent voto concepto, morituramque breui prænuntiarent, & carituram honore ſepulturæ, non deſeruit tamen inceptum: a Catholico enim presbytero munita ſacramentis, vt primum potuit delata eſt Grecium ad ſororem, vbi & vberius inſtructa a noſtris, haberi perinde poteſt patientiæ, vt perſeuerantiæ exemplum: nam, etſi penitus amiſit viſum oculorum, ſumma perfruitur mentis tranquillitate: vt facile agnoſcas non longius abeſſe clementiſsimum Deum ab ijs, qui corporis miſerias æquo animo ferunt. Extra vrbem ſimiliter non inſtrenue laboratum. Triginta ſalutaribus monitis rectam vitæ rationem edocti. Cũ parochus abeſſet ab oppido, operæ ſuæ vicariã fidem ſacerdos noſter ſuppoſuit per duos menſes: et extitit multiplex fructus: ille quidem

memorandus, quod frequenti concione perſuaſum populo, vt ne ante miſsionem diſcedatur a ſacro audiendo: cum antea poſt conſecrationem ipſam faceſſerent templo. Quod attinet ad ſcholas, magna huius gymnaſij fama remotas etiam in gentes: ita ex Italia etiã Poloniaque mittuntur, qui nobis dent operam non mediocri ſumptu. hoc anno tertia Philoſophiæ claſsis adiecta. Sereniſsimorum Principum erga nos beneuolentia declarata, tum compluribus argumentis; tum maxime illo, cũ ſemel præter omnem expectationem noſtram cum tribus liberis apud nos, & nobiſcum, eſſe voluerunt de cœna, quam ipſi miſerant lautiſſimam, vt noſtris etiam ſupereſſet. actioni de ſupremo iudicio iterum editæ, non ſolũ interfuere ipſi, ſed omnes etiam ſumptus neceſſarios libentiſsime ſubminiſtrarunt. Patrem prætecterea Cardanæum grauiter decumbentem aliquoties viſitarunt. Quin et aliquando cum ciues primarij ſuaſu hæreticorum obtuliſſent ſereniſsimo Principi libellum proboſum in noſtros, ipſemet calumnias diluit ſua ſponte: vt optanda fere fuerit criminatio, quæ teſtimonio iudicis nihil haberet propoſiti, præter contumeliam, & voluntatem nocendi. Idem inutilem illam ciuium libertatem liberos ad hæreticorum ſcholas mittendi, vt ea diſcerent, quæ ſi ſcirent, dedocendi erant, graui multa repreſsit: multaque alia decreuit ornamento

adiu-

adiumentoque Catholicæ religionis. Cum Aldobrandinus Cardinalis e legatione Romã rediens huc diuertiſſet, a ſereniſsimo eodem Principe deductus eſt in gymnaſium, exceptuſque a diſcipulis appoſita oratione, cui ipſe ſtatim paucis reſpondit, vt facundum, & ſapientem virum decebat, cum inſigni commendatione Societatis.

FVRSTENFELDENSIS, & Poetouienſis miſsiones.

IN MISSIONE Furſtẽfeldenſi Pater Michael Cardanæus, principio anni, perfecit, vt & reliqui ciues qui anno ſuperiore expiari Catholico ritu non potuere, expiarentur, & ſub altera ſpecie communicarent: vt denique Parochus præficeretur populo, qui eum locum impleret: iuit deinde mandatu Principis in ciuitatem vicinam Hartpergenſem, perutilem ibi operam nauaturus. id vt fieret commodius, Princeps per id tempus, iudicem quẽdam, qui deterreri non poterat, vt abſtineret ab vſu calicis, magiſtratu abire iuſsit: duos Senatores loco mouit in eadem pice hærentes: huc igitur cum Cardanæus veniſſet, Deo duce, facile quod voluit impetrauit: conuerſi omnes ad legitimum communicandi ritũ, vno, aut altero excepto, qui relicti veluti teſtes ſuperioris cõſuetudinis. His duabus ciuitatibus ab hæreſi

purgatis,Poetouium contendit: ea eſt vrbs vetus, & nobilis ad Drauum fluuium ſita: in qua pauciores inuenit Catholicos communi opinione: igitur vt hos quoque adduceret ad veritatem,nunc paucos,nunc plures alloquendo, nunc priuatim,nũc publice,ſic egit, vt ſedecim redirent in viam: ab his initijs Grecium proficiſcitur negotio expoſcente: ſed in itinere oppreſſus morbo, ad Catholicum virum nobilem cum diuertiſſet, & ſpes parua ſubeſſet ſalutis, de medicorum conſilio in Collegium lectica relatus, paulo poſt Eccleſiaſticis inſtructus ſacramentis defungitur: magnum fuit morti decus Catholicorum mæſtitia.

DOMVS PROBATIONIS BRVnenſis.

GRANDE documentum conſtantiæ dederunt,præter ceteros, Nouitij duo, quorum alter matris lacrimas, quibus adiungebat & preces, coram Olomucenſi Epiſcopo ſuam cauſam agentis: auiæ alter munera magni pretij per minorem fratrem tranſmittentis clanculum,neglexit: facile enim contemnit omnia, cui Deus vnus eſt omnium loco. et quamquam hic proprie Tyrones informantur, excurrere tamen ſubinde in proxima loca, vt perſpici poſſet, quid legitimo tempore eſſent effecturi. factum eſt illorum opera, vt e ruſticis multo plures

plures in templo noſtro, quam alijs annis, ſacramenta frequentarint. ſecundum Paſchales ferias vrbanorum ruſticorumque confeſsiones auditæ amplius mille quadringentæ: exceptis interim pagis noſtræ ditioni ſubiectis. nonaginta octo ad communionem, viginti quattuor ad religionem Catholicorũ traducti. publicas ad cuſtodias itum frequenter, ijſque conſultum, qui damnati capitis tradebantur in carnificis manus: nonnulli ante ſupplicium hæreſi liberati. ex oppido propinquo praua quædam conſuetudo, qua ſtato die conueniebat in vnam ædem omnis ætas, ac ſexus, ſine vllo diſcrimine, nec ſine periculo animarum, cum pio & priſco ſingulis diebus poſt meridiem. Deum orandi vſu commutata. Cum viris quibuſdam primarijs actum eſt, vt feſto die Paſchæ, alij dent prandiũ domi pauperibus: alij ad eos mittant, vel in hoſpitalem domum: alij denique adminiſtrent: pro ſuis quique facultatibus, aut captu: magna cum admiratione hæreticorum, qui alioqui nõ niſi ſua mirantur. Deſertores duo religionum ad ſua caſtra reducti. Diuerſorum præterea ordinum religioſi, qui a Societate noſtra erant animo alieniore ſine vlla cauſa, ita ſe nobis reddiderunt, vt iam ſolo habitu ſint a nobis differentes. ſub Paſcha miſſus ſacerdos vnus e noſtris Nicolſpurgum, mirum quam multorum fuerit vtilitati. trecenti amplius confeſsi; viſitatæ aliquot familiæ Anabaptiſtarum fere nul-
lo

lo cum fructu, ſed cum ſpe nonnulla aliquorum conuerſionis: apparuit imperitia ipſorum, cum ad obiecta quædam reſpondere non poſſent. ex eorum numero reſipuit vir alioqui inſignis ſollertia, & ætate venerabilis: inuiſi præterea pauperes in xenodochio, refectique muneribus Societatis. Vocatus etiam alter ad oppidum Brunæ proximum alta hæreſi immerſum, vt adeſſet mulieri Catholicæ de qua medici deſperauerant: quæ tamen, vt rite instructa eſt ſupremis ſacramentis, conualuit cum admiratione multorum: ex occaſione factum ſacrum quod iamdiu erat fieri deſitum: interfuerunt circiter quadraginta: nec defuerunt qui permoti oratione ſacerdotis ſe contulerunt Brunam, peccatorum maculis eluendi. ſed nos ad Collegium reuertamur. Diſcipulorum numerus in dies augeſcit: elucent maxime qui Dei matrem patronam habent. Ceterum in hac vrbe vir quidam & mulier poſt purgationem peccatorum, Euchariſtiamque rite perceptam, obſidione dæmonis liberati. ſed ratio liberandæ mulieris, quoniam difficilior fuit, in mediũ proferetur. Igitur mulieri cuidam, diabolus nunc in auis, nunc in canis, nunc in pueri faciem fæde conuerſus, ita ſæpe ſpectandum ſe exhibuit, vt etſi primum terrori eſſet, aſsidua tamen conſuetudo ſi non amorem concinnarit, dempſerit metum. nec defuere a diuerſis machinæ diuerſæ ad arcendum hoſtem: ſed elu

debat

debat omnes vetus vincendi: demum a primarijs ciuitatis ad ferendam afflictæ opem accerſimur: ergo primum adalligatur collo conſecrata in cera effigies cæleſtis agni: id adeo indigne tulit obſcenus amaſius, vt magnopere timuerint domeſtici, ne ipſamet reſticula e qua amuletum pendebat, obſtricto collo, excluderet ſpiritũ: additur iteratis vicibus aqua luſtralis, aliaque id genus expertæ virtutis: ipſa denique communitur Catholicis ſacramentis, a quibus antea abhorrebat: irritata ob hæc magis rabies canis inferni, priuat miſeram omni vſu membrorum: impingit caput in parietem, niſi accurrerent familiares, vtique diffringendum: ſublatam e lecto proijcit nudam in medium hypocauſtum: mulieris interea ſanguinei rubent oculi, ſpumat os, turget lingua: vt omnibus, qui eam ſuſtinerent intueri, aſpectu peræque miſerabilis, ac terribilis eſſet. ſuaſu noſtrorum inſtaurantur præſidia, & ſolidantur propugnacula diligentius: dum ad extremum occluſo omni aditu impotens animi diabolus abſceſsit: neque amplius redintegrauit pugnam. hoc ſpectaculum Catholicis multis, qui natura curioſitatis humanæ accurrerant cupidine viſendi, admirantibus factum, ſimulque gratantibus, vt in fide magis firmarentur, occaſio fuit.

COLLEGIVM CRVMLOVIENSE.

STERILE ſolum eſt Crumlouienſe, iamdiu ſcilicet incultum, fructus tamen vberior ſperatur in meſſe, quam in ſegete promittat: et fuit laboris nonnullum ſolatium. ex errorum tenebris ad veritatis lucem euaſere decem. Quidam qui dolore acceptæ iniuriæ malo ſe dæmoni deuouerat, certus illius, vſque ad mortē inimici, vel ſi ita res ferret, vſque ad ſuã, perſequendæ, noſtrorum opera, & cum inimico, & cum Deo, & cum Catholica religione reconciliatus eſt, ſummo gaudio piorum qui ad nos illum adduxerant: inimicitiæ præterea graues, ac diuturnæ ſedatæ. pecunia dolo malo poſſeſſa ad veros dominos redijt: Scholaſticorum, vt in dies ſingulos, numerus, ita, & pietas creſcit. Collegij ædificatio abſoluta. breui dabitur initium templo extruendo. Hæc domi: foris vero maiore lucro ſudatum eſt. Toparcha quidam ſtudio fidei Catholicæ reſtituendæ, oppidanis licet renitentibus in quibus dominabatur, cum amantibus monitis nihil proficeret, aut pœnarum metu, præſidio implorato ab Roſembergico Principe illuſtriſsimo, noſtros, libentibus animis, ad eam prouinciam deſtinauit: non irrito labore: breui pijs adhortationibus effectum, vt ſeptingenti hæreſim alta voce abnegarint, ſeſeque cum Eccleſia coniunxerint:

rint:alij centum viginti, qui erant Catholici, peccata confiterētur. ea res bonos lætitia, malos ſiqui adhuc ſuperſunt (ſit enim, vt extra legem viuentes, quicquid meruerunt ſemper expectent) dolore primum, mox etiam timore affecit.

MISSIO TVROCSIENSIS ET Scellienſis in Hungariam.

ETSI IN HVNGARIA non dum ſcholæ apertæ, dum expectatur locus a Cæſare decernendus, ſocij tamen a concionando, tradenda doctrina Chriſtiana, viſitandis ægrotis, pueris erudiendis, alijſque operibus pijs, numquam ceſſarunt: quibus rebus effectum eſt, vt maxima pars ſubiectorum, qui ante aduentum Societatis in hæc loca, erant hæreſi infecti, reiectis erroribus, contulerint ſe ad frequentanda Eccleſiæ ſacramenta, & plerique adducti ad percipiendam Euchariſtiam, vſu calicis prætermiſſo: adeo vt in paruo quodam vico, vbi ſolum familiæ quindecim, numerati ſint ſupra triginta, qui peregerunt confesſionem totius vitæ: ita ſingulis Dominicis, non deſunt, qui ſacroſanctis myſterijs operentur. ceterorum ſegnitiem caſtigauit viri cuiuſdam exemplum, qui cum ægre adduceretur ad confesſionem, ſine viatico deceſsit: ſtimulos addidit puella ægrota, quæ cum vim morbi ferre non

poſſet

poſſet, recitanda doctrina Chriſtiana, alijſque precationibus quas didicerat, inuocanda ſanctisſima Virgine, multiſque Cælitibus nominatim, adhortanda matre, vt & ipſa preces con iungeret, placidisſime obdormijt. in alio pago aduerſus hæreticos ita vehementer concionatus eſt noſter, vt magnam illis offenſionem, & contemptionem ad omnes paganos attulerit: iam perpeti ſe dicunt malle extrema omnia, quam cum hæreticis quid rei commiſcere: frequentes adeunt ad rem diuinam: ſed cum eorum templum per incultum, & negligentiam horridum ſqualidumque, in debitum nitorem lucemque reſtituere placeret, atque ea de re egiſſet Pater, tantus animorum ſecutus eſt motus, vt mulieres detracta ſibi amicula e corporibus, e capitibus tegmina, cōtulerint: viri præterea, tenue vulgus & ignobile, pro ſe quiſque pecuniolam, aut munuſculum aliquod operi faciēdo. Aquæ benedictæ vtilitas, & vſus cum religione auctus. In oppidulo quoque, & adiacentibus pagis, non minor extitit fructus. ſupplicationes litanijs recitandis die feſto Sancti Marci, triduoque ante Domini Aſcenſum, quæ exoleuerant, inſtauratæ. erat videre e vicinis pagis agmina per ſexum & ætatem diſpoſita, incedentia ſub Crucis vexillo, ad deſignata templa, cum cantico, rudi quidem & agreſti, ſed quod nouum indicaret concinentium ſtudium, cum iucunda voluptate. Progreſsi etiam ſumus

in

in vias locoſque omnes, qua patet ditio Societatis, reſtituẽdis Crucibus, quas hæretici deiecerant. fremunt ipſi videlicet, multumque laborant in labenti populo retinendo: ſed ſpes eſt fore, vt ſi diutius hæreamus in his locis, hoc quoque labore liberentur. excurritur ſimiliter in alios pagos diebus feſtis explicandæ doctrinæ. fitque interdum, vt vno die explicetur decem in locis, ſeu concio habeatur. atque hæc de pagis vectigalibus: nam ad alios difficile patet aditus: & ſunt animo obſtinatiore: ſed tamen intentati a nobis non relinquuntur. Concionati ſumus interdum: quod ſi non probarunt noſtram fidem, non improbarunt eruditionem: et nobilium familiaritate vtimur, e quibus nonnulli ad religionem reducti Collegium expetunt. Accidit quodam loco res commemoranda. nobilis quidam paterfamilias miſerat operarios in agrum die ſacro ſanctiſsimæ Euchariſtiæ: neque id quidem obliuione, ſed contemptu: mirum dictu, eadem hora, coorta tempeſtas horreum eius fulmine ſuccendit: quo incendio, et vicinorum trium ædes conflagrarũt. Nimirum vult clemẽtiſsimus Deus non ſolum mortalium vocibus, ſed etiam cæleſtium (quid enim aliud prodigia, & ſigna?) adimere hominibus omnem excuſationem non immutatæ voluntatis.

GER-

GERMANIA SVPERIOR.

ALVNTVR IN GERMANIA Superiore ſocij ducēti quinquaginta ſex. Ingolſtadij ſexaginta: Landspergæ triginta octo : triginta Dilingæ : vno minus Monachij :, Auguſtæ vigintiquinque : Oeniponti ſeptemdecim: ſedecim Lucernæ:Halæ,& Friburgi quaternideni: Ratisbonæ tredecim. Vitam finiere quinque:Iniere Societatem vnus & viginti.

COLLEGIVM INGOLſtadienſe.

PRAETER STATAS conciones, quas duobus in locis noſtri habent, in vicinis etiam Parœcijs aliquoties idē præſtitum cum fructu : excepta confeſsionum amplius ſeptem millia:in ijs generales plurimæ, vel certe multorum annorum.ad Eccleſiam reuertere viginti quinque : in his vnus Caluini olim aſſecla, & multorum corruptor, dein Lutheri æmulator opinionum: qui cum in neutra ſecta ſecuritatem reperiſſet,errabundus Ingolſtadium venit, vbi proborum hominum liberalitate ſuſtentatus,deque fide Catholica diligenter a,no

ſtris

ſtris edoctus, inuenit animi tranquillitatem: adoleſcentulus quindecim annorum cum frequenter audiſſet noſtris in ſcholis, ad quas itabat, de peruerſitate dogmatum Lutheri, tanto amore Catholicæ religionis exarſit, vt oblatis præceptori hæreticis libris, quos legerat parentis iuſſu, apud animum ſuum conſtitutum habuerit amplecti Catholicam fidem: quod cũ pater eius audiſſet, repẽte aduolat Ingolſtadiũ, vnde, precibus, pollicitationibus, minis futuræ etiam exhereditationis, quin, & adhortationibus, ſermonibuſque Prædicantium, nihil mouens, diſcedit re infecta: ſic tamen, vt ante filiũ multis cum lacrimis noſtrorum fidei committat. Tres remedio confeſsionis dæmonem abſe abegerunt, nocturnis diurniſque ſpectris terrores varios afferentem. Alius anxiferis ſcrupulorum aculeis ita male accipiebatur, vt neque Crucis ſignũ formare, neque exequi preces recitando poſſet, quin multa aduerſa reuertẽs ad eaſdem voces ſubinde reuolueretur, non tam debilitate, lapſuve linguæ, quam æſtu mentis: ex hac miſera ſolicitudine quomodo ſe expediret, ab vno e noſtris ſacerdotibus conſilium expetijt, Deoque adiuuante factum eſt, vt vna eius congreſsione, auertentis noxam ab inuito, ac docentis, vnde voluntas abſit, culpam abeſſe, non modo timore omni, ſed etiam cura libeararetur. Viri duo, e quibus alter monachus, in grauiſsimo morbo cum deficere ani-

mam ſentirent, (tunc enim præcipuus votorum locus eſt cum ſpei nullus eſt) Dei genitrice ſuppliciter inuocata, conualuerunt. Quidam ſummo loco natus cum Bacchanaliorum diebus magnam pecuniam ludendo comparaſſet, eam omnem de noſtrorum conſilio in pauperum vſus erogauit. Data eſt in ſcena illis ipſis diebus Pœnulus Plautina: qua hilare concluſa, acceſsit appendix, quæ plus haberet vtilitatis. Proceſsit adoleſcens cum muliebri ſchemate referens Pietatem, vultu, amictu, geſtu, omnibus ad mæſtitiam compoſitis: tum ſermone lamentabili, mortui caput, quod hactenus fuerat in media ſcena, & ſublimi loco opertum, digito demonſtrans, breui quodam grauique exodio, percurrens omnes hominum gradus, admonebat vnam tandem ſpeciem futuram omnium, & quemcumque ſplendorem rerum humanarum deſinere in illam vmbrã. augebat religionem, & metum, caput ipſum, terrificum reſonante voce, per cauatam ad id arundinem clanculum inſpiratã, reddens ſæpius hæc verba, Mori neceſſe eſt. quo triſti ſpectaculo ac terrore occupatis animis, actio tota conticuit. Catechiſmi explicatio, quæ ſex diuerſis in locis traditur, nõ ſolum iuuentuti natuque grandioribus fructuoſa accidit, ſed in templum etiam capaciſsimum transferenda fuit, ſuperante multitudine. Cum extrema Quadrageſima populus Ingolſtadienſis de more varia templa obiret, Catechiſtica

etiam

etiam ſchola, perpetuo agmine perſonantibus vijs muſico concentu, ſub ſignis apparuit magno certamine pietatis. Eodem tempore, in vicinis aliquot pagis, patres noſtri non infructuoſi fuerunt: conciones habitæ: confeſsiones auditæ ad quadringentas: et vero cum flexiſſent in quoddam Bauariæ oppidum, iamque rumor peruaſiſſet fore, vt ad confeſsionem omnes adigerentur, noſtri, vt occurrerent famæ ita aduerſæ, cum Parocho egerunt, conuocato coram populo refutaret, quæ nullo auctore certo iactabantur: neminem cogendum: confitendi, non confitendi liberam omnibus poteſtatem fore: neque vltra vnum aut alterum diem calidum mendacium valuit. igitur illic etiam concionati: & audierunt non paucos ſponte confitentes. doctrina Chriſtiana magno cōcurſu hominum tradi cœpta: compoſitæ inimicitiæ: odia reſtincta. Ceterum cum propter flagrantem horam Caniculæ grauiora ſtudia proferrentur, noſtrorum induſtria in varijs religioſorum cœnobijs vtiliter verſata eſt: eoque nomine ſibi, & Societati vniuerſæ monachorum animos deuinxerunt: ex eo effectum, vt e varijs Bauariæ monaſterijs, in Collegio cōuictorum, pæne quinquaginta numerentur. De re litteraria illud ſcribere habeo, eam, & numero auditorum, & diligentia numquam feliciorem fuiſſe. In Academia crebro de rebus Theologicis, & Philoſophicis diſputatum, quibus exercitationibus

frequētes interfuere iuniores ſereniſsimi Prin cipes, & præclarum eruditionis ſpecimen interdum dedere: quinque Theologica laurea donati: e quibus tres Pontificij alumni: libri varij, & ad rē Catholicam iuuandam appoſiti noſtrorum opera prodiere: e quibus non pauci ad diuerſa loca tranſmiſsi, magno, vti ſperamus, multorum emolumento: offuciæ hæreticorum crepuerunt in igne. Duo deſiderabantur ad meliorem Collegij ſtatum, quo pluribus poſſet prodeſſe: paulo ampliores reditus, & capacius ſacellum: vtrique incommodo remedium pro tempore allatum eſt. Monaſterium quoddam ad noſtras rationes acceſsit, & templum biennio ante inceptum, conſecratum hoc anno quarto calendas Nouembris. Sed de vtroque ſeorſum nonnulla dicenda. igitur ex occaſione Monaſterij excurſum eſt in loca ſubiecta, & præuia exomologeſi conuenere ad ſynaxim centum ſexaginta: ſuperſtitiones etiam multæ ſublatæ: hæreticus quidam, qui complures iam annos pro Catholico ſe gerebat, amiſſa ſimulatione ſe cum Eccleſia reconciliauit. Iam, vt adijciamus de abſolutione templi, & de eius initijs aliquid dicendum. Nemo auctor ipſius ædificandi fuit, nemo pollicitus eſt impenſam: debile ipſius principium, mediocres progreſſus, celer exitus & facilis: ab ſancta Cruce appellationem habet. Porro die conſecrationis varia carminum genera, & ænigmata diei lo-

coque

coque congruentia parietibus affixa, eleganti pictura. Pranſi in Collegio ſereniſſimi Principes iuniores, e quibus Ferdinandus ſub veſperas ad frequentiſſimum populum orationem habuit Latinam, ſingulari omnium approbatione: & ne quid deeſſet ad illius diei celebritatem, in area Collegij conuictorum data eſt tragædia Iezabel, admirabili applauſu ſpectatorũ.

MISSIO BRVNOVIENSIS.

BRVNOVIVM oppidum eſt inferioris Bauariæ: huc miſſi ſacerdotes duo ſub initium Quadrageſimæ: & quamquam principio nonnihil commoueri videbantur, an iactis vocibus maleuolorum, oppidani ſuſpicaces, paulatim tamen deleniti ſunt noſtrorũ conſuetudine: & ſuſpicio abſceſſit. Quarta vnus, & ſexta quaque feria, diebus item feſtis, concionabatur ad populum: doctrinam Chriſtianam alter exponebat, ita aſſentiẽtibus hominibus, & accurrentibus, vt e quadam æde ſatis ampla migrari in aliam capaciorem fuerit neceſſe: fructus par vtriuſque labori. inueterati abuſus ſublati, accerſitis inſtitutis melioribus: quale fuit illud recitandi Roſarium Mariæ Virginis: iam enim præclara ea conſuetudo ita exoleuerat, vt ſi conſpiceretur aliquis cum Roſario, irriſui eſſet. aures datæ confitẽtibus quadringentis quinquaginta. famoſa mu-

lier a turpi vitæ ratione ad honeſtatem adducta. ludimagiſtri ad iuuentutem tum litteris, tum bonis moribus rectius informandam edocti. noſodochia viſitata, non abſque miſerorũ ſolatio fructuque: illud vnum plerique mirabantur, quod noſtri non minus familiariter cum tenuibus, & egentibus, quam cum honoratis, & opulentis hominibus verſari conſueſſent. Ceterum quam grata ciuibus & accepta fuerint noſtrorum obſequia, cum alias non ſemel, tum maxime in eorum abitu demonſtratum eſt: nam Senatorius ordo non magnifico ſolum epulo, nomine totius ciuitatis, illos excepit, ſed & liberale viaticum ſe curaturum affirmauit. recuſarunt ipſi, cum hoc dicto, ſatis ſe ab illis habere, ſi intelligerent labores ſuos eorum ciuitati non iniucundos, nec inutiles fuiſſe.

COLLEGIVM DILINGANVM.

MEDITATIONIBVS Societatis, præter monachos quinque, Parochus vnus, & tres adoleſcentes, cum fructu exculti: in Societatem recepti nouèm. Sodalitas Deiparæ virginis tripartita eſt: conflatur ſcilicet e maioribus, minoribus, monachis: triplex genus hominum; triplex appellatio: maximus omnium in pietate, & litteris profectus. Poſt acceptas ab vrbe leges, exactior diſciplina.

Quidam

Quidam a praua flagitiorum conſuetudine abreptus nocturna imagine hominis ſtricto enſe cædem minantis. Monachi ferme ſexaginta. e noſtra enim educatione extitere Abbates perutiles cœnobijs ſuis: e quibus ſubinde alios mittunt ad eumdem ludum. ad Collegium conuictorum etiam ſummi Pontificis Seminarium pertinet, quod ex Theologiæ dumtaxat, vel ex Philoſophiæ, auditoribus conſtat: aliquot in meſſem Domini hoc anno emisſi, varijs in locis apud Principes viros & frequentes populos fructuoſe agunt: vt appareat non ad ſpeciem ſolum, quod muſſant nonnulli, ſed multo magis ad vſum Seminaria publica inſtituta. Illud vero de diſcipulis vniuerſe dici poteſt, eſſe non de ſua tãtum, ſed & de ſuorum ſalute ſolicitos: ita, ſi quem e noſtris per eorum patriam tranſire contigerit, dant litteras domum, ne tam exoptatam de peccatis confitendi occaſionem præterire patiantur. In litteris etiam progreſſus non exigui: quod, & teſtantur multi promoti ad Academicos gradus, & publicæ diſputationes. Cum in vicino oppido Lutherana ſchola aſſertiones nonnullas aduerſus bona opera euulgaſſet, quidam eius loci auditor ad noſtrum hominem ſibi cognitum exemplar miſit, adſignificans permultis gratum fore, ſi de noſtris quiſpiam eo diſputatum ſe conferret: iuerunt duo, Theologis aliquot auditoribus comitati: ad eorũ ingreſſum aſpectumque,

vt pote ex improuiſo, admurmurante toto cō-ſeſſu, magna omnes admiratio, & expectatio cepit: cum a Præſide, ſuperbia an formidine, nō inuitarentur, ipſi tandem modeſte ſe offerunt, & inuitatos dudum ſeſe profitentes pagina tranſmiſſa, petunt diſputandi locum. Heu imperitia: vt ſæpe in depoſcendis aduerſarijs audax es, vbi abſunt: cum aduenere, in detrectā-dis meticuloſa. quid agat ſorex ſuo indicio deprehenſus, & deſperato effugio? fluctuatur, hæſitat, vultu, colore, ac motu corporis pariter, atque animo varius, negat a ſe quemquam inuitatum, eſſe alios audiendos, non ſupereſſe ſpatium: denique terit tempus: ægre tamen, pro ſua modeſtia, noſtri, vt argumentarentur extorſere. Inter diſputandum, mirum dictu quam multa aliena, abſona, abſurda, nebulo effutierit: quam non ſolum Catholicis, ſed etiā ſibi pugnantia. difficile eſt enim contra veritatem ſtare pro mendacio: denique eo deſcendit, vt negaret Fidem neceſſariā eſſe ad ſalutē. actū tamen in tota diſceptatione, modeſte, ſine iurgijs, & clamoribus. mirū fuit oppidanis, cū viderunt ſuos Prædicantes, qui in ſuggeſtu tam magnifice de ſe, & cōtemptim de Catholicis loquebantur, vt vel ſpiritu difflaturos gloriarentur omnem machinam illorum, repente viſo vno vtque altero Ieſuita, ita corruiſſe, vt haud ſecus quam icti peſtifero ſidere pauerent. Extra Academiam ciuibus etiam opera noſtra num-

quam

quam defuit. In templo magnus omnino confitentium numerus, & communicantium, non vrbanorum modo, ſed externorum quoque, eã ob causã vel e locis longinquis ad noſtros conuenientiũ. confeſsiones de tota vita auditæ plurimæ: ab hæreſi ſoluti vltra viginti: ſcripta hæretica, ſuperſtitioſa, impudica, exuſta. inimicitiæ ſublatæ. cum Parochis quibuſdam actum de concubinis eijciendis, deque recte vita inſtituenda: multi qui a dæmone putabantur obſeſsi, ad nos miſsi, conſilijs & ſalutari confeſsione adiuti. Quidam, qui magica ſuperſtitione, ture, cereis incenſis, mactatione gallinarum alijſque impietatibus dæmonem venerabatur: alius item, qui cum eodem bis proprio ſanguine ſanxerat fœdus, ad veram religionem directi. Itum ſæpe in leproſorum domum, & valetudinarium, cum aliquo fructu: ad ægrotos etiam in vrbe, e quibus phrenetici duo, cũ ad ſe rediiſſent, paulo ante mortem peractis omnibus quæ decent religionem Chriſtianam, petita & impetrata a circumſtantibus venia, diem ſuum obierunt. Catechiſmi explicatio quæ in Parœcia, ſuperiore anno, nobis commendata eſt, ſua eam auctoritate, & liberalitate Epiſcopo premouente, felices progreſſus habet: eius ære, plurimi libri, imagines, Roſaria partim in vrbe, partim in pagis cum fructu diſtributa. ludi moderator Germanicus, quo promptius ſuis cum pueris Catechiſmum frequen-

quetaret, ab eodem donatus: eiuſdem iuſſu, Catechiſmi tempore, Prætor vrbanus, plateas, & compita luſtrare ſolet, vt nequis ſit interea qui laſciuiæ deditus aut inertiæ, illam horam præterfluere ſinat. Hæc domi acta. foris etiam non nihil. In pagis vicinis frequentior ſacrorum vſus introductus: multi in fide firmati: cuidam perſuaſum, vt deponeret Iudaicas ſuperſtitiones. Ginsburgũ, vt alijs etiam annis, itum diebus ieiunij maioris, ibique habendis ſermonibus ad populum, audiendis confeſsionibus amplius ſexcentis, rudibus inſtituendis, ægrotis inuiſendis, vtiliter laboratum. eodem tempore Vertingam primum euocati: trecentæque illic confeſsiones plus minus exceptæ: aliaque nonnulla ex illius populi ſalute geſta ſunt. Vicinis nobilibus, a quibus accerſebamur, conſilio æque, & obſequio præſto fuimus. Ferijs æſtiuis ſacerdotes duo Almangauiam ab Epiſcopo cum litteris, & viatico miſsi, eam præcipue operam dederunt, vt Catechiſmi docendi traderent rationem in Parœcijs, ſcholiſque, & alijs locis: publicis deinde priuatiſque ſermonibus multa effecerunt: ſimultates ſopitæ: mores emendati: vitia extirpata: renouatus cultus antiquæ religionis. Quodam loco accidit, vt cum multi confeſsione expiati ſe compararent ad Euchariſtiam poſtridie ſumendam, mulier de repente corriperetur pedum doloribus peracerbis: ſic vt non niſi ſcipionis,

& alio-

& aliorũ adminiculo duceretur, potius quam graderetur ad templum. mirabile dictu, ſumpta Euchariſtia, cuius incredibili deſiderio tenebatur, liberata omni moleſtia inter medios gratantes domum abijt exultans. ſub idem tempus, alij ſacerdotes duo, in varijs Sueuiæ monaſterijs non ſine fructu hæſerunt: ac ne toties contrita perſequamur, cum ad cœnobium virginum ipſius rogatu Antiſtitis exhortatio habetur, tale apertũ eſt oſtium rei bene gerendæ, vt ſub Calendas Nouembres accerſeretur ſacerdos ad omnium confeſsiones: erat in ijs vna, neſcias naturæ vitio, an dæmonis inſtinctu, alijs moleſta, quibus, & ſæpe intentauerat cædem: eadem Patris noſtri ſermonibus ita demitigata eſt, vt ceteræ mirentur. Apud cœnobium etiam, quo tantum patet aditus virginibus illuſtri familia (Canoniſſas appellant) eadem præſtita munera Societatis. Sacerdos alius e noſtris, in thermis cum ageret, frequenti Miſſæ ſacrificio, & hebdomadaria quorumdam confeſsione communioneque, eius loci incolas ad pietatem accendit. Inde, peruigilationes hibernæ, quibus iuuenes inter puellaſque, ſaltationes, cantiones, compotationes, exercebantur, ſemina malorum, exactæ. Puella quædam eius loci decumbebat deſtituta omni fere ſenſu, hortatur ſacerdos eos, quorum intererat, vt ad opem diuinam confugiant, poſtridieque ſacro interſint: paruerũt illi, & puella me-

la melius habere cœpit. deinde omnino conualuit. Eluangam hoc etiam anno ſæpius itum. Quadrageſimam totam duo ibidem ſacerdotes perquam vtiliter occupati fuere. Catechiſmi ſchola, quam Principis munera vehementer ornarunt, numquam frequentior. abſterſerunt ſordes conſcientiæ centum homines ſupra mille: liberati ab hæreſi non pauci. Denique Eluacenſis populus, Dei beneficio, quotannis fit melior, & doctior. Eſt oppidum Eluangæ proximum Reuerendiſsimo Præpoſito ſubiectum, ſitum in finibus hæreticorum, ipſumque propter negligentiam Parochorum infectum hæreſi magnam partem. Miſſus eo alius ſacerdos, per partem veris ieiunio ſacratam, & poſuit operam, in ea gente adiuuanda, non ſolum vtilem, ſed neceſſariam. hæreticorum libri inflammati: rudes in fide inſtructi: ne oppidanorum filij apud vicinos hæreticos educētur, publice cautum: religionem Catholicam reſpexere ducenti. His alijsque officijs illum populum ita demeritus eſt pater, vt abeuntem comploratione proſequerentur. Ceterum his noſtrorum laboribus, admirabilis Dei benignitas, & piorum hominum, virorumque nobilium, maxime ipſius Principis, ſpectata ſæpius liberalitas egregie reſpondit.

COLLEGIVM MONACHIENSE.

AD TERNAS conciones acceſsit Italica rogatu ſereniſsimi Ducis .Doctrinæ Chriſtianæ,quæ traditur in templis quinque, nihilo fere minor,quam concionum fructus : ſed cum ob veteris aulæ ſacellum Italo concionatori conceſſum , deeſſet vni Catechiſtæ locus, ſereniſsimus Princeps Ferdinandus rogatus de ſuo, quod habet apparatiſsimum,non ſolum libenter dedit, ſed multa etiam addidit munuſcula,quibus puerorum ætas allici ſolet: homines vicies mille noxis ſoluti:hæreſi tres & quadraginta : obſcenorum auctorum,& damnatorum libri combuſti: mulieres ſex ab impuritate vitæ ad honeſtatem traductæ: odiorum radices, quæ partim tacite,partim aperte ſerpebant, cum fibris euulſæ. Quidam luculentæ plagæ, quam in facie acceperat, iniuriam condonauit: alij præſtigijs dæmonum liberati: a meditatis ſceleribus, ac præcipue a conſciſcenda ſibi morte nonnulli deterriti: fuerunt & quidam,qui diuinitus ſe admonitos fuiſſe dixerũt, vt ſuſceptis longi itineris difficultatibus apud nos peragerent confeſsionem.ad ægrotos, & animam agentes aditum frequẽter, magnoque cum fructu.ad mortem propter maleficia damnatis allatum ſolatium, & ſubſidium . Quo ex numero, mulier acta ad ſupplicium, cum forte

obuium

obuium habuiſſet auctorem comprehenſionis ſuæ, commaſculans frontem, Tibi vero, inquit, libenter ignoſco, ago etiam grates: plus enim mihi inimicus profuiſti odio, quam amici omnes profuiſſent obſequio. Ad ſubiectos interdum pagos excurritur, & dum adulti confeſſione expiantur, erudiũtur pueri doctrina. Magna autem pietas Monachienſium: declarant eam cum cetero anno, tum vltimis præcipue diebus ſanctioris hebdomadæ, venerantes in templo noſtro inſtructiſsimum Domini ſepulcrum: nec vinci ſe patitur Dux cum coniuge sereniſsima: quo tempore vidiſſes (nec temperaſſes a lacrimis) pueros Angelorum ornatu, certa de Domini cruciatibus capita, diſtincte, & explicate prælegentes: nam quid dicam de crebris quorumdam verberationibus? per integram horam vnus grandior natu, vel prohibẽtibus alijs, ſeſe cecidit: minoribus cum præfinitum eſſet ſpatium non ita longum, breuitatem temporis verberum grauitate penſarunt: votiuis peregrinationibus anniuerſarijs adiuncti aliquot e noſtris vtilem operã poſuere. Domini Præpoſiti vocatu duo Oetingã miſsi, cum primaria Sodalitate, poſt Chriſti ferias reſurgentis: poſt aſcendentis enim ad Montem Sanctũ iuere quinque: in qua peregrinatione nihil ad exemplum illuſtrius fuit trium Principum iuniorum præſentia, quos sereniſsimus parens accerſierat: ibant pedites, & pelliti, Roſarijs e

collo pendentibus, vt habitu a ceteris ſodalibus nihil differrent. Mandatu Ducis Chriſtianiſsimi, pro Eccleſia,& afflictis præſertim Galliæ rebus, tridui ſuplicatio indicta: vt viri mulieresque irent ad templa diuerſa. Sex id temporis habitæ conciones: quattuor a noſtris: has ſupplicationes conſecuta eſt comprecatio horarum quadraginta, diſtributis vicibus in Sodalitates,& Clerum: ſpectata præter ceteros religio adoleſcentium vtriuſque Sodalitatis. clauſit ordinem cum omnibus ſuis aulicis Dux ipſe, qui horis duabus, fixis humi genibus, ita attente orauit, vt ceteri omnes fatigarẽtur. Nec vero tantum ſuis prælucet ſubditis pietate, ſed profuit etiam non parũ ſeueritate. Graue propoſuit edictum principio anni in eos, qui verbo violarent numen diuinum. iuſsit id promulgari a concionatoribus pro ſuggeſtu: dein tertio quoque menſe, ne quis cauſetur obliuionem, ipſius memoriam populo renouari. Hinc multis magiſter officij ſupplicij metus. Scholas noſtras frequens, & delecta iuuentus nobilitat. floret etiam,& augetur cõuictorum contuberniũ: etſi propter locorum anguſtias complures excluduntur: ad litterarum cognitionem, & ſtudium religionis pari curſu contendunt. Inter omnes primas tenent qui Deiparæ Sodalitio nomen dedere: ſunt enim etiam intenti proximorum ſaluti: adducunt alios ad patefacienda peccata, alios ad deponendas in-

iurias.

iurias . ſunt qui præcidant multis cauſam flagi tij , nec deſunt qui egenorum paupertatem liberalitate ſolentur.Extremum illud eſſet, vt diceremus aliquid de eximia voluntate,& munificentia erga nos optimi Principis : ſed quoniā nulla eloquēs gratiarum actio reperiri poteſt , quæ adæquet minimam partem illius magnitudinis, in admiratione tacita reponatur .

COLLEGIVM AVGVSTANVM.

CONCIO quæ in templo noſtro ſub initium Quadrageſimæ haberi ſolebat, mutauit in Catechiſmum . confluunt pueri puellæque , ipſi etiam adulti : ſed inter pueros & puellas æmulatio permagna , certamen vero etiam viſendum. victores exultant, victi concidunt: ſed ita, vt alio die paratiores reuertantur: auget cupiditatem voluptas cantionum, & munuſculorum frequentia : eiecerunt ſe a prauis opinionibus de religione viginti nouem : non pauci ſuſcepto multorum milliarium itinere ad nos venerunt exonerādæ conſcientiæ : nutans in fide , & defectionem cogitans , ne laberetur erectus . Quædam ab hæreticis inducta, mox pœnitens facti, inſtructa, & ad illorum laqueos cautior facta. virgines duæ inter hæreticos aliquot annos verſatæ, numquam adduci potuere, vt eorum cœnam deguſtarent: alia, ieiunij tempore, carnes per vim ori ingeſtas con-

temptis

temptis minis præmijſque, admirabili conſtantia eiecit. Quidam inops rei familiaris mentiſque, cum ſe in profluentem proieciſſet, ſemianimis extractus, vtriuſque rei remedium, Deo dante, a noſtris accepit. Prætereo adulterina cōiugia, & illegitimos toros ſeparatos, disſidia inter coniuges compoſita, libros de rebus turpiculis, & periculoſis in ignem coniectos, dubios retentos in fide: aliaque ſollemnia. ægroti in noſocomijs, & alijs etiam domicilijs vrbanis, dies noctesque viſitati: apud eoſdem necesſitate vrgente excubiæ actæ: adultis carentibus Confirmationis ſacramento, & præ pudore abſtinentibus perſuaſerunt noſtri, vt abſtinere vereantur: quod pudere præſtet, quam pigere, vbi prætermisſio neceſſarij officij eſt periculoſa. egenis ac tenuibus familijs piorum hominum liberalitate benigne factum. In pagis duobus ſuburbanis Catechiſmi explicatio numquam intermiſſa: in eorum altero, abſente Parocho, concionum confesſionumque par fuit fructus. alio loco, puella, furore, an diabolo impellente, nullum ſignum habens ſanæ mentis tranquillitati reddita. Ac ne plura his ſimilia conſecter. Pater vnus in graui negotio euocatus, illuſtris viri coniugem non ſolum reperit a viro alienatam, ſed prope a mente deſertam: ac primum detractis ſuperſtitioſis nugis cum inuolucris aureis, quas habebat ad collū, ac repoſito in eorum locum ſimulacro agni

 cæle-

cæleſtis, in cera conſecrata, bene ſperare iuſſa: tum deinde confeſsionem de tota vita vt inſtitueret admonita: nec ſpes illa, aut confeſsio fruſtra fuit: prouoluta ad genua mariti, mærens, & lacrimans, vt in gratiam reciperetur poſtulauit: magna vis pecuniæ ſacerdoti oblata reiectaque eſt: illud depopoſcit, teſtificandæ non ingratæ erga Deum voluntatis, daret operam, vt correctior eſſet Clericorũ diſciplina: erudiretur populus præceptis Chriſtianis: ac, ſi quis irreligioſe vſurpaſſet nomen diuinum, graui pœna ſanciret: id ſe facturum pollicitus eſt regulus, quin etiam chirographo firmauit. Ceterum ſacrum inſtrumentum ita auctum, altareque maximum tot muneribus, & operibus exornatum, vt eorum magnificentia, & liberalem oſtendat piorum voluntatem, & excitet mirantium religionem: nec defuere aliquorum dona, quibus Scholaſticorum pauperum, qui aliena viuunt miſericordia, & Collegij egeſtas tolleraretur. Ad diſcipulorum pietatem promouendam conſtituta Sodalitas perpetuæ Virginis, & paucis numero menſibus ſpem omnem vbertate ſuperauit. Has ob res, quarto ante idus Septembris, poſt datum a ſodalibus ſcenæ, ac populo, vnum e miraculis Matris ſanctiſsimæ, recitatum eſt decretum confirmationis in frequenti corona virorum illuſtrium, tanta approbatione omnium, vt e Scholaſticis tantum, delectu habito, nonaginta amplius cenſeantur.

Actus etiam dialogus, vt fere quotannis, in renouatione ſtudiorum tanta ſpectantium voluptate, vt admirabile eſſet. Progymnaſmatũ Latinitatis auctore Patre Iacobo Pontano volumina duo (tertium enim adhuc eſt ſub lima) ita grata, & vtilia acciderunt, vt a pueris non ſolum ediſcantur paſsim, & recitentur in diſputatione, ſed doctorum etiam virorum terantur manibus, & commendentur: id ei rei ſignum: quod ter vno anno impreſſum eſt Ingolſtadij volumen primum: hoc quanti ſit, facile ex illis intelligitur, qui fuerunt ſuperſtites librorum ſuorum. Fridbergenſis domus ſuburbana, de qua proxime ſcripſimus, ornatu templi, & horti cuiuſdam acceſsione, amplior, & illuſtrior facta.

LANDSPERGENSE COLLEGIVM.

E NOVITIORVM grege, exacto probationis biennio, ad varia huius Prouinciæ Collegia ſeptemdecim miſsi: ceterorum qui exercentur, magna ſpes, indoles, induſtria: illudque peculiare ſtudium, vt tales ſint, quales eos eſſe noſtrarum legum diſciplina, & Superiores volunt. mittuntur interim ad pagos, & conſueſcunt imbuere puerorum mentes, & agreſtium: rudimenta illa, & incunabula noſtræ Societatis. Peregrinationes ad pia loca, & remota ſuſceperunt duodeuiginti, haud ſcias ma-

iore defatigatione corporum, an animorum exercitatione: nam præter laborem, & incommoda itineris, magna etiam verborum contumelia, & iniurijs, ab hæreticis affecti: quæ tamen omnia, illorum vicem magis dolentes, forti pectore tulerunt. varijs etiam in locis, occaſione oblata, afflictis & egentibus fuere magno ſolatio. Parocho in primis grauiter ægrotanti, quem Nouitius ſacerdos (reluctantibus licet domeſticis, & præſtigiatorem appellantibus) eo perduxit, vt eiecta concubina, e qua numeroſam prolem ſuſceperat, aperuerit omnia peccata, quæ vel a pueritia meminiſſet: et ſi cōualuiſſet, receperit ordinaturum melius vitã, honeſto quodam viro præſente, data dextera, in id quod petebatur, fidei obligandæ. Hæc de Nouitijs. Conciones tum in noſtro templo, & in Parœcia magna, tum etiam in pago ciuitati proximo, frequẽtes fuere; auctusque numerus frequentantium ſacramenta: verum ne quis in confeſsione rite atque ordine obeunda, prætendere poſsit ignorantiam, traditus eſt publice modus, quo quiſque totum diem ſecum ſcrutetur, factaque ac dicta omnia noctu remetiatur: eam rationem complexi homines circiter ducenti: cum Eccleſia in gratiam reſtituti hæretici nouẽ: libri damnatæ perfidiæ oblati, abſumptique flammis. Quidam grauiſsimis conſcientiæ ſtimulis agitati, deque ſalute animæ deſperãtes, atque ex eo numero præcipue tres,

libe-

liberati moleſtiſsima cura, & ad ſpem meliorem erecti. Mulier, quæ toto fere triennio, quo ſacris abſtinuit, ipſa ſuum cor edens, & vitans veſtigia hominum, errabat miſera in campis, dæmone interim inſtigante, vt vim vitæ ſuæ afferret, vel aqua, vel laqueo, noſtrorum ſuaſu ſibi, & hominum cœtui reſtituta. Alia vehementer vexata a dæmone, & vir quidam, vt arbitrabatur, a Lamijs nocturnis, remedium inuenere: ab aqua luſtrali illa, hic a conſecrata imagine agni. deſtitit vnus a conſilio ſibi conſciſcendæ mortis: ab incepto alius præbendi alteri venenum. vna denique mulier, cum a pueritia deperiſſet adoleſcentulum, irrito voto, in furorem verſa, cacodæmoni, qui ei ſe obtulerat in eius ſpecie quam amabat, pecuniam pollicens, & alia munera, ſi Deo Mariæque renunciaret, vt ſunt faciles plerumque mulieres, præſertim vbi aurum refulſerit, ſuccubuit: eius deinde cõſuetudine vſa eſt ad annos quindecim: cum interea nõ abſtineret a flagitijs infandis: hæc tandem, Dei ductu, cum acceſsiſſet ad noſtros, eiuſdem benignitate, reſciſſo fœdere ab immani tyrannide liberata eſt. Prætermitto hic, vt in tranſcurſu, impedita diuortia, concubinas amandatas, res reſtitutas, pauperum, curiſque anxiorum neceſsitatibus conſultum, ægrotis vinctiſque ſubuentum. hæc & alia, ſingillatim prodi poſſent, ſi vellem: ſed nos cum delectu modum ſeruabimus.

COLLEGIVM OENIPONTANVM.

POENITENTIVM multitudo concionum fructum oſtendit. Peccata apud nos expiarunt hominũ ſeptemmillia trecenti quattuor: hæretici aliquot perſanati: meretrices e profundo libidinis, & deſperationis extractæ: vir adductus, vt pellicem quam habebat, vxorem duceret, recreatus e graui morbo: nonnullis, quos malignus hoſtis furijs agitabat, indictis precibus, & particula cõſecratæ ceræ, auxilium allatum. Idem remedium cuidam adhibitum, qui, cum ex futurarum rerum prædictione exiſtimationem ſibi conciliare vellet, ad dæmonem adhæſerat: hunc cum morbus adfixiſſet lecto, ſine ſpe valetudinis recuperandæ, atque, vt indicabat ipſe, voce, nutu, motuque corporis, deſperata animæ ſalute, audiuit tamen vnus e noſtris, nec multo poſt Deus ſanitati reſtituit: & agnouit ille beneficium, animæ, magis, quam corporis incolumnitate lætatus. Furiæ neſcio quæ ſic puerum inuaſerant, vt deſertos per locos, ſiluaſque deerraret lymphatico diſcurſu: is cum vi adductus ad noſtros eſſet, animaduerſum eſt habere ſchedulas, in quibus notæ non intellectæ, & monſtroſa nomina deſcripta: illis ſublatis, ſacer agnus collo appenſus puerum furore liberauit. Quidam inſimulatus furti, capitiſque damnatus, cum pudore

ſimul,

ſimul, & dolore anxius, incluſo ſpiritu, pœnam morte tentat præcurrere, Dei matris, cui ſe commendarat, auxilio prohibetur a facinore, mox etiam innocentiæ compertus abſoluitur. Quidam, præcipiti fere ſenectute, vt requiem, aut finem reperiret dolorum, quibus acerrimis torquebatur, iam ſe ſecandum, vrendumque medicis permiſerat, adit ad eum ſacerdos noſter, cauſa officij, perſuadet profeſsionem fidei, damnatorumque librorum inflammationẽ: ipſe autem his rebus magis, quam curationi medicorũ, valetudinem acceptam refert. Sequeretur nũc, vt de datis cõſilijs, ſublatis odijs, reſtitutis rebus, explicato decantatoque Catechiſmo, aliquid diceretur; ſed illa ſollemnia. In pago finitimo trimeſtre ſpatium poſitum exequendis, non ſine fructu, muneribus Societatis. Sodalitas Parthenia iampridem inſtituta, nouiſque legibus hoc anno formata, diligenter præſtitit officium ſuum: reperti ex his qui voto ſe obligarunt perpetuæ religionis. Optimates, ac Principes frequentes ad nos: plurimi eo tempore, cum hiſtoriam filij prodigi populo exhibuimus: & vtile fuit multis ſe cognitos habuiſſe in aliena perſona.

HALENSE COLLEGIVM.

QVO PAVCIORA de hoc Collegio ſcribantur, fecit caſus repentinus, ſacer-

dos noſter ex audita vnius confeſsione in noſocomio, contracto morbo, decedit: vulgatum id publice: ſcholæ clauſæ: dilapſi diſcipuli: noſtri partim occluſi domi, partim dimiſsi: ſacerdotes tamen duo, quorum alter erat a ſacris reginæ, alter a concionibus populo, ſegregati in propria ſcholarum domo, eximij fuere. Pentecoſte gymnaſium aperuit: & auctus numerus auditorum, reginæ in primis beneficio: hæc enim ad cœtum alumnorū, de quibus alias perſcriptum, ſeptem alios, eiuſque exemplo Brixinenſis Epiſcopus, decem, adiungendos curarunt. Anniuerſaria ſtudiorum inſtauratio nobilitata eſt argumento e beati Gregorij dialogo, de puero quinquenni e ſinu parentis, ob irreuerentiam diuini nominis, auulſo: profuit ea res ſpectatoribus, non tantum placuit. e Congregatione Reginæ Angelorum vnus Romam profectus inter Capuccinos adſcribendus: alter ſe in aliud cœnobium contulit, cauſa religionis.

COLLEGIVM LVCERNENSE.

SACRIS exercitationibus Patris Ignatij, plures, & cœnobitæ præſertim, ſuo, & plurimorum bono inſtructi. duodecim amplius hominum millia apud nos ſacroſancta myſteria obiere: confeſsiones generales ducentæ ſexaginta circiter recenſitæ: viginti quinque ab

hæreſi

hæreſi abſoluti: inter quos ſacerdos vnus, idẽque monachus, qui cum religione amiſerat, & caſtitatem, ducta contubernali, quattuordecim annos in Lutheri cæno volutatus. quibus omnibus, quam attritæ vires veteris hoſtis, comprobabunt exempla, quæ ſubijciemus pauca de multis. feminæ aliquot laſciuiores vitæ ad honeſtatem reductæ: quidam peccatis grauis, & annis, cum leuandæ conſcientiæ multas regiones obiſſet, Lucernam tandem appulſus, Deo ducente, multarum moleſtiarum remediũ peccatorum patefactione quæſiuit. Mulier ab exitio voluntario, & ab horrendis ſpectris, diuini agni beneficio in cerea effigie, liberata. non defuere qui emerſi e gurgite falſarum opinionum præoptarunt exilium patriæ, ne in eaſdem relaberentur. quibuſdam perſuaſum ieiunium quadraginta dierum, quod arbitrabantur ſeruari non poſſe. opifex vnus in hæretico loco diu verſatus, numquam adduci potuit, vt vetitis diebus carne veſceretur. hic quoque non canam eamdem cantilenam, reſciſſos cõtractus iniuſtos, aut æquis legibus tẽperatos, redditas pecunias, ſuperſtitiones ereptas, traditas flammis notas magicæ artis, pauperes in valetudinario, & carcere inuiſos, auditoſque. Præter virgines duas, quæ virginitatis voto ſe obſtrinxere, quattuor aliæ noſtris confiteri ſolitæ monaſticam vitã profeſſæ. ex his vna maxime nobilis, & opulenta. Presbyteri, & vrbani,

bani, & pagani, partim confeſsionibus eorum excipiendis, partim explicandis officijs vitæ Chriſtianæ, quod fit ſemel atque iterum ſingulis hebdomadis, inſtruuntur diligenter ad muneris ſui functionem: curatum apud eoſdem, maxime apud paganos, ad quos crebro excurritur, vt ſacra ſupellex cultior mundiorque habeatur. ita iam noua quædam eſt facies omnium templorum. res Scholaſtica feliciter procedit. flos iuuenum egregius. ex his Capuccinorum (quibus magna nobiſcum familiaritas intercedit) religionem amplexi tres: quattuor ad alios ordines ſe applicarunt. enituit cuiuſdã ſingularis in caſtitate tuenda conſtantia, cum impudicam mulierem ab ſe abegit acutiſsimo clamore. ſollemnis inſtauratio ſtudiorum celebrata eſt eleganti dramate de duplici via, virtutis, & voluptatis. maiore hebdomada extrema ad Domini monumentum, eadem, aut maior celebritas, & ſe cædentium ſodalium religio, quæ alijs annis. die dominicæ cœnæ Nuntius Apoſtolicus duodecim pauperum pedes, & lauit & oſculatus eſt, populo admirabundo: eoſdem deinde lauto excepit epulo, donauit argẽto. Pranſus idem apud nos, cum vtroque Prætore vrbano, alijsque viris illuſtribus in ferijs Pentecoſtes, interfuit declamationi publicæ cum magna beneuolentiæ ſignificatione. & fuerunt etiam in nos dona et publica, & priuata. Templi ædificatio pauliſper pependit, concidente

cidente fornice altaris magni. etſi hic caſus videtur propemodum fuiſſe optandus, vt elegantia quædam, & decor adderentur, quæ deeſſe videbantur, formæ prioris ædificationis.

MISSIO LAVFFENSIS.

ZVINGA Præfectura eſt Rauracorũ, Baſileæ finitima, quæ oppidum Lauffenum, cum quinque pagis complectitur: ſub ditione quidem Epiſcopi Baſileenſis, ſed Lutheranæ ſectæ, annos abhinc ſexaginta ferme pertinaciter adhæſit: Baſileenſibus ſubmittentibus Miniſtros verbi, qui rudes incolas turbulentis, & venenatis, declamationibus, inuito Epiſcopo, lactauerunt: donec anno ſuperiore, compoſitione cum Baſileenſibus facta, facta poteſtas vtriuſlibet religionis amplectendæ, igitur Epiſcopus gerens curam gregis, interpoſita auctoritate Nuntij Apoſtolici, ſacerdotem vnum e noſtris impetrat iaciendis fundamentis. Miſſus eſt Septembri menſe anni ſuperioris, pater vnus, in concionandi munere aliquamdiu verſatus: cuius aduentus ita perculit miniſtri Lutherani animum, & vicinorum Baſileenſium, vt ſollemnẽ precationem, votaque publica ſuſcepiſſe dicantur, pro populo Lauffenſi: ſed Deus fauit rei ſuæ: Epiſcopus enim conuocato populo e ſuggeſtu, breui oratione indicauit cauſam aduentus, dein reliquit noſtro concionandi locum. a con-

cione

cione idem Epiſcopus, quod numquam antea quiſquam viderat, ſacris operatus eſt. pomeridianis horis Lutheranus Miniſter declamare voluit ad populum, verens ſcilicet ne allicerentur veritate doctrinæ: carpſit quædam e matutina noſtri concione, nec tamen ſatis memoriter tenebat: quin etiam inſerere ſe per domos, & circulos, vt obfirmarent animum in Lutheri dogmate, etiam atque etiam monens: ſed ficta celeriter occidunt: paulatim populus patris oratione, familiarique congreſſu eo adductus eſt, vt libenter audiret concionantem: quod, et Senatus fecit, multum licet Miniſtro reclamante. Interea pagos etiam noſter obire concionabundus, & ruſticanos homines imbuere Catholicis præceptis: nec vanus labor: accedente auctoritate Præfecti Zuingenſis, viri Catholici, qui additus erat præſidio noſtro ſacerdoti, omnes pagi ſe in Epiſcopi poteſtate dixerunt futuros. Tum vero Epiſcopi precibus, & rei perficiendæ expectatione permotus Pater Prouincialis, alterum ſacerdotem ſubſidio miſit: igitur coniunctis ſtudijs vtrique effecerunt, vt exeunte Quadrageſima trecenti accubuerint menſæ cæleſti. Infremuit Miniſter, et ad illas machinas hæreticorum deſcendit, ad contumelias: quamobrem offenſo populo, ipſoque Principe, pro ſua poteſtate expulit hominem Epiſcopus, alterumque ei ſuffecit non admodum a Catholicorum præceptionibus abhorrentem.

ſic

ſic vero admonet populum, vt ne magiſtratui publico repugnet,& conſulit interdum noſtros de capitibus vtriuſque religionis. Verum ne ſingula delibemus, placuit tandem diuinæ bonitati,ſub fine Autumni,vt voti participes eſſemus. ſed ad omnium conuerſionem, exitum quem datura fuit induſtria noſtrorum, caſus tulit. Cœmeterium retinere cupiebant hæretici, Epiſcopi decreto prohibebantur, Miniſter vrgebat.tandem vbi vident rem confici non poſſe conſultius exiſtimarunt, qui adhuc perſiſtebant in perfidia,vt ſua coniungerent cum conſilijs Catholicorum:ita communi voluntate, & aſſenſione omnes ſeſe Romanæ Eccleſiæ ſubiecerunt, veramque fidem tueri oſtenderunt ſe vel effuſione ſanguinis paratos, & nullo vmquã tempore ab officio ceſſaturos. eodem die Lutheranro Pædicanti cathedra,& Eccleſia interdixere:inſequenti die Dominico tanta confluxit ad rem diuinam concionemque virilis, & muliebris ſexus multitudo, vt templo capi non poſſet. Nunc igitur, Dei beneficio, oppidum Lauffenſe cum tota Zuingenſi ditione recepit integerrimam fidem, ſummamque laudem repoſitam putat in cura parendi.

FRIBVRGENSE COLLEGIVM.

CATECHESIS duplici idiomate Gallico, & Germanico diuerſis locis magno affluen-

affluentium cœtu, fructuque celebratur: ex omni numero, puer magnam laudem habet, quem parens, neque promiſsis allicere, neque minis, ac verberibus cogere potuit, vt iret ad vrbem Tigurinam, vbi eſſe intelligebat cōciliabulum damni. Statæ conciones duobus in templis haberi ſolitæ ita probantur, vt multæ, et diuturnæ aliquorum preces tertiam extorſerint. Sunt, & qui poſtulent quartam pro Gallis, quorum numerus in hac vrbe non exiguus: ſed nondum illis ſatisfactum ob iuſtas cauſas. Toto inſuper aduentu Domini, vernoque ieiunio, patres duo luſtrarunt pagos, Germanicum, & Gallicum, magno commodo incolarum vtriuſque. inter ſex ac viginti, qui inſipientium ſectæ renuntiarunt, fuit Prædicantis cuiuſdam Heidelbergenſis filius, qui Patris Caniſij fama excitus, longo difficilique itinere ad nos contendit: interrogatus cauſam mutatæ voluntatis, inconſtantiam dixit, & diſcordiam hæreticorum. is nunc memor a Deo accepti beneficij, Compoſtellam abijt peregre ad beati Iacobi, vt ſe voto exoluat. Nobilis matrona, bonorum, quæ inter hæreticos habebat, non leuem iacturam facere maluit, quam deducere in periculum, ad quam nuper redierat, Catholicam fidem. alij non pauci in recta ſententia confirmati, & aduerſus inſidias aduerſariorum inſtructi: ſuperſtitiones abolitæ. Duo, qui errore mentis, an deſperatione, vitam ſibi adimere cogitabant, iamque

vnus ſibi cultrum adegerat in ventrem, alter ſe præcipitauerat in vndas, ſalutaribus præceptis inſtituti, & reſtituti pœnitentiæ: iniuſte acquiſita reddita: fenebre malum compreſſum: lites diremptæ: et his ſimilia. mulier, quæ viro relicto, nomen vxoris cum fide perdiderat, noſtrorum conſilio vſa, ad maritum ſupplex, iuſta ſceleris æſtimatione reuertit: hiſtriones aliquot, & ſaltatores, cum huc veniſſent Quadrageſima, fora vrbis, & cōpita circumibant cum tympanis, & tripudijs, inſtrumētis luxuriæ, renitente magiſtratu: quærebant vnum aliquem, quo pulſante tympanum incitarentur ad ſaltum: cum recuſaſſet non nemo, cauſatus offenſam Ieſuitarum, inuentus eſt audaculus, cui tanti non fuit: ad eius modulationem ſe in numerum mouentes, ex ſacris fecerunt profanos dies: ſed non diu lætati. tres ex eorum grege repentino obierunt. accerſiti ægrotis auxilio fuimus, & ſolatio. vir quidam genere & ſcientia nobilis, febre correptus, cum quemdam e noſtris ad ſe vocatum diſſerentem audiſſet de rebus diuinis, ſic animo affectus eſt, vt ſolus cum ſolo ſermonem miſcuerit ſæpius, conſimili argumento: eidem, cum per noctem, oblata eſſet neſcio quæ ſpecies veſtis ad luxum excultæ, agnouit pellaciam hoſtis: eum igitur vt conculcaret, decreuit in poſterum vti veſtitu, qui non eſſet inter æquales excellens: ſuſcipere peregrinationem Lauretanam: cælibem vitam agere, vxore de-

functa:neque id promiſſum ſanctius,quam præſtitum fuit. Caſtellanus item magna inter ſuos auctoritate, paucis diebus ante extremum, pio rum libellorum quos noſtri ſuggeſſerant, crebra lectione,ita mutatus eſt, vt nihil aliud magis habuerit in votis,quam ex illorum præſcripto vitam finire. Præclara vero huius populi erga ſacras Agni Dei imagines religio eſt, quibus donati, nihil ſibi dæmonas, & cantatrices obeſſe poſſe, perſuaſum habent: quam illorum fidem Deus euidenti miraculo confirmauit. Vir ſenatorius aliquot ſibi muneri datas huiuſmodi planguncula condiderat in arcam veſtiariam: qua recluſa cum vxor aliquando veſtes exponeret ad vſum, flammula, ex ardenti cereo,decidit in floccos thecæ pulueris tormẽtarij:hic perterrita mulier, & impos mentis, vt fieri amat in ſubitis caſibus, occluſa arca accurrit ad cereum,comprimendo igni:immane dictu,theca lignea incendio abſumpta,incluſo pulueri, & circumpoſitis veſtibus pepercit: narrauit hoc ipſa,& vir eius, augendæ venerationi, multiſque rem ipſam oſtenderunt, vt affirmationi ſuæ facerent fidem. Proepiſcopi magna in nos beneuolentia: eius rogatu in anniuerſaria Synodo orationem habuit vnus e noſtris, pleno conſeſſu. Friburgenſis Parochus, Clerique Decanus, pijs commentationibus in Collegio exerciti: ſalutaria quædam conſilia veteri religioſorum familiæ roganti data: vt

mira-

mirabile ſit labentem olim diſciplinam in optimam viuendi formulã tam cito potuiſſe conuerti. Senatu vtimur noſtri amantiſsimo. accidit autem, vt controuerſia quadam non ita pridem delata ad arbitrium paucorum, qui nobis non fauebant, cauſa caderemus: ſed cum Senatorum nemo ſuſtineret illam ſentẽtiam ad nos perferre, nobis res integra permanſit. cœpti Collegij ædificationem interrupere bellici tumultus: ſed multorum ciuium inſignis liberalitas erga nos eluxit: eis, vt aliquo modo grati eſſemus, ad pium vſum ſacramẽtorum, rectamque morum informationem, libellos aliquot promulgauimus: inter quos iucunda maxime, grataque fuit huic populo, duorum Heluetiorum, ſanctorum doctorum & apoſtolorum vita litteris conſignata: qua tantopere delectantur, vt auctori gratiam retulerint cum ſingulari munificentia. Scholaſticorum frequentia auxit magiſtrorum induſtriam: in repetitione ſtudiorum Comœdia data. Congregationis Marianæ ſodales ſunt ceteris exemplo. ijs diebus, quibus laborat ſæculum omnis laſciuiæ licentia, ad ſacrum montem pulcherrimo ordine inceſſere, decantaruntque litanias numini placando. Altera item virorum inſtituta olim Sodalitas, hoc anno nobilitata multorum acceſſu. Hos felices noſtrorum conatus non deſunt qui introſpiciant ægris oculis: et fregerunt genuinum: ſed qui fructus? ſuam

inuidiam coarguerunt,non arguerunt noſtram infamiam.

RATISBONENSE COLLEGIVM.

ANTE QVAM refero ſtatũ Collegij, pretium fuerit attingere aliquid de vrbe ipſa. Ratiſbona, Auguſta olim Tiberia, vrbs eſt perampla, & antiqua, quondam Bauariæ caput, nunc ſponte, imperij legibus ſubiecta: Danubio alluitur, in quem duo alij fluuij peræque nauigabiles, vrbem iuxta, ſe exonerant: pontem lapideum habet, & principem ædem quadratam, labore, & opere, ante alias: qua ad occidentem, & ſeptemtrionem vergit, vineis veſtitur amœniſsimis: qua meridiem ſpectat, & orientem, porrigit ſe in perpetuam, & æquatam planiciem agri, ita opimi, & fertilis, vt cum obſitum videat Germania, non timeat annonæ caritatem. fuit olim Chriſtianæ pietatis altrix, & popugnaculum veteris religionis: nunc, etſi degenerauit a priſcis illis ſanctiſque maiorũ inſtitutis, Luthero addicta, adhuc tamen tam multis templis, cœnobijs, Collegijs Eccleſiaſticis, diuerſiſque religioſorum familijs, conſpicua eſt, vt ipſis reliquijs ſpem faciat breui ad priſtinum cultum nitoremque redituram: id quod etiam laborat ſereniſsimus Bauariæ Dux Gulielmus, introducto Collegio noſtro: cuius rei narrationem a princi-

pio

pio auerſam. Anno huius ſæculi octogeſimo ſexto, menſe Aprili, aliqui e noſtris eo deſtinati, concionari in ſummo templo, aliaque munia Societatis exercere feliciter cœperunt: et primum sereniſsimus Princeps ædes attribuit, quas vbi noſtris vſibus minime accommodas intellexit, mutauit cum amplioribus, ea lege, vt tractu temporum, coemptis domibus, quæ inſulam efficiant, Collegium extruere-tur: ſed cum res lente procederet, caſus inopinatus, vt perduceretur ad exitum, mirabiliter eſt conſecutus: cum enim monaſterium ſancti Pauli a beato Volfango quondam huius vrbis præſule fundatum, prope deſolatum eſſet ob mortem Antiſtitæ feminæ nobilis, Dux, & Proepiſcopus, iunctis opibus cōſilijſque vehementer contenderunt vt nobis traderetur, & tandem perruptis difficultatibus, quæ negotiū diſtinere videbātur, hoc anno, tertio Calendas Martias, nouo Collegio initium ſollemni ritu, & apparatu factum eſt: quam celebritatem, viri principes, & religioſiſsimi, omni ciuitate ad ſpectandum effuſa, præſentia ſua illuſtriorē reddidere. igitur re diuina a Ratisbonenſi Proepiſcopo facta, & decreto Pontificio, quo, abrogato monaſterio, inſtituebatur Collegiū, Ducique Bauariæ commendabatur, publice recitato, Reuerendiſsimus Commiſſarius (nomē hoc eſt Eccleſiaſticæ poteſtatis a Pontifice acceptæ) Sixti Quinti Pontificis maximi auctori-

tate, Patri Prouinciali noſtro, prædictum Sancti Pauli monaſterium, vna cum omnibus facultatibus, & reditibus annuis dedit. inter ceteram ſacram ſupellectilem, eſt calix, & veſtis, quibus, ſexcenteſimo abhinc anno, vtebatur beatus Volfangus, in ſacro faciundo. Hac poteſtate accepta Pater Prouincialis orationem habuit, vt res locuſque ferebat: ſubſecutus eſt concentus muſicorum gratias Deo agentium, & fauſtæ amicorum gratulationes: viris denique primarijs epulum datum. Ergo, hoc tempore, qui de noſtris Ratiſbonæ morantur, in rem Catholicam diligenter incumbunt. inceſſerat rumor, haud dubium quin a maleuolis, concionatorem noſtrum pro ſuggeſtu edixiſſe, ſe, vertente anno, in Lutheranorum proſeucha concionem habiturum: inueſtigatus eſt a magiſtratu fons & caput maledicti; compertũ eſt ab hæreticis fluxiſſe: quod cum faciunt ſuam magis imperitiam illuſtrant, et noſtram fidem. et iam aliquibus lux Catholicæ veritatis illuxit. Hoc Iacobus Andreæ, Lutheranæ ſectæ apud Zubingenſes buccinator, cum perſentiſceret, libellos famoſos aduerſum ſacerdotem in vulgus dedit, ad quos totidem libris editis reſponſum eſt a noſtro, vt clauus clauo pelleretur. Addita deinde eſt altera concio in templo noſtro Sancti Pauli, tempore Aduentus. In formanda quoque iuuentute, ne hæreticorũ diligentia ſuperaremur, inſtituta explicatio

Chri-

Chriſtianæ doctrinæ, in templo Sancti Caſsiani, loco ſatis amplo, & commodo: neque multò poſt litterarum etiam ludus apertus: a quo Societatis munere, etſi magiſtratus animo eſſet valde alieno, Dei tamen conceſſu, voti compotes effecti ſumus. Itaque Octobri menſe, vt facere poſſemus principium docendi, Reuerendi Patres Scoti e familia Benedictinorum, omnẽ iuuentutem ſuam, quam multos annos ſedulò erudierãt, noſtræ diſciplinæ tradiderunt. præceſsit oratio Latina habita a ſcholarum Præfecto. iuuentus quattuor claſsibus diſtributa. Præter confeſsiones hebdomadarias, diuinis epulis apud nos paſti quindecim ſupra ſexcẽtos: ex eorum numero totius vitæ rationem reddidere inſtar ſexaginta. hæreſim exuere octo: ab infami concubinatu ſe recepere non pauci. Tres ad monaſticã vitam rediere, quam deſeruerant. Afflictis hominibus, atque ægris, ſalutaribus conſilijs auxilijſque frequẽter prouiſum. a magiſtratu cuiuſdam oppidi euocati, vt adeſſemus cuidam capitis damnato, non vnius tantum, ſed etiam, pro re nata, conſuluimus ſaluti multorum. Et poterant hæc, aliaque diſtinctus ſcribi, non aceruatim componi: ſed audientes quæſo meminerint, ad ſingula Societatis Domicilia ediſſerenda feſtinari.

PROVINCIA RHENANA.

OPERABANTVR ſocij tercentum quadraginta quattuor. Coloniæ, ſupra Tyrones duos, triginta octo: Treuiris in Collegio vndequadraginta: in Probationis Domo, quæ eſt illi adiuncta, Nouitij triginta: Moguntiæ ſexaginta duo: Herbipoli quadraginta ſeptem: Molſemij, & Fuldæ, viceni quini: Heiligenſtadij, exceptis duobus in miſsione agẽtibus, quindecim: Confluentiæ nouemdecim: duodecim Padelbornæ: Monaſterij ſeptemdecim. Sex mercedem acceperunt laborũ ſuorum. Vocati ad opus viginti.

COLLEGIVM COLONIENSE.

COLONIAE in ſumma æde binæ: ceteris in templis, ſeptem octove conciones, die feſto, habentur. harũ opera abiecere perfidiam multi: mulier in his nobilis, quæ, quadragenaria licet, acceſsit ad ſacramentum Confirmationis, & ad idem faciendum familiam omnem perpulit exemplo. Quantum examen fuerit in noſtro templo pœnitentium, ex eo coniectura eſt, quod vnus ſacerdos, paucis diebus, ducentos audiſſe affirmat de tota vita. A flagitioſa

conſuetudine remotæ mulierculæ quattuordecim. Virgines duæ e cœnobio ſæculum cogitantes ad ſaniora reductæ. quinque ſe Deo in religioſorum familijs dedicarunt. acres inimicitiæ ſæcularium iuxta, & religioſorum hominum, cum pace mutatæ. multorum inopia corrogatis eleemoſynis propulſata. deſperati adducti ad ſpem fructumque vitæ melioris: inter hos vnus, qui iam collum laqueo inſertauerat. Mulieres duæ, in quas agere poterat dæmon ex ſyngrapha earum ſanguine conſcripta, tam immani nexu ſolutæ: earum alteri dæmon identidem chirographum oſtentabat: ſed freta præſidio diuini agni, cuius imagine munierat pectus, cum reddi ſibi iuſsiſſet, tandem paginam aſpexit in fauillam & cinerem conuerſam. nec minor fructus e doctrina Chriſtiana: quæ tradita in tẽplis, xenodochijs, compitiſque, magna populi approbatione. adoleſcẽs e colluuie Lutheri, cuiuſdam e noſtris ſedulitate in erudiendis pauperibus, ita affectus eſt, vt intra ſemihoram, cum certo periculo fortunarum, pertæſus inſcitiam ſuam, ad Catholicos emerſerit. eodem officio permota mulier, e fæce Anabaptiſtarum reſipuit, & ſalutaribus aquis abluta eſt in pleniſsimo templo. Hebræa etiam, antequã baptizaretur, a noſtris præparata, & inſtructa. In ſcholis maximam laudem virtutis, & eruditionis obtinent, qui Partheniæ Sodalitati nomina dederunt, ſiue minori, in qua adoleſcen-

tes quadringenti : ſiue maiori, quæ centum viros doctrina pietate, grauitate, nobilitate præſtantes habet: ex illis decem optarunt ſibi varias religioſorum familias: ſeptem, poſt acceptum Magiſterij inſigne, & vnus præterea aptus ad miniſterium domeſticum, cooptati in Societatem noſtram.

TREVIRENSE COLLEGIVM.

LVCTVOSVS in primis Collegio fuit immaturus obitus Patris Ioannis Gibbonij, Rectoris: extremum diem clauſit in vicino quodam monaſterio, & ad altare beati Bernardi, qui primus eius monaſterij auctor fuerat, honorifice ſepultus: vir regendi, vt in Societate, peritiſsimus: amari cupiebat, timebat timeri: non dominationem, & ſeruos, ſed rectorem, & ſocios cogitabat. ſic facile ſine querela obedientiam inuenias, & auctoritatem tueare. Fructus ex agro dominico non pauci. e ſeditioſis ſectis extulere ſe nonnulli: reſtitutum magnum pondus argenti. mulier ægrota, poſt nuncupatum votum confeſsionis, valetudini reddita. ſacris exorciſmis, & ſacrificio Miſſæ, ex ædibus primarij viri formidoloſa ſpectra depulſa. Quidam pecunioſus, noſtrorum opera, multorum millium aureorum ſummam, ad ciuium, religioſorum, Eccleſiaſticorum, ſubleuandam inopiam, Monte, vt vocant, Pietatis inſtituto, teſtamento

mento legauit. a turpi viuendi conſuetudine abducti milites, alijque: mulierc ularum ſuperſtitiones diſiectæ: deuotiones, quibus ſe diabolo addixerant, reuictæ: harum maleficia latius patuere: et in idem barathrum traxerant viros, doctrina, opibus, dignitate non pœnitendis: in quibus iuuandis, cohortandisque vt ſeueritatem ſupplicij ſubirent animo libenti (viui enim comburuntur venefici) quanto opere deſudent noſtri, cognitum eſt vrbi, Præfectoque: hic quidem publice affirmauit, velle ſe tam moleſto et periculoſo officio defungi, niſi ad conuerſionem animarum, ſuam operam Ieſuitæ conferrent. exercitijs ſpiritualibus dedere operam decem: daturi erant plures, ni contagium metueretur: eadem de cauſa gymnaſium aliquamdiu deſertum. Ceterum quanta ſit pietas auditorum, vel ex hoc colligas, quod diſcipuli ſuperiorum claſsium, captiuæ mulieris a Mauris redimendæ, ſteterunt pro foribus templorũ ſtipem rogantes. Catechiſmi explicatio, ex auctoritate illuſtriſsimi Principis, felices habuit progreſſus: is cum interfuiſſet aliquando, ita captus eſt vtilitate operis, vt epiſtolam miſerit in vniuerſam ditionem, qua omnes iubet Parochos, curioneſque, ponere horam ſub prandio in exponenda doctrina. addidit Decanus, velle ſe per litteras admoneri quot menſibus de rei ſucceſſu: eum lætiſsimum eſſe cognouimus. At Tyronibus noſtris pleriſque, quod ſæpe

fit,

fit, non ita facilis in Societatem noſtram contigit ingreſſus, Ponetur narratio vnius, cauſa exempli. Coloniæ adoleſcens ad Magiſterij gradum promotus, adſcribi cupiebat in ordinem noſtrum: erat ei mater vidua, nec tenax priſcæ religionis: cum hac, aliquot ante menſibus, crebris ſermonibus egerat de vanitate, & inconſtantia rerum humanarum, præparans videlicet, quod medici faciunt, ad acrem ictum: at nō intelligebat illa, ſiue diſsimulabat; tandem iuuenis, cum ſatis pertentaſſet animum mulieris, conſilium aperit: fulminata mater hac pronuntiatione veluti improuiſa, in lectulum decidit: tum in furorem verſa, lacerare crines, non mittere vocem, non admittere alloquium cuiuſquam: ab hac velitatione rurſus eam adoleſcens veſpere aggreditur: nō erat tutum periculum in mora: perſtat illa hoc amplius in recuſando; miſcet precibus indignationem, & minas: vbi ſurdæ ad omnia mulieri aures, clam, domo, atque vrbe egreditur miles Chriſti, et, Dei impulſu, per eam portam, quæ ſola carebat exploratoribus, quibus aliæ omnes matris iuſſu obſidebantur. elapſum ſtatim illa animaduertit: recta ad Senatum: eius opem ſuppliciter implorat, accuſat Ieſuitas, qui filium mulieri, & orbæ, ſpem feſſæ ætatis, & ſolatium eripuiſſent. euocantur duo e noſtris, harum rerum conſcij, vt putabatur: quibus dimiſsis, quod appareret eſſe extra culpam, viator publicus cum adoleſcen-

leſcentis auunculo mittitur, qui retrahat fugientem. paruit non imprudens iuuenis: et quamquam bidui iter proceſsiſſet, nequa periculi tempeſtas nobis immineret, Coloniam reuertitur. ducitur ad Conſulem vrbis, & principem Senatus: qui præfati, ignoſcendum muliebri dolori, eum cauſam dicere iubent: nec fuit probare difficile: cũ igitur peroraſſet, matrem (iam enim conuenerat cum affinibus cognatiſque) ſubmiſſo vultu veniã petit: at illa accidens ad genua, & flens vbertim, filium, ne ſe deſerat, precatur. hic contra, eodem habitu corporis, opponẽs precibus preces, exigit tam ſancti conſilij aſſenſum: ſed cum lacrimæ adhuc, & queſtus irriti ducerentur, exurgens, effatur, Obediendum magis Deo, quam homini, et verbum facto ſecutus, non contempta matre, ſed mortali, neque in longum proſpiciente, cæleſti patri vocanti poſtpoſita, remenſo itinere, quod iampridem ſpe deuorauerat, ad nos victor euolauit.

COLLEGIVM MOGVNTINVM.

E SYNAGOGIS peruerſa docentium extulere ſe quattuor, & viginti: in his adoleſcens, ab extrema Saxonia, Græcis litteris Latiniſque apprime doctus: qui ſe ad lumen veritatis veniſſe profitebatur Patris Caniſij Catechiſmo facem præferente. alius item ex ijsdem

dem regionibus, non diſsimili cauſa: verum hic per morbum redire in patriam coactus, nedum intepuerit, duos ſe maiores natu incendit, eoſque ſecum Moguntiam, præclarus Chriſti mercator, adduxit: qui & cum Eccleſia reconciliati: mox, ætate licet prouecta, in diſciplinam noſtram traditi, ab eodem perductore collectitia eleemoſyna ſuſtentantur. Sanctimoniales duæ, relicto ſæculo, quod voto factoque repetierant, ad cœnobium rediere. non nulli a pellicibus auulſi. virginum monaſteriū extra vrbem, ita formatum eſt noſtrorum præceptis, vt exularint iurgia, magis moleſta, quia domeſtica, magis frequentia, quia muliebria: & in eorum locum pax & legum obſeruatio ceſſerit: quas, vt intelligeremus vere pœnituiſſe, & bona fide rediſſe in gratiam, illud fuit argumento, quod proſtrata Antiſtita, nec ſine lacrimis veniam petens, ceteras permouit exēplo. Elementa Chriſtianæ legis, intra, extraque vrbem, pueris tradimus: nec eſt rubori etiam adultis diſcere, ſed neſcire. Illud in pago quodam ita fuit vtile, vt videatur res Catholica reuixiſſe: ignorabant videlicet pagani, quid facere, quid vitare deberent: nullum fere erat diſcrimen ſacrorum, & negotioſorum dierum: nulla, quoquo tempore, ciborum, aut cœnæ abſtinentia: de peccatis confitendi nec peritia, nec voluntas: ita propter errorē atque inſciētiam, nihil rite fiebat, atque ordine; ſed omnia

in te-

in tenebris iacebant. aduentus noſtrorum, Deo illuminante, attulit lucem: tum primum ſe ipſi reſpexerunt, et, quæ prima ſpes boni adipiſcendi, damnauerunt malum, ſeque vltro tradiderunt illis in viam Domini dirigendos. exarſerat duos inter nautas, in traiectu fluminis, grauis rixa: &, vt eſt genus hominum maledicendo exercitum, poſt iacta vtrinque probra, expediebant contos, pugnæ ſpeciem moliebantur: ſed repreſsi ambo Catechiſtæ noſtri opportuno occurſu, data fide acceptaque, rediere in mutuam concordiam. Res Scholaſtica optime procedit: auditores octingēti: et (quod commune eſt omnibus Collegijs) Parthenij excellunt: non leue ſignum, quod in tributione præmiorum, ab ima claſſe ad ſummam, ij ſolum promeriti palmam, qui de Congregatione eſſent. ex ea nonnulli ſe cœnobiorū legibus obſtrinxere. vt hinc etiam appareat Sodalitia Virginis, officinas eſſe pietatis.

COLLEGIVM HERBIPOLITANVM.

EX IIS, QVI e falſarum opinionum ſalo tranſtulere ſe in Catholicam cymbam, Friſius Anabaptiſta, maritus licet, ac parens liberorum, baptizatus eſt. Perſuaſu noſtrorum multi hæreticorum libri traditi flammis: qua peſte cum purgata eſſent & noſodochia, quæ octo ſunt in hac vrbe, curatum eſt, vt introducere-

tur

tur lectio meliorum. ſed in his etiam valetudinarijs vtiliter laboratũ:ægrorum vnus ita efferatus erat odio inimici, iraque ex iniuria accepta, vt quando vlciſci illum non poſſet, a ſe non manus abſtineret: blãda hunc oratione, noſtri, & ad collum appenſa ſacra imagine agni, tranquillarũt. Faber quidam ferrarius, poſt varias obitas Germaniæ vrbes, in patriam redit, vxorem ducit, hortatu Parochi fit Catholicus, ante nuptias percipit Euchariſtiam: ſub hæc viſus corripi dæmone, & morbi genere inuſitato, vt omnes miſerarentur: cum caderent in irritum remedia, accerſuntur noſtri: et prædixit dæmon eorum aduentum. igitur, vt patuit quid agitaret hominem, ſeque præmunierunt oratione, ac ieiunio, conſuetis exorciſmis pugnam aggrediuntur: ſed omnis eorum conatus ludibrio erat: applicant ſacroſanctam hoſtiam, & reliquias ſancti Laurentij: tum vero vociferari diabolus clamoribus diſſonis: ſe diſceſſurum polliceri: deinde cunctando, prolatando, moras nectendo, & affirmando legionẽ eſſe, partem præiſſe, reliquos ſecuturos, adhuc miſerum obſidebat: imperat abitum ſacerdos per Chriſti humilitatem: &, pro imperio eius, cui etiam inferna ſubijciuntur, exegit diabolum, hominemque liberauit. narrauit deinde faber, ſe aliquando, cum, ſuadente contubernali perito magicæ artis, legiſſet quemdam eius librum, vidiſſe ingentem cateruam dæmo-

num

num, aſpectū horribili, eoque territum, abieciſſe librum repente, & a viſu Furiarum ſe abſtraxiſſe: tamen putare, ſe tunc ab illis occupatum, neque ante hoc tempus animaduertiſſe. quippe fortis armatus, quam diu hæreſis colebatur, erat in ſuo regno ſecurus: vbi fortioris expetitum eſt auxilium, Catholicorum vexillo ſublato, extrudi metuens exacuit iram. Diſcipulorum numerus, quam alijs annis, frequentior, & virtus non minus illuſtris: ita iuuant pauperes pecunia, informant doctrina, opera fouent: ædem ſacram aliquot milliaribus diſſitam pie aliquoties viſitarunt, toto in itinere orantes: certe, adoleſcens quidã diuturna conflictatus febri, voto huius peregrinationis concepto, ope beatiſsimæ Virginis reualuit. præcipuã laudem habent, qui in Collegio Chilianæo verſantur: ex alumnis quidem quotannis ſubmittuntur aliqui ad parœcias deſertas; & iam in pleriſque prolapſa religio reſtituta. Non iniucundum, opinor, erit, audire altercationem quamdam inter Miniſtrum verbi, & noſtrum alumnum. His ius habebat parœciæ a Principe conceſſum: eam Miniſter occupauerat: hora ientationis Lutheranæ, quam iſti cœnam appellant, alumnus init templum, flexis genibus ante altare preces fundit: adeſt perfidus caupo, cedere adoleſcentem iubet, cœnæ adminiſtrandæ: negat ille hoc ad eum pertinere: is contra inſtat, & vrget:

con-

contentio oritur, populus accurrit: tum alumnus ætate firmior, & viribus, nec ingenio ſolum promptus, ſed vſu etiam exercitatus, concionem aſcendit, & talem orationem habet ad homines circumfuſos, vt omnes admirarentur. enimuero nō iraſcitur Miniſter, ſed furit, quiritatur, concit turbam: vbi multa agitanti nihil procedit, cantharum abripit cum promulſide, & minuto cum popello in cauponulam ientatum diuertit. hic finis fuit feſtiuæ altercationis. Inſtitutio Chriſtiana in vrbe pagiſque frequēs, & fructuoſa. obitæ villæ, caſtellaque, bello hæreſibus indicto: & alicubi baptiſteria altariaque trophæorum loco ſtatuta, Caluino eiecto. in coacta Synodo vnus e noſtris interfuit, rogante Epiſcopo, grauique oratione exciuit omnes ad perfectam obſeruationem legis diuinæ. Ceterum, cum iniecto a maleuolis igne, tria noſtra horrea conflagraſſent, non exiguum damnum liberalitate optimi Antiſtitis hoc anno reſarcitū eſt: datis enim litteris Collegij ædificationem confirmauit: iterumque conſtituit, vt floreni nobis in annos ſingulos ſeſquimilleni traderentur. attribuit præterea hortum amplum amœnumque, propter aquarum peremnitatem & opacitatem arborum, laborum calorumque æſtate leuamentum. idem ante vigeſimum ſextum Calendas Maias primum lapidem in fundamenta Collegij deiecit: et lætantur boni ædificari propugnaculum Catholicæ religionis.

SPI-

SPIRENSE COLLEGIVM.

VBI PAR materia laborum, par operum fructus. et repetuntur quædam multis locis, quia multis locis eadem facta. Spiræ ad cœtum recte ſentientium rediere vndequinquaginta. in his vir nobilis multorum pagorum, nomine cuiuſdam Principis, Præfectus: matrona etiam illuſtris in ſupremo morbo, filij precibus adducta. non paruum incitamentum confeſsio Prædicantis, inter libum hæreticorum, & panem communem nihil intereſſe: idem ſacerdoti ſacrum Chriſti corpus ad ægrotam deferenti, tintinnabulum prætulit, & facem. vir præterea ruſticanus vi quadam furioſa ita agitatus, vt omnes homines odiſſet, obuium quemque læderet, in ipſum Deum iaceret maledicta, diuinorum beneficio myſteriorum ſibi redditus, & humanitati. exercitijs ſpiritualibus inſtituti quattuordecim: inter hos quidã ſummo loco, qui, & matrẽ, & duas matronas pari claritudine generis, earumque omnem familiam ad rectam fidem conuertit. ad cœnobium apoſtata reuerſus. Sacra ſupellex cumulata. rei etiam domeſticæ nonnulla acceſio facta, vel quattuor florenorum millibus, quæ Epiſcopus aſsignauit.

COLLEGIVM FVLDENSE.

INSTITVENDAE pueritiæ ratio in præceptionibus Chriſtianis excitauit etiam Parochos, probato exemplo, vt iam non ſolum tēpla vrbis, & compita doceantur reſonare Catechiſmum, ſed & campi etiam ipſi, & ſiluæ deſertæ. extitit ſuus quoque a concionibus fructus: ad imperium Romanæ Eccleſiæ ſe reuocauere viginti quinque: quidam, etſi primum animo perculſus, tamen vel inſtigante conſuetudine, vel caſtigante praua conſcientia, cum in vicinum pagum abiſſet, hauſit bolum Lutheri: nec mora, contremuit omnibus artubus: & audire viſus vocem intus loquentem. Expue miſer, expue animæ venenum. interea, & timor quidam obſtupefecerat mentem, nec recreari vmquam potuit, niſi manſo eiecto. iuit continuo ad noſtrum ſacerdotem, vt cum Eccleſia rediret in gratiam. alius per noſtros ad priſcā fidem conuerſus, cum reuertiſſet ad ſuos auerſos a religione, increpabatur, vt amens, ſtultuſque, etiam a mulierculis: e quibus vna vltra ſexum temeraria, exprobare ei cœpit cultum Sanctorum, & ſimul ore ſacrilego. Quid iſta vobis Maria, idololatræ, quæ vobis vna eſt omnia, quid ferat, etiam ſi velit, auxilij? Cui ille, miſeret me temeritatis tuæ: ſed nec diu eris inulta. vaticinium fuit. paucis poſt diebus infelix agitur

tur in furorem, deturbatur a mente. Ceterum hic etiam illa, quæ ſunt cum alijs communia. ægri in ſupremo certamine adiuti. viri primarij reconciliati. coniugum duorum, & quattuor familiarum diſcordiæ ſedatæ. qui ſe diris deuouerat, vt inimicnm vlciſceretur, ad meliorem mẽtem retractus. Diſcipulorum, vt fructus maior, ita numerus frequentior. Qui ſunt ſub patrocinio Virginis ſe ad omnem virtutem exercẽt: ij maxime, qui educantur in Seminario Pontificis: datæ ſunt populo, in patente area, fauente cælo, non raro, poeticæ actiones: & perinde inclaruit ſcena ſplendido apparatu, vt inſonuit plauſu. e Scholaſticis porro, Sancti Benedicti ordinem ſex, noſtram Societatem vnus, complexi. Sereniſsimus Archidux Maximilianus Cæſaris frater, cum in Polonia eſſet, Collegij noſtri ſacerdotem per litteras euocauit: is cum ſocio, infeſta licet hieme, iter accelerat. octiduum ſubſiſtere cogitur Noribergæ: nec ceſſauit interea a muneribus Societatis: mercatores Italos, aliosque Catholicos, audit, paſcitque epulis diuinis, ſacris quotidie operatus in æde Teutonica, magno gaudio piorum: denique cum ægre perueniſſet in Poloniam, multam operam Principi ipſi, ſed & aliquot præterea aulicis, atque vtilem præbuit.

COLLEGIVM HEILIGENSTA-dienſe.

SACRAMENTA frequentantium, vt in paruo oppido, nõ paruus numerus: centum plerumque recenſiti. magnus eorum ardor, qui repudiarunt falſa commenta opinionum: ij hoc anno ſeptem ſupra triginta. Catechiſmus traditus in pagis circiter ſedecim. accidit aliquando, vt totus pagus effunderetur in feſtas choreas, vtriculario præeunte: interueniunt noſtri, & indicunt vtiliorem ludum: hærere primo homines attoniti, vt fieri ſolet in re ſubita: dein facile parentes monẽtibus ſalubria, perducti in templum, mutauerunt inanes choreas cum Catechiſtica diſciplina. Monaſteria tria exeunte Quadrageſima luſtrata, audita que. Diſsidebant inter ſe ſacerdotes duo odio capitali, idque malum manabat quotidiè latius, in perniciem religionis. dirempta eſt omnis controuerſia, rogante ſummo magiſtratu, noſtris adnitentibus. Octo in vno contubernio viri, nomine potius quam re Chriſtiani, ad frugem reuerſi noſtrorum conſuetudine, a quibus & inſtruebantur monitis, & docebantur exemplis. affligebatur mulier a ſpiritibus malignis, in tantumque vexabatur, vt cum teneretur, quattuor robuſtos homines defatigaret: Deus tribuit precibus noſtrorum, vt expelle-

pellerentur dæmonia, tonantibus exorciſmis. cuius rei fama cum eſſet peruagata vicinas terras, multi ad Collegium delati ſunt furioſi homines, & fanatici: ſed eos cum comperiſſemus atra bile teneri, curauimus medicorum præceptis ſanandos, ſucceſſu æque felici. Puerum quemdam parentes inſtitui voluerunt ad hæreſin, vt hoc veluti præſidio dignus haberetur patrimonio ipſorũ. ſed cum in hac vrbe verſaretur, vel in tenebris deprauatæ hæreſeos interlucente Catholica diſciplina, nouit quid inter vtrãque intereſſet: igitur cum iam proceſsiſſet ætate, à patre reuocatus, tantum abeſt vt Lutherum profiteri velit, ipſum etiam patrem reducere laborat ad Catholicam fidem.

MISSIONES ERFVRTENSIS & Hildeſiana.

QVAE DE ERFVRTENSI Miſsione communiter dici poſſent, ſupplebuntur breui cuiuſdam facti narratione. Saxo quidam a puero Catholicus, qui & aliquando ſub Duce Parmenſi ſtipendia meruerat, e magico libro voluit addiſcere artem (ſi modo ea ars eſt, & non vaniſsimi cuiuſque ludibrium) pecuniæ congerendæ: igitur cum forte rus proficiſcitur, experimentum capturus, ei ſe ſocium addit quidam, habitu hæretici impoſtoris: qui multa ab eo ſciſcitatus (apparebat enim in al-

ta cogitatione defixus) ad extremum adiecit, ſcire quid animo agitaret ; et refert miranti : addit, breui ditiſsimum futurum, ſi obſequatur ſibi : hic interfatus Saxo, quærit, num ſit diabolus : non negat. at ille territus eius nomine, aſpectuque, ſigno Crucis frõtem armans, Chriſtianus ſum, inquit, nihil mihi tecum volo eſſe commercij. hic ira elatus dæmon, ſub mortis denuntiatione expoſcit aſſenſum : iniecta homini mens, haud dubium quin a ſpiritu bono, vt ad ſacerdotem noſtrum adiens, auxilium expeteret, & conſilium : eo admonente (res enim hæc poſtea prodita eſt) expurgata peccatis cõſcientia, Euchariſtiam ſumit: recruduit tamen diabolica pugna : raptatur per aquas, per vias inuias, per loca abrupta : interdum ita capitur oculis, vt vel ipſo meridie penetrare ſe nequeat in templi ianuam late patentẽ: alias cum ſe ſtudioſius compararet ad ſacram ſynaxim, interminatus eſt grauiſsime dæmon, id ſi faceret, vel in medio populo viuum diſcerpturum. hoc vbi audijt ſacerdos, reſpondere iubet, ſe nihil habere aliud in votis, niſi, vt morem gerat diuinæ voluntati : proinde, ſi id Deus imperet, non recuſare. telum hoc fuit acerrimum ad expellendum dæmonem. nam frendens ſimul, ac minitans, breui ſe exorſurum telam, quam ſacerdos non ita facile detexat, euanuit, odore fœdiſsimo relicto. fecit, quod dixit, beſtia truculenta : paulopoſt parauit ſcenam inuidioſi

crimi-

criminis, quæ omnes concionum piorumque operum fructus vno turbine abſtulit. ſed huius rei hiſtoriã cõuenit in aliud tempus reſeruari.

HILDESII vero, vt ſimilia coniungam, ipſis Bacchanalibus, ruſticus quidam ob euerſum a filia vaſculum ceruiſiæ, talibus furijs exarſit (nempe ſublata erat lætitia diei) vt imprecaretur ſibi malum dæmonem, niſi eam acerrime multaret: nec cunctatus captator animarum, cuius calliditas, vt cauda ſcorpij, ſemper in ictu eſt, rapere maluit, quam expectare: miſerum occupat. ipſe, vt domum redit a ſympoſio, arrepta ſecuri, toruo vultu omnes faceſſere iubet: neque erat quiſquam, qui ad armatum, ac violentum auderet accedere. vnus tamen, haud paulo fidentior, vibranti ſecurim, & iactanti ſe vacua in aula, propior factus, In Ieſu nomine, inquit, hic ſedeo: ſi ea vis eſt animo, feri. frendere viſus alter, & ira fateri impotentiam. accurrunt interea alij, & ſecurim ægre de manu extorquent. porrigunt piacularem aquam, renuit: accendunt cereum ſacrum, difflat: adhortantur, dicat, Ieſu in corde meo, obmuteſcit. vbi caſſe teritur tempus, certatim atrociſsimis verbis in dæmonem inuehuntur. Non eſt hoc tuum diuerſorium, monſtrum execrabile: mox aderit Parochus, qui te exturbet. Sic eſt, reſpondet dæmon, breue id faciam. poſt duas horas, per coactum vomitum odoris intolerandi, cum fumo, & caligine immane cre-

pans, abſceſsit. rei magnitudo, ſeu ſimplicitas ruſticorum, vulgauit factum: et valuit hoc quoque ad hæreticos reuincendos: qui bonorum numerum augeri iniquo animo patiuntur. ſed profuere conciones, quæ a ſacerdote noſtro habentur: ad quas etiam aduerſarij ventitant, ſic prorſus, vt faſtidiant clamores rabularum ſuorum. octo excuſſerunt prauas opiniones. labantes nonnulli reuocati ad perſeuerandum in propoſito, palam iam profitentur Catholicos ritus, vt maleuolorum ſermunculos contemnant. Quædam viduitatem prætulit nuptijs hominis Lutherani. Ancilla conſtantia parendi legibus Eccleſiaſticis de ieiunio quadragintadiali, dominum veſcentem carnibus in ſuam ſententiam traxit. Perſuaſum eſt cuidam Collegio clericorum, vt nemini pateat aditus, niſi præuia fidei profeſsione. adoleſcētulæ duæ virginitatem Deo vouerunt. vna in cœnobium abdita. alia a patre hæretico ſemel atque iterum monaſterio extracta, vno e noſtris interprete, ſupplex ad alterum cœnobium reditum impetrauit. extra vrbem virgines viginti duæ ab Antiſtite conſecratæ. Ceterum, inſtitutionem Chriſtianam non pueri modo, puellæque, ſed multi etiam e Clero populoque auide frequentant. pueri Catholici illud ſibi ſtudio & laudi habent, vt blanditijs ac munuſculis alliciant æquales hæreticos ad Catechiſmum. eſt hoc vtile etiam ad exemplum. curiones enim in cu-

rijs

rijs ſuis facere idem cœperunt, annuente Præpoſito, Epiſcopo Mindenſi. inuentus eſt vnus nuper conuerſus, qui vno alterove dempto, omnes curiales ſuos Catholicos effecit. Taceo de litibus ſublatis, de viſitatis ægrotis, de alijs, quæ ſuſpicari poteſtis. et inter hæc tamen, non deſunt ſeditioſi homines & turbulēti, qui clam palamve, noſtros, affixis etiā carminibus, proſcindunt. ſed ſtudio Canonicorum ſummi templi eorum audacia compreſſa eſt.

MOLSEMIENSE, ET CONFLVENtinum Collegia.

MOLSEMII, in perpetuo licet belli motu, & vaſtitate agrorum, operam dedere noſtri, ne vlla in parte officio deeſſent. Parochis intra vrbem, extraque, concionibus, confeſsionibus, alijſque rationibus, allatum ſubſidium. ſacerdotes aliquot, pijs commentationibus fructuoſe informati. adita virginum cœnobia: earumque nonnullæ, quæ anhelabant ſæculum, repreſſæ. quidam ab hæreſi expiati. octo oppidis pagisve, octauo quoque die explicatus Catechiſmus: quam ad rem vtilis fuit editio ſeptemdecim millium exemplorum, liberalitate virorū Eccleſiaſtica dignitate æque, ac pietate præſtantium. Scholæ cum conuictorum domicilio eumdem curſum tenuerunt. A iuuētute noſtra adducta eſt in orcheſtram tragœdia

gœdia noua, cui nomen, & argumẽtum, beatus Georgius: ea ſic recreauit ſpectatores, ipſumque in primis illuſtriſsimum Principem Epiſcopum Argentinenſem, vt ſingulos actores ſumptuoſis libris donarit. quanto hic Princeps amore proſequatur Societatis hoc Collegium ſuum, idoneis verbis dici non poteſt: in ſumma annonæ caritate, et nouam Collegij fabricam abſoluit, & collegarum inopiam frumento leuauit: inſuper, domum cum templo ſacelloque Deiparæ virginis, ob vicinitatem magno vſui noſtris futuram, attribuit. eſt templũ ipſum, ob loci ſanctitatem, multis abhinc ſæculis, ſupplicationibus percelebre: ſed temporum bellorumque iniuria neglectũ iacuit diu: proin adhibetur diligẽtia a nobis, vt cum eius inſtauratione, augeatur & colentiũ veneratio.

AT CONFLVENTIAM plures ſolito confluxerunt ad conuiuium diuinum, etiam e locis valde remotis, inquinatiſque, vt præceptis Eccleſiæ ſatisfacerent. confeſsiones generales auditæ plurimæ. meditationubus noſtris vtiliter dedere operam multi, Eccleſiaſtici, religioſique. rudimenta Chriſtianæ legis domi foriſque pluribus locis tradita: cum interim, vt puerorum ætas decepta non caperetur, pia aliquot munuſcula, & ſigillaria oſtenderentur. Morem noſtrum Parochos æmulari voluit Archiepiſcopus Treuirenſis, eoſque vnum in locum congregatos edoceri a nobis de ratione

docendi

docēdi. Sodalitati annuntiatæ Virginis ab eodem ſacrorum Antiſtite nuper exornatæ decretis ampliſsimis, ſacerdotum multorum, e quibus plerique capita rerum, illuſtris, & magna acceſsio facta. in virginum cœnobio exhortationes inſtitutæ, & confeſsiones exceptæ. Mulieres proſtitutæ pudicitiæ honeſte collocatæ. Duo, quibus humana ſpecie diabolus ſe ſpectandum præbuerat: quos varijs terroribus agitauerat, liberati. mulier ab inſania reuocata. Tenues videbuntur hi fructus, in comparatione eorum, quibus obtigit fertile ſolum: ſed mementote nos in ſterili laborare.

COLLEGIVM MONASTERIENSI.

COMMODVM pedem fixeramus in Monaſterienſi Collegio, cum caput extulit, quæ metuebatur peſtilentia, & cum abſumpſerit multos, noſtris omnibus, Dei beneficio, & ſalubritate loci, pepercit. fructus extitit tum frequentium ſermonum ad populum, tum publicarum diſputationum Latina lingua, de controuerſijs noſtræ religionis: ille non pœnitendus: quod multi tranquillitatem quærentes animi æſtuantis, ad nos acceſſerunt. quidam ab inueterato pellicatu receſſere. Romanæ Eccleſiæ manus dedere nonnulli: et iam more receptum eſt, vt ciues, cum argumentorum laqueos, & ſtrophas hæreticorum exire non poſſunt, illud

habeant dicere,eundum ad Ieſuitas,qui omnia expedient.Catholici vero, ſi quos inuenere erroribus obnoxios, vt nos conſulant magnopere hortantur, perductores eorum, ſi ita malint, futuri:reſpondet ſpei euentus. Catecheſis Calendis Ianuarijs incepta procedit ex voto. et quoniam deterrimorum librorum hic omnia plena, impreſſa ſunt Catechiſmorum exemplaria quamplurima, & in vulgus tributa. In gymnaſio lectiſsimam iuuentutem humanitatis litteris imbuimus: ea, poſt ſemeſtre ſpatiũ, ſecunda fama, ſic excreuit,vt mille quadraginta capita cenſeantur.ita vacuefactis hæreticorum ludis, quibus abundat Veſtphalia, vicinos magiſtellos, ranunculoſque in popinis clamitantes, in noſtri nominis inuidiam atque obtrectationem egregie concitauimus. Sed hæc interdum etiam riſus materiam dedit. Tenebrio quidam e ſuggeſtu acerbius & contumelioſius inuehebatur in Societatem, illaque ſartagine loquendi ebulliebat quædam, quæ ferre aures religioſæ non poſſent: ſed eius vituperatio, laudi nobis, compellatio, Societati etiam honori fuit.nam vbi nominabantur Ieſuitæ,circumſedens populus, honoris cauſa,caput aperiebat: irritari hoc magis latrator, & Ieſuitas iterum,tertioque ac ſæpius maledictis inceſſere: toties populus, vbi eorum nomen audiſſet, detecto capite venerabatur,vt par pro pari referret:tandem cum verba iacerentur, & ſuo,&
illorum

illorum labori, cum ſtomacho atque ira pepercit. etenim Gymnaſiarchæ ingenua illa confeſſio emanauit, vt noſtris non cedat in tradendis litteris Græcis Latiniſque, concedere in moderatione iuuentutis: quã non virgæ, aut flagellorum metus, ſed frequens peccatorum confeſſio à vitijs freno coerceat, ad virtutem calcaribus impellat. vere dictum. nam pubis Monaſterienſis ea eſt diſciplina, indoles, et, quod in rebus humanis ſummum eſt, innocentia, vt cum ciues ipſi mirentur, tum etiam publicus magiſtratus, per virum grauem, nobis gratias egerit. et plerumque fit, vt cum ad nos mittantur iuuenes agreſtes, & detrectantes paternum imperium, cicurentur. ita porro tenaces ſunt pietatis, quam imbibere, vt eam, quamquam irriſi, tueantur, & verberibus affecti. pater Lutheranus filio eximia virtute, die vetito, ſuillam obtrudit; adoleſcens repudiat modeſte: iubet pro imperio, non auditur: minatur plagas, arripit fuſtem, tum vero filius domo ſe proripit, nec redit niſi multa nocte, vna conſcia ancilla: egreditur & pater, filium quærit, nec inuenit. poſtridie ad nos: repoſcit pignus minitabũdus, quod nõ cõmiſerat: nec vero habebamus. nos mitigare iratũ adorti, lenitate orationis eo deduximus, vt placaretur filio, nec poſthac ei vnquã, in eo, quod pertineret ad religionem, moleſtus eſſet. Studiorũ renouatio bis celebrata, & bina præmiorum diſtributione, non ſine ſcena plauſuque,

ſuque, iuuentus, & ciuitas allecta. Canonicorum magna erga nos beneuolentia, quam & rebus oſtendunt. eorum exemplum ſequuntur viri opulenti. ab illis donati horto ſaluberrimo, ab his omni materia, templo inſtruendo. quin etiam domus, quam ſatis magno conduxeramus, plane facta eſt iuris noſtri. bibliotheca aucta libris, & ſacrarium muneribus magni pretij. At nos tantæ liberalitati, quanta poſſumus induſtria, mutuaque voluntate reſpondemus.

SEDES PADELBORNENSIS.

MAGNVM OPVS, ac difficile ſerere in agro Padelbornēſi, ſiue propter maciem terræ, ſiue propter coaleſcentes ſpinas inimicas ſementi: ſed tamen enata alicubi herba, niſi cæleſtes imbres et pluuias, hominum noxæ ſuſpenderint, in ſegetem frugemque ventura. hic certe, ſeu multorum conſenſu delirantium, ſiue odio veritatis, ita infenſi ſunt nobis plerique, atque infeſti, vt eos nullo vincere officio, nullo obſequio mitigare queas: adeo natura comparatum eſt, vt quem non ames, ſeu bene, ſeu male facta, perinde premant. Sunt quidem aliqui Catholici, ſed parum amici nobis, aut metuunt videri; ita a colloquijs noſtris, nedum a concionibus abſtinent: ſed tamen opera ſtudioque diſcipulorum, quos quinque claſsibus ad humanitatem informamus, & illecebra can-

tionum

tionum Chriſtianæ doctrinæ, effectum hoc anno, vt ad templum non pauci acceſſerint: etſi negant fieri poſſe ſine aliqua inuidia nominis, & honoris iactura. ſubornarat huius vrbis Prædicans Lutheranus, acuto hominem ingenio, nec vulgari doctrina, vt audiret Eccleſiaſten noſtrum, diligenterque obſeruaret, ſi quid effunderet leue ineptumve, quod poſtea in circulis vellicarent. magna vis diuinorum verborum, quæ de pleno pectore erumpunt. captus eſt concionibus, qui captatum venerat concionatorē: et qui miſſus fuerat, vt læderet, in compitis & conuiuijs laudabat: vſqueadeo, vt Senatus vetuerit in poſterum ingredi noſtrum templum. enimuero Prædicans id ferre non poterat: ſed is quoque debacchatus in venerationem Sanctorum, a ſacerdote noſtro, in magna ciuium corona, tam aperte conuictus eſt, vt clamarint omnes, in tota Saxonia nihil eſſe ineptius, aut imperitius eorum Miniſtro. Fuit etiam quidã, qui a prima ætate imbutus veneno hæreticorum (quod in diſcipulos noſtros refundere cupiebat) ſtudebat intelligere, vt ſciret, an vt refelleret, Catholica decreta: audijt partem in concionibus, partem in familiari ſermone, & volutatione librorum, probauitque: ſic vt eiecerit deinde peſtem, quam in animo habebat. eius exemplum duo alij ſecuti. Plures fluxæ fidei, aut dubiæ, ad conſtantiam erecti. Nõnulli, e diſcipulis præcipue, ita firma-

ti,

ti, vt blanditiarum illecebræ, & machinæ minarum, ad eos demouendos adhibitæ, non impedimentum illis fuerint, ſed experimentum Catholicæ religionis. ſuper hæc libri aliquot ſuſpecti, expiati igne. Mulier proiecti pudoris nocturnis diurniſque viſis a dæmone diuexata, et cogitans, ferro, laqueo, vndis, vitam abrumpere, ad ſpem emendationemque vitæ perducta. e cæno libidinum aliqui emerſere. Ceterum inter tot odia maleuolorum, aliquot amicorum, perpaucorum licet, ſolatia: ij viri nobiles ſunt, Eccleſiæque huius Canonici, & noſtri olim Romæ in Collegio Germanico alumni: etenim amicitiam noſtram præferunt cuilibet vel ſtudio hominum, vel cognatorum propinquitati: omnino dant grande in nos amoris, & pietatis documentum: neque alio fere præſidio in his locis nititur fides: eorumdem liberalitate auxit inſtrumētum ſacrarij, & ornatus templi. Bacchanalibus data fabula, pleno nobilium conuentui grata, probataque ipſi in primis Epiſcopo, qui eo die præclarum Societati teſtimonium Catholicæ religionis inter hæreticos conſeruatæ dedit.

PROVINCIA BELGICA.

BELGIVM TENVERE ſocij ducenti octoginta quattuor. Quot in ſingulis Domicilijs (ea ſunt quindecim) ſingillatim ponetur. Duo e vita migrarunt. In Societatem dicauere ſe quattuor ſupra viginti.

LOVANIENSE COLLEGIVM.

LOVANII viginti ſeptem. Vbi fere eadẽ, quæ anno proximo, ſtudia viguere. cum enim a graſſatoribus viæ inſiderentur, nec eſſet tutus egreſſus vrbe, in vrbem ipſam, vrbanoſque, noſtrorum ſe induſtria conuertit. Theologicus ager primitias obtulit Chriſto Ieſu quattuor iuuenes, e quibus ſacerdotes duo. Sodalitas Matris magnæ magnos facit progreſſus. ipſa aucta ſodalibus centum octoginta: mirum quantum accenſa eſt diplomate ex vrbe tranſmiſſo, quo, vt Romanæ adiungeretur, poteſtas fiebat. huic militant, præter Theologos, ſelectiſsimi quique iuris conſulti, ac Philoſophi. ex his, quidam cum ad eam vocaretur, nec vellet adſcribi ante, quam, vt parentes ſalutaret, excurreret in patriam, captus eſt a prædo-

nibus in itinere: putauit hanc eſſe pœnam cunctationis ſuæ. igitur concubia nocte, cum religione voti ſe Deo obligaſſet, cuſtodibus altum dormientibus, diſſolutiſque vinculis, capeſsit fugam: mox incolumis opitulatrici Virgini votum exoluit. Doctrinæ Chriſtianæ explicandæ ratio in vrbanis ſcholis reuocata, vno e noſtris docente: et ſpes eſt, vt tam vtile inſtitutum propaget, alatque æmula conſuetudo. Miles non infimæ ſortis tanto animi dolore conuerſus eſt in peccatorum pœnitentiam, vt deiectos in terram oculos ad cælum non auderet attollere: non in Dominica palmifera accipere ramum, ſignum pacis, et victoriæ: quippe qui nondum haberet placatum Deum, & ab hoſte victus fuiſſet: ſequebatur ſupplicationem ſeorſum a ceteris, ſibi ipſe infenſus: adeo ſuper mærorem, pudor quidam ſocietatem vitare, & cœtus fugere hominum iubebat: vltimus omnium templum ingreſſus, pectus, & os manibus verberans, ingenti luctu ſe ad pedes proijcit ſacerdotis, ſpectante populo, orans, vt calcaret collum hominis ad flagitia præcipitis: odium ſe eſſe cæli, onus terræ, indignumque qui admittatur ad cuiuſquam colloquium, aut aſpectum: et incendebat hæc fletu, donec clementiſsimus Deus triſtitiam diſcuſsit, & humani nubila animi diuina luce ſerenauit.

DO-

DOMVS PROBATIONIS Tornacenſis.

TORNACI quadraginta duo. Hic inſtituuntur Nouitij, & recoquuntur veterani. De vtriſque ſingillatim. Ac primũ quædam de certamine illorum. carcerem vnus, & faſtidia octo menſium, ea tulit animi magnitudine, vt tandem die ſuo natali ordiretur initia alterius vitæ. alter ex illuſtri Comitum familia, patientia, & dexteritate ingenij, ita tractauit domeſticos,& familiares,moram cupitis afferentes, vt ijſdem ſit vſus deprecatoribus ad Societatem impetrandam. fuit & quidam candidatus iuris ciuilis, qui cum per ſpeciem mutandi cæli,cauſa valetudinis, Antuerpiam veniſſet,peractis exercitijs ſpiritualibus, ſpiritum, quem imbiberat, adeo prudenter diſsimulauit, vt ne frangeret concitatum patris animum (cuius indignatio non parum nobis obfuiſſet) ſed flecteret, cauto conſilio, lenique agendi via, eo circumduxerit, vt impelleret in aſſenſum. Illud porro ſtudium eſt omnium,vt animum vincant, quæ eſt optima victoria: quin et diebus feſtis,vt primis ab annis inſueſcant muneribus Societatis, teneram ætatem erudiunt Chriſtianis præceptis: addentes interim exempla promouendæ adultæ.nec ſine effectu. Ancilla quædam hæreſi infecta,audito miraculo de duobus

Anabaptiſtis conuerſis in carcere, & ſibi, & hero eadem peſte laboranti ſaluti fuit. amiſerat altera pudicitiam, niſi vteretur remedio, quod a Catechiſta acceperat. Sunt & ſcholæ puellarum, quibus de noſtrorum conſilio virgines præſunt pudoris magiſtræ. hinc ille fructus, vt pleræque abnuãt iugum hæreticorum, & multæ religioſam vitam ſint complexæ. his ſcholis referunt acceptam nobiliorum familiæ obedientiam ancillarum, filiarum modeſtiam. Hæc de Nouitijs. At veterani certis diebus vrbanos adoleſcentes imbuunt, mandante magigiſtratu: foraſque egreſsi informant agreſtes, admonentque confeſsionis integræ, inutili pudore abiecto. Ruſtici multi, qui ob annonæ caritatem, vaſtitatemque patriæ, ad Hollandos Zelandoſque profugerant, ad caſtra Eccleſiæ reducti. Quidam prætermiſſos in baptiſmate ritus in templo noſtro ſuppleuit, iubente Epiſcopo: qui & hominem ſacro Chriſmate confirmauit. Sacerdos noſter Inſulas (nomen eſt vrbis) miſsus in ferijs Chriſti reſurgẽtis, præbuit aurem multis confitentibus: perſuaſit, vt rediret in cœnobium, deſertori religionis. Ceterũ exculti plurimi meditationibus noſtris, Præſules præcipue, & paſtores animarum. vnus denique ruſticus, aduerſus potentioris impotentiam carcere ereptus.

DVA-

DVACENSE COLLEGIVM.

DVACI quadraginta tres. Virgo Deo ſacra e diaboli præſtigijs, ſacrilegij impietate, relinquendi cœnobij conſilio, abſtracta. mulier cum ſe eieciſſet e vago concubitu, paupertatem inhoneſtis opibus præoptauit. audiuerunt noſtri paganos plurimos, & cœnobia nonnulla ſacramentis firmarunt. At Sodalitiũ Parthenium pro dignitate laudari non poteſt: numerat adoleſcentes circiter ſexcentos. ſpectaculum ciuitatis, & pietatis incrementum. die feſto ſacroſanctæ Euchariſtiæ proceſſerunt bini, luminibus accenſis, pulcherrima pompa: octodecim Societatem ingreſsi: vndecim oſtiũ pulſant, vt admittantur: ea religio eſt omnium, vt opinio ſit negligere pietatem, qui Sodalitatem contemnat. e Scholaſticis quidam a pueritia imbuti hæreſi ad priſcam religionem traducti.

COLLEGIVM AVDOMARENSE.

AVDOMARI triginta vnus. Præter Catecheſim, diebus feſtis, ternæ conciones habitæ in celebrioribus locis: et ſalutares multis fuere: quod morũ mutatio teſtatur, & frequentia ſacramentorum. reſtitutum a tribus æs alienum non parui ponderis. trecentos

aureos redhibuit vnus, alter mille, tertius quater mille. Nobilis mulier perfidioſam hæreſim abdixit: et erat in oculis, qui antea idem fecerat, fratris exemplum. concubinæ aliquot, & domicilium, & vitam mutarunt. quædam, quæ vitam ſibi eripere cogitabat vel aqua, vel laqueo, vt melius ſibi conſuleret adducta. inſons erat in carcere, qui, vt confeſsione purgauit animam, poſtridie ſolutus eſt, in ſe ſpōte deriuāte culpā, qui admiſerat ſcelus. Nocentes præmuniti ad extremum ſupplicium æquo animo obeundum. Scholaſticorum non paruus fructus. Sodalitium Virginis in dies augeſcit: quod et dicendum de ſacro inſtrumento, deque Collegij ædificatione. ad hunc vſum a viro quodam nobili tria florenorum millia collata.

COLLEGIVM ANTVERPIENSE.

ANTVERPIAE duodeuiginti. In ea re maxime ſe exercuerunt noſtri, vt errantibus monſtrarent viam, quæ ſola ducit ad ſalutem: id eo difficilius, quod iam ab vrbe dedita, pacti in ea rem fœderis tēpus exierat. et aliqui rectum iter ingreſsi: in his adoleſcens nobilis parenti, vxor coniugi, duces fuere: alter attulit ſecum libros, originem erroris, qui & in ignem coniecti. Multa eiuſdem generis prætermitto. Quin, et vrbe etiam, quantum licuit per latrocinia, noſtrorum induſtria egreſſa, multis ſa-

luti

luti fuit: multi, illorum admonitu, ſarta tecta habuerunt præcepta Catholicæ religionis. adoleſcens quidam, ne offenderet apud patrem aberrantem a regula, & præſcriptione fidei, opus faciebat diebus feſtis, & a re diuina abſtinebat: ſed a noſtris edoctus crimen exhorruit: quin, et maluit perpeti verbera, quam Deo non parere: illud affirmans, vitam ſibi potius, & ſanguinem, quam diuinorum præceptorum obſeruantiam defuturam. qua eius conſtantia familiares permoti, deteſtati errorem ſuum, ſacros dies religioſius exegerunt. conciones, quæ haberi ſolent Decembri menſe, & Veris maiore parte, domi, foriſque frequentiſsimæ fuere. De ſupplicatione ſacræ hebdomadæ extremæ ſatis eſt illud dicere, fuiſſe ſplendidiſsimam, & ſimilem anni ſuperioris. Sodalitas Dei matris excitata plurimum conſociatione Romana. Templo multiplex, & diues acceſsit ornatus.

TRAIECTENSE COLLEGIVM.

TRAIECTI octodecim. Eorum ſedulitatem teſtatur primũ præſidiariorũ militum modeſtia, quam exteri mirantur: deinde vicinarum vrbium æmulatio, quæ Catechiſmi fructu excitæ noſtros expetunt, & inſtruendos rudes (vt nuper fecerunt in Iudæa adoleſcentula) mittunt. In pagis vrbi adiacentibus præſtitum, vt rediret vſus, qui pæne exoleuerat, ſacramenti

ti Confirmationis, templaque iniuria temporum profanata reſtituerētur. Germanis ægris, qui e caſtris regijs in noſocomia huius vrbis deportati fuerunt, ita proſpectum eſt, vt non corpori ſua deeſſet, non animo medicina: quam caritatem admirati Hiſpani, dum noſtros de ſacra æde extruenda ſolicitos vident, vltro ſtipēdiorum partem, renitentibus licet, pollicentur: eoſque imitati ciues, liberales ſe hactenus in ædificatione cœpta præbuere. Primum lapidem, sereniſsimorum Leodienſis, & Parmenſis voluntate, (hæc enim vrbs Catholico regi, & Leodienſi Principi ex æquo paret) delecti primarij duo, ſueta cærimonia poſuerunt. Qui ſunt e Sodalitio Deiparæ, ſub multam noctem redempto orbi dicatam, nouo exemplo, flagellis ſe ceciderunt, adiungētibus ſe Hiſpanis pleriſque, ad voluntariam ſanguinis profuſionem attonita ciuitate; nec vero ſuis partibus deſuere ſodales, qui e Scholaſticis coaluerūt, ſiue in fundendis precibus, ſiue in procuranda ſalute aliquorum. Ceterum miſsi noſtri Aquiſgranum, Maſecam, & Ruremundam: nomina oppidorum. Maſecæ tres hæreſim dedocti: confirmati vacillantes: pax duas inter familias conſtituta: ludi magiſter Catholicus ſubrogatus, hæretico expulſo: ceteris etiam in locis æque vtiles, vt eorum diſceſſum morari cuperent tempeſtate lacrimarum.

COL-

COLLEGIVM LEODIENSE.

LEODII triginta quattuor. Circumciſionis dies,& illi deinde, qui ſacri ſunt Virgini annuntiatæ, & Dominicæ Cœnæ, notabili apparatu, & frequentia ciuium, celebrati. fuit etiam ſua celebritas in dedicatione recentis ſacelli. Mulieres quædam inopia coactæ, matriſque, tum ſuaſu, tum exemplo, multorum amoribus ſeruiebant: has adhortatus ſacerdos, vt vni Deo deſeruirent, adeo perpulit,vt ad honeſtatem traductæ deſererēt primo parentem, deinde etiam conuerterent. Sereniſsimus Antiſtes diſcipulorum animos,in repetitione ſtudiorum,cum delecti eſſent in ſingulis claſsibus diligentiſsimi quique, muneribus accēdit. Pijs commentationibus informati nonnulli ex Clero, ſolito cum fructu. Catechiſmus nouem Parœcijs explicatus: ſublatus chorearum vſus,in oblatione virginum Deo dicandarum. Nobilis virgo, quæ frequenti myſteriorum vſurpatione,& aſperitate cilicij, ieiunijſque carnem domuerat, ſpiritualibus armis debellauerat dæmonem noctu inſidiantem, mundum denique, cum in cœnobium,vt abderetur, a parente extorſit prope miraculo, deuicit. Miſſus ad oppidū huius diœceſeos, Quadrageſima, ſacerdos, operam præclare poſuit in muneribus Societatis:ita vero in Catechiſmo tradēdo,vt magnitudo fructus ſuperauerit aſsiduitatē laboris.

COL-

COLLEGIVM BRVGENSE.

BRVGIS tredecim. Et quoniam armis circumſonat hoſtis, prouiſum, quantum fieri per eos potuit, pietati vrbanæ, vt iuuentus adiuuaretur Catechiſmo: cuius ſtudium ſacrorum Antiſtes, & Senatus, promouent, auctoritate doniſque. Cautum, ne quis ex Hollandis, Zelandiſque reuerſus innouet ſe ad religionem Catholicam, niſi antea mature inſtructus. id quod fecere nonnulli. Pœnitentium numerus auctus, Quattuor ſacrarum virginum domicilia adiuta. Mulier, quæ adulterio venenum adiecerat, irrito conatu, adducta ad ſalutem animæ corporiſque. ſuperſtitioſi libri aliquibus detracti. Sollemnis eſt in hac vrbe, quinto nonas Maij, ſupplicatio: circumfertur ſacer Domini cruor: ſed cum religio vertiſſet in luxum, auctor fuit vnus e noſtris, qui ad populum verba faciebat, vt laſciuia omnis tolleretur: ita nihil factum, viſumque, quod non maxime conueniret. Poſuerat priuatorum quorumdam libertas(vt mos olim habebat in rerum ſtatu meliorum) per præconem certamina, & præmia inſolentiæ publicæ, qui cantando, ſaltando, cachinnando, mentiendo, ceteris anteiſſent: huic quoque leuitati occurſum: vrbanus Prætor præconem tridui inedia, auctores, larga eleemosyna in pauperes diuidenda, multauit.

IPRENSE COLLEGIVM.

IPRIS vndecim. Flandrica Gallicaque concionibus, excitati plures ad obeunda quot menſibus ſacramenta. Repreſſa, vt alibi, in ſanctimonalium profeſsione, laſciuiæ comes inopportuna ſaltatio. Monacha, quæ eiurata prima fide, innuptis nuptijs naufragium fecerat pudicitiæ, facinus tandem deteſtata, relicto ſcopulo cui adhæſerat, arrepta tabula pœnitentiæ, inclamauit Epiſcopum, vt reduceretur ad portum. ægrorum corporibus animiſque ſubuentum. Fuere, qui a deſperata ſalute, depoſita peccatorum ſarcina, ſtupentibus medicis, conualeſcerent. excurſum a quattuor e noſtris ad diuerſa loca: et quidem, exeunte anno, & ieiunio verno, Furnos Neoportumque: neque aliena rationi multorum, eorum excurſio, ſeu commoratio fuit. Ceterum e cœtu Parthenio tres adoleſcentes in varias religioſorum familias adlecti.

COLLEGIVM CORTRACENSE.

CORTRACI ſedecim. Laborauimus inter inuidos, ſed eos exiſtimauimus, vt plerumque, virtutis tormenta. Ex concione publica, crebris adhortationibus ad moniales, doctrinæ explanatione quattuor locis, multiplex

fructus

fructus . Penetrauit etiam ad oppida pagoſque Collegij labor, Tornacenſi Epiſcopo, inſtitutos primum a noſtris ſacro Chriſmate confirmante. certe Menenenſes, quorum, vt rebellio Flandriæ olim calamitoſa, fides perutilis fuit, tantum profecere, vt ſe ipſi mirentur, & decreuerint publice augere reditus vicini Collegij, vt ne deſit ſacerdos, qui eos pergat inſtituere diebus feſtis . Harlebeca, olim ante omnes vrbes Flandriæ memorabilis, nunc etiam, vel ipſis reliquijs veneranda, idem ſtudij a nobis contendit, magna Canonicorum, & Senatus voluntate. Sed domum redibo, vt ſingillatim nonnulla quam breuiſsime percurram . Miles nobilis propinquus Præfecti Cortracenſis, cum infert ſe medium duobus conſerentibus manus, vt dirimat pugnam, accepit vulnus in capite : domum refertur: accitur mulier pharmaceutica, ſimilibus, vt aiebāt, in rebus expertæ virtutis, & ſacerdos: illa, vt corporis, hic, vt vulnera ſanaret mentis . non placuit ſacerdoti compar adhibens cantamina: iubet expelli : factumque eſt, Deo adiuuante, vt chirurgi ſanioris ope ſanaretur æger cicatrice obducta . Duas ſorores forma & ætate florentes militum libido abduxerat: ſed minor poſtmodum pertæſa flagitij, vt reuocaret ſe ad honeſtatem, maiori fuit exemplum, & magiſtra . Puella agitata monſtris, timebat furias, & terrebat parentes: mox reddita illi quies, & pax domui, remedio confeſsionis.

nis. Graue odium inter duos fratres, & implacabile, noſtrorum admonitu, Deique nutu, mutuo oſculo complexuque finitum. Læſerat quidam alium verbo nõ acerbiſsimo, & quamquam veniam precatus, carcerem non effugit: hic cum grauiora metueret, pro egreſſu votum nuncupat Virgini Lauretanæ: idque illi cordi fuit: proripit ſe e cuſtodia eluſis cuſtodibus: voto ſe liberat: in reditu cum denuo accerſeretur, ne daret pœnas noſtrorum precibus datum eſt. Ceterum ſacra ſigillaria cerea diuini agni magnam in his locis venerationem habent, tum propter vtilitates alias, tum maxime propter leuamen partus: hæc ſpes obſtetricum, hoc remedium laborantium: ita a multis expetuntur. Congregatio vtraque Dei matris, amplificatur quotidie creſcente numero. honeſta mulier, ab ipſo ſtatim die nuptiarum auerſata virum, vt non videretur compos mentis, ſed nunc de ſe, nunc de illo extrema cogitaret, vbi maritũ audiuit conſecraſſe ſe Virgini, abiecta omni, qua angebatur animo, ſolicitudine, ad templum accurrit Deiparæ gratulabunda. Spẽ etiam ingentem ac ſubſidium in noſtris ſcholis Cortracum habet, vt exiſtant, qui religionem euerſam quandoque reſtituant: ex ijs Epiſcopus in noſtro ſacello initiauit ſacris circiter triginta: ſex in varios religioſorum ordines tranſiere.

GANDAVENSIS VALENCENENſis, Montenſis, Sedes.

GANDAVI ſeptem. Milites adiuti, emendata iurisiurandi, potandique, pernicioſa conſuetudine. concubinæ ablegatæ. tres a lupanari retractæ. perfugæ ſeptem ad Eccleſiam reducti. adoleſcens ſpe ditioris coniugij dæmoni ſe addixerat, magnis ab eo promiſsis oneratus, quæ etiam litteris firmarat: ſed inſequenti nocte, vel viſorum terrore, vel facti conſcientia, mutatus cum eſſet ad pœnitentiam, ad nos confugit, factum aperit: cum porrigeret ſyngrapham igni tradendam, pars notarum eius inter manus contrectantium euanuit. Vir egregie doctus, & peritus linguarum, melioribus ſtudijs tantum profecit, vt contempta vanitate, cui fuit addictior, maturo conſilio Societatem noſtram meditetur.

VALENCENIS item ſeptem. Et boni aliquid attulere ciuitati. labat hæreſis, quæ aliquando regnabat. Confeſsionum communionumque vis, non noſtro ſolum in templo, ſed in varijs etiam parœcijs, magna, & crebra, vt, qui comparant præſentia tempora cum ſuperioribus, mirentur. in noſocomium introducta menſtrua confeſsio. Mulier quæ pudicitiam habebat in propatulo, ad bonam frugem adducta. Templa, Sanctorumque imagines, vetuſtate, & negle-

neglectu ſqualentia, priſtino nitori reſtituta. Non nemo a pellice auulſus. Reconciliati duo cognationis vinculo coniuncti, quorum vterque alteri cædem moliebatur. Itum ad oppida, vicoſque adiacentes, factumque apud multos, vt oreretur cura rerum diuinarum: et alicubi conciliata voluntas pagi, quæ a nobis abhorrebat: beneficentia videlicet ad beneuolentiam iter oſtendit.

MONTIBVS HANNONIAE quinque. Hic etiam mortalium animos obligauere beneficia, quod non potuerant olim promiſſa: et ſpes iam melior illuxit. Conciones Flandrica, Gallicaque frequentantur. euocatus noctu ſacerdos ad ægrum veluti impotem ſui, deprehēdit eum, non ex mente laborare, ſed ex capite: igitur curauit ſanandum.

MISSIO CASTRENSIS, ET RESIdentia Bruxellenſis.

DIVISVS fuit hoc anno per legiones caſtrenſium labor, quod vniuerſæ copiæ, ob infirmiorem Ducis valetudinem, in vnum locum non cogerentur. Concionibus, exhortationibus, in aleam, periurium, ſcortationem, peccata militaria, inuecti, tantum potuere dicendo, vt quod olim erat laudi, nunc dedecori habeatur. inuidit Satanas: excitauit Chiliar-

chum,

chum,qui dictitaret in eodem exercitu conuenire Martem & Religionem non poſſe: cauto ſilentio tranſmiſit ſacerdos,ne ferocem animũ exaſperaret: ſed ille idem, paucis poſt diebus, erratum agnoſcens quieuit. ita Dominicus quiſque dies celebratur in caſtris cum frequentatione myſteriorum: et milites ſunt ad belli munia magis prompti, & ad militarem diſciplinam. nec vnum ſolum (quod quidam dixerat pro miraculo habendum) ſed multos, inuenias e viris aſsidue dimicantibus, inculpatæ vitæ. ſacroſanctæ Euchariſtiæ Sodalitas conſtituta. inimicitiæ diremptæ. pellicatus cum matrimonio mutatus. mulierculæ caſtris, vel ſponte egreſsæ, vel virgis expulſæ. vna, Deo, & religioni ſacra, plures annos voti immemor conſumpſerat in luſtris: ventura erat in hæretici manum, cui & dederat fidem: ſed illam cum Deus reſpexiſſet, amauit meliorem mentem. Res quædam etiam accidit,quæ vt habuit vicem miraculi, fuit omnibus exemplo. Volutabantur in cœno libidinis duo, nec admoniti reſipiſcebant: cum ſpernerentur tonitrua hominum,quaſi ſine ictu,ecce fulmen a Deo. comprehendit flamma tuguriolum,quo tegebãtur, & corpora eorum abſumpſit: terruit aliud in alio: enaſcentes ex ambuſtorum corporibus cũ ſtrepitu muſcæ coloris nigerrimi. ita factum eſt prouidente clementia diuina, vt pœna ad duos perueniret, ad omnes metus.

GROENINGA vrbs eſt Friſiæ nobiliſſima, anabaptiſmi, alijſque præterea erroribus vt finitimæ pleræque obnoxia. eo a Præfecto Prouinciæ euocatus ſacerdos, vt ſtationarios milites in fide ſilueſcētes, & fere degenerantes excoleret, ita cupide exceptus eſt, vt ſuperante multitudine opprimeretur. commodabat aures cōfitentibus, mane, & a meridie: ſed & cum veſpera noctem duceret, ſomnumque ſuaderet, feſſo recrudeſcebat moles illa audiendi. breui admodum tempore quingenti abſoluti. hinc illa, quæ ſequi oportebat. fugatæ mulieres quæ formam proſtituebant, vt venderent: nonnullæ in matrimonium ab amatoribus ductæ: e quibus vna vigeſimum annum egreſſa, ante ſponſalia ſacris aquis abluta eſt. inualuit enim hæreticorum conſuetudine, ſeu Præſidum incuria, hic error, vt in tota Prouincia multi careant baptiſmo. reſtincta odia. reſtitutæ res, quæ mala fide tenebantur, obſtupefactis dominis inſolitæ rei ſpectaculo, religione etiam motis. Permouit militum animos centurionum quorumdam caſus, qui confeſsionem eludentes, aut procraſtinantes, confoſsi ab hoſtibus cecidere. abduxerant aduerſarij, in omnem occaſionem ſemper intenti, e noſtris militibus quinque, ſpemque fecerant libertatis eiurantibus fidem: ac primum tres, quibus vita potior fuit, interempti: duo reliqui, quibus mens melior, & conſtantior religio, cum beatis Claudio, & Nico-

lao, peregrinationis ad eorum templa ſponſione ſe obligaſſent, tandem ſoluti ſunt: nec deeſt cẽturio, qui mortifero vulnere cum fuiſſet percuſſus, retinuiſſe vitam affirmat beneficio perceptæ Euchariſtiæ. Duobus, qui falſo putabantur a dæmone obſeſsi, remedium allatum. Hæc inter, ſacerdos noſter, ſi qua dabatur requies a procuratione militari, non negligebat vrbana. Præfecti nobis amiciſsimi familiam purgauit: duos adoleſcentes illuſtres, ex hæreticis natos, pluresque alios Catholice ac pie inſtitutos, publicis concionibus accedit. Sordes porro ſacræ ſupellectilis, & ſquallor templi, damnabant negligentiæ ſacerdotes, neque ciues id tacitum ferebant: perſuaſum centurionibus quibuſdam, vt detractam ex inſtrumento ſuo veſtem, argentumque magni pretij, conferrent in vſum diuinum. Ceterum, quoniam Epiſcopo iamdiu caret Eccleſia, et vbi non adeſt oculus domini, res domeſtica perit, actum cum illuſtriſsimo Nũtio, regioque Senatu, vt deligeretur vir prudens, & doctus cum vicaria poteſtate. Demum cum rediſſet noſter cum publicis litteris, ſuper quodam negotio ad Patrem Prouincialem, mox repetit Friſiam: ſed eo in itinere, pæne omnibus, quibus ſe adiunxerat vt eſſet tutior, contrucidatis, euaſit incolumis.

BRVXELLIS octo. Totidem redierunt ad Eccleſiæ ſinum: inſtructi multi, quorum religio non ſatis firma: deliramenta ſuperſtitio-

num,

num, & magicæ artis inſtrumenta conſumpta igne, aut reiecta. Cuſtodiæ adiutæ. ſontium ſcelera prius confeſsione expiata, quam furca.

Statutum in carcere, noſtris petentibus, ſed annuente Senatu, altare, ſubſidio vinctorum, libellique pij catenis appenſi, in otio diuerticulum, ſiue in mærore ſolatium.

PROVINCIA FRANCIA.

PERTINENT AD HANC Prouinciam Domicilia octo, in quibus ſocij fuere ducenti ſeptuaginta vnus. Pariſijs in Domo Profeſſa, & quæ ex ea extitit Miſſione, nouemdecim: in Probationis Domo decem & ſeptem: in Collegio ſeptem ſupra ſeptuaginta: in Collegio Muſsipontano ſeptuaginta quattuor: in Virodunenſi vndetriginta, in Niuernenſi quattuordecim: in Augenſi ſeptemdecim: in Biturigenſi viginti. Defuncti quattuor. Additi quattuordecim.

PARISIENSIS PROFESSA, ET Probationis Domus.

SACRAMENTA vſurpantium, vitamque melius inſtituentium, vt fit ſæpe inter aduerſa, & in publicis periculis, maximus numerus. Viduæ multæ, virgineſque, abiecto luxu cultuque corporis, perpurgando animo ornandoque ſolum intentæ: nonnullæ ex his honeſto loco natæ, petitæ quamquam a multis, voto caſtitatis ſe Deo obligarunt. Fuerunt & quædam honeſtæ matronæ, quæ demptam ſibi omnem ſericam veſtem templorum vſui miſere. Abbas

illu-

illuſtris & locuples ſpiritualibus exercitationibus excultus, totum ſe, cum rebus ſuis omnibus, regendum Societati dedit: quo ex tempore magna in ipſo eiuſque familia mutatio facta. Sed hæc priuata. Eamus ad publica. Mirum, facta cæde Catholicorum Principum in comitijs Bleſenſibus, quanto opere cunctorum animi, ad defenſionem religionis, armis votiſque exarſerint. ad exemplum vnius e noſtris ſacerdotibus, qui pueros puellaſque e Catechiſmo, diſcretis ordinibus, aperto illos, has operto capite, ad quattuor vrbis templa ſupplicatum adduxerat: multiplex ſupplicatio omnis ætatis, ordinis, ſexuſque, per octo menſes continenter, in Parœcias ſingulas, decreta eſt noctu diuque. et diuiſa erant agmina incedentium, vt quodque ætate nouiſsimũ, ordine primum. plerique linteati, & quod augebat religionem, cetera, corpore intecto: geſtabant alij ferreas catenas, quidam prægrandem Crucem: nec deerant qui ferrent reliqua Chriſti ſuppliciorum imitamenta: matronæ ſequebantur: dein Clerus: plebs infima pompam claudebat nihil immutato habitu: ſed tamen bini omnes, lucentes facibus, vultu ad præſentem calamitatem comparato. quin et ſemel atque iterum, qualibet hebdomada, ſingulæ religioſorum familiæ, illæ etiam quæ eiuſmodi onere erant immunes, nudatæ plerumque pedes & caput, conſpiciebantur: et eodem geſtu inceſſuque ordo

Theologorum e varijs Collegijs, diuino numini propitiando. adnotatum eſt, frigidiſsima licet tempeſtate anni, vijſque oppletis niue, fœdisve luto, in tenui tantum velamine, magnam diei noctiſque partem procederent, multi ætate tenera & delicato corpore, neminem peius habuiſſe. Materia etiam oblata exercendæ caritatis. Cum enim æſtate e proximis Catholicorum caſtris ſaucij milites in xenodochia delati eſſent, adibantur, audiebanturque quotidie a noſtris, permagna vtilitate animorum. nec minor ciuium pietas in illis adiuuandis eluxit. medici ac vulnerarij gratis contulere operam: veſtem alij ac cibos, medicamenta vulneri, & fomenta corpori. Eadem officia in Heluetios Germanoſque, per ciues, ac noſtros ſacerdotes, certatim præſtita. Sed & aliquid extitit a nobis in inuiſendis ægrotis Pariſienſibus, quod non longe abfuit a miraculo. Propinquus Epiſcopi Agennenſis, continua febri dierum quinquaginta, inæquabili iam & formicante venarum percuſſu, deploratus a medicis iacebat: ſed reddita diuinitus valetudo, adhibito per noſtros liquore, quod e beati Andreæ corpore admirabiliter efflux it. eadem admota curatio ad Bernardum Præpoſitum familiæ Ciſtercienſium in hac vrbe, quæ ex noua reformatione Foliantinorum nomen inuenit. Ad eum aſthmate laborantem, a principibus vrbis, quibus erat egregie carus, ſubmiſsi erant medici plu-

res

res quam duodecim,qui numquam diſcederēt: ſed quoniam varietate ſententiarum,ſeu malignitate morbi, vincebatur ſedulitas imperantium, dum expectant medici, aut terunt tempus, æger ruebat ad mortem, ſtomacho excreſcente, vt fractum murmur magis audiretur, quam ſermo loqui conantis: & per anguſtias faucium traheret ſpiritum laborioſe eluctantem: animam denique agere videretur. per id tempus,vnus e noſtris qui aderat, paulum humoris admirandi inſtillat ori penitus arenti, refocillari viſus infirmus, & ſtomachus detumeſcere. hic noſter, Siluanectenſis Epiſcopi, qui & ipſe aſsiſtebat, digitos mouens Crucem imprimit linguæ ægrotantis: at ille, Dei beneficio, liberius iam meante ſpiritu, Ieſum nomine primum appellat,dein præ gaudio concinentibus ceteris canticum Zachariæ, excipit verſum, qui tum canebatur, illis præeuntibus: demum paucis poſt horis reſtituitur ſanitati,non humanis eam remedijs acceptam referētibus medicis, ſed opi diuinæ. Miſsi ex hoc Domicilio duo,qui duabus in primarijs vrbibus prouinciarum diuerſarum Quadrageſima concionati, magno illarum ciuibus adiumento fuere: et quamquam ſtatim poſt eorum diſceſſum occupatæ vrbes a perduellibus, ipſi tamen in longo itinere ab innumeris periculis, Deo protegente,liberati ſunt. Miſſus & tertius ferijs Pentecoſtes, rogatu Meinæi Ducis Rotomagum,

vrbem in Normania principem, ne quid detrimenti caperet res Catholica: is per ſemeſtre ſpatium ciues cæleſti cibo verboque firmauit, diuina etiam fauente clemētia, coniurationem certis indagatam veſtigijs, Senatui patefecit, effecitque prudenter & caute, vt multum ſe Rotomagenſes illius meritis Societati obligatos putent. Ceterum cum hactenus deſideraretur Nouitiorum ſedes noſtris vſibus accommoda, contigit vt Henricus rex vita functus (aliud videlicet agens) ædificare ſit viſus. Namque in ea vrbis parte, quæ hortis abundat, vtpote cælo locoque liberiore, non admodum diſtante a Domo Profeſſa, ædes amplas extruxerat, neque adeo magnificas, quo ſecedebat interdum a turba: has porro ædes Dux Meinæus adminiſtrator regni nobis vtendas fruendas dedit: atque huc tredecim ex altero Nouitiatu migrare iuſsi: quorum omnium illud eſt ſtudium, vt multis ſe exercitationibus fingant dignos Societate, optimumque inſtrumentum victoriarum putent victoriam ſui.

COLLEGIVM PARISIENSE.

BIPARTITA ERIT rerum ex hoc Collegio narratio: ante enim priuatas, & veluti pacis (neque enim omnino integra pax) deinde publicas ac belli, quam breuiſsime perſequemur. Mortui e noſtris duo, ſacerdos vnus,

qui apud Rhedonas Aremoricæ Quadrageſima concionatus, eodemque munere in Catholicorum exercitu, ſeu iter faceret, ſeu eſſet in ſtatione, functus, multis vitæ periculis ereptus eſt, vt in Collegio acciperet a Deo finem laborum. Alter nondum ſacris initiatus, qui nuper metitus Philoſophiæ curriculum diſcendo, compabat ſe iuſſus, vt docendo remetiretur: ſepultus vterque in nouo noſtro cœmeterio, facie aperta, more religioſorum. E multis expetentibus Societatem, vt in hac aſperitate rerum, quattuordecim admiſsi: ex his vnus illuſtri admodum familia, inter conuictores educatus a pueritia, ita feliciter certauit cum parentibus (et erat pater Collegio infenſus) vt vtriuſque veniam ſibi, illius gratiam nobis extorſerit. Alij ad Societatem admirabiliter vocati. Adoleſcens pertæſus vitæ prioris, cum meliorem inſtituiſſet, nocte quadam, quæ ſecuta erat diem Dominicum, audit vocem hortantis ad perſeuerantiam: octiduo poſt, admonito ſimiliter, et quærenti, quis eſſet qui loqueretur, reſponſum eſt, cognominem eſſe ipſius Ioannem Euangeliſtam: additum, vtrum velit, Cartuſianus eſſe, an Capuccinus: de religione fortaſſe deliberabat adoleſcens: qui et dixit, faciam quod Deus imperabit. tertio die Dominico, nocturno item tempore, quaſi ex compacto, redit eadem vox ſtimulos addens iuueni, atque exhortans vt religioſam vitam magno animo capeſſat: interea

in

in manum dat illi ſchedulam: Sunt iſtic nomina trium religionum : opta quam voles: ego amplius non reuertar. ita relictus Ioannes plenus admirationis & metus. in ſchedula erant trium ordinum nomina: et duos quidem argenteæ litteræ, noſtrum (is erat tertius) aureæ exprimebant: quem & ſequi conſtituit. Anceps alius, atque incertus quam inſtitueret rationem vitæ, in illo fluctuantis animi æſtu, ex ſacerdotis ſententia confugit ad Deiparæ templum, vbi tum Sanctorum Dionyſij ſociorumque reliquiæ viſebantur: hic cum oraret ſupplex, diuino illuſtrante lumine, portu conſiliorum inuento, ad Societatem appellit. Impulſi etiam alij memorabili modo. Cum vocaretur quidam a Deo, aut diſſimulabat, aut negligebat. ſed inter preces fundendas iratum Dominum videre viſus, eiuſque iuſſu male accipi plagis, intrare compellitur. Alij, cum in graui morbo confeſsionem peregiſſet, perſonabant aures eiuſmodi vocibus, vt iniret religionem: quibus monitis obtemperans, concepto voto Societatis ineundæ conualuit. at alijs quattuor ægrotantibus, eadem mente iniecta, quoniam exceſſerunt e vita, conceſſum potius, vt voti fine, quam vt voto fruantur. graſſatum enim hoc anno in his terris diſenteriæ malum: qua & correptus quidam adoleſcens telorum cupidus & belli, noſtris præſentibus moriendum ſibi eſſe dicebat, quod vocaretur a milite, in armis candētibus:

et ar-

et arbitratus eſſe Angelum cuſtodem, ad extremum vſque ſpiritum ſibi aſsiſtere teſtabatur. Sed ne ſemper mortuos, et ægrotos, Scholæ nihil intermiſsæ, quod et mirum fuit in hac difficultate temporum, & vrbanis alijs gymnaſijs propemodum deſertis: inter auditores, flos ille adoleſcentium beatæ Virgini dicatus maxime excellit. ad præſcriptum Patris Noſtri Ignatij, commentationibus pijs permulti inſtructi. Totius vitæ confeſsiones auditæ trecentæ. reſtitutiones factæ non paucæ. ſex ſeptem ab hæreſi reſipuere. Ceterum cum iam Doctores Sorbonici, alijque Profeſsores, quorum magnam partem noſtri diſcipuli fuere, nobis familiariter vtantur, ſuoſque auditores ad nos mittant gratia confeſsionis, magna ſpes tenet fore, vt vberiores quotidie fructus e iuuentute proueniant. etſi ſperare etiam plurimum iubent qui ſunt ætate firmiore. ex his Senator vnus in quadrimeſtri legatione publica, illud etiam operam dedit, vt Collegium nobis ædificaretur: qua re propemodum confecta, ex ea plus fructus cepiſſe legationis ſuæ teſtatus eſt, quam ex alijs multis ex ſententia geſtis. Atque hæc de rebus priuatis, & veluti pacis. Nunc ad publicas accedimus, & belli. Ter in ſummo diſcrimine cum bonis omnibus verſati ſumus. Primum nuntiata cæde Guiſiorum in nocte natalitia: tãtus enim tumultus repente excitatus eſt, omnibus ad arma concurrentibus, vt multi non

quidem ſacris, ſed ſacramentorum perceptione abſtinerent: etſi diſtulerunt potius, vt quod omiſſum erat in præſens, Calendis poſtea Ianuarijs, & Epiphaniorum die, maiore fenore penſarent. at nos, in belli periculis, ad pacem expoſcendam precibus conuerſi, frequentibus ſacris, & quinis quotidie fratribus communicantibus, aliquot præterea ſe verberantibus, poſt certos dies in orbem reditura vice, ad ſummam vſque hiemem, biduique abſtinentia in ſingulas hebdomadas, Deo placãdo inſtitimus, vt volens propitius reſpiceret rẽ Galliæ in ſummum diſcrimen adductæ. Alterum commune nobis cum hac ciuitate periculum incidit, in ferias Apoſtolorum Petri & Pauli, quo tempore Hæreticorum copijs, regijſque coniunctis, totum bellum in hanc vrbem incubuit. vaſtabantur agri, diripiebantur villæ, oppida vi doloque capiebantur, toto impetu ad caput regni bellique Pariſios, frumento ſtipendioque inſtructus admouebatur exercitus: et acta res erat, niſi regis obitus interueniſſet. Sed hic aliquid interijciam neceſſe eſt. Affluxere id temporis, in continentia vrbis, copiæ Catholicorum: ad eas omni ratione iuuãdas, miſſi e noſtris per duas treſve hebdomadas quotidie deni, plures diebus feſtis, cum & cibos, & hortamina excubantibus ferrent: et accidit die quodam, vt incuriane hominum, an penuria rerum, cum perſtitiſſent ieiuni milites ad diem vſque inclinan-

tem,

rem, colligere vaſa, & mouere caſtra extemplo iuberentur; quod ita indignum viſum omnibus, vt ni mature occurriſſent noſtri, quantulocumque victu, vt in illis anguſtijs, miniſtrando, iam incitatis per occultum ſermonibus lacerantes ciuitatem ac duces, non abſtinuiſſent etiam liberioribus maledictis. eo maius ſubſidium, quo grauior neceſsitas fuit. Tertium periculum, ac pæne extremum, fuit in anniuerſarijs omnium Sãctorum, ſubita irruptione perduellium, occupatis ſuburbijs, amplis & opulentis, neque propius factum eſt quicquam, quam vt vrbs ipſa caperetur. ſed ſuam ciuitatem cuſtodijt Chriſtus hoſtium impetu repreſſo: eodemque die, nocteque proxima, tanta vis Catholicorum ad defendendam matrem vrbium ſigno dato confluxit, vt ſubito pauore conſternati hoſtes diffugerint nemine perſequente: etſi relictis veſtigijs barbaræ crudelitatis, onuſti præda, abductiſque compluribus, qui pretio redimerentur. in tanta vrbis trepidatione exierunt noſtri firmantes animos ciuium, minuendo metu: et ipſi etiam conuectarunt crates cæmentaque, quis portæ non clauderentur modo, ſed etiam inædificarentur. Sed & eodem die, quidam e noſtris diſcipulis qui migrarant in tutiora vrbis loca, relictis parentibus, ſeſe noſtris adiunxerunt, laborum ſocij periculorumque, vt auderent idem, paterenturue, in rebus incertis.

COL-

COLLEGIVM MVSSIPONTANVM.

MAGNVM DIVINAE prouidentiæ argumentum, circumſonante ſtrepitu, qua belli, qua peſtis, noſtros omnes incolumes fuiſſe, vno excepto, quem diuturna paralyſis abſumpſit. In vrbe conciones ordinariæ habitæ a tribus: a duobus vicinorum pagi obiti, & per ſpeciem inſtruendæ pueritiæ, adultorum quoque ætas exculta. Inſtauratæ ſcholæ abſceſſu peſtis: ipſoque initio conuenerunt quingenti. additus ex præſcripto Patris Viſitatoris Profeſſor litterarum ſacrarum. Celebrata ædes noſtra, tum Primicerio Metenſi Cardinalis Vicario ter conferente ſacros ordines, multoſque muniēte ſacramento Confirmationis, tum frequenti confeſsione plurimorum: & ad aliquos pertinuit vtilitas. Duæ feminæ non ignobiles Catecheſi a noſtris inſtructæ, & viri præterea tres; cum Eccleſia in gratiam rediere. Multi ab angore conſcientiæ, aliqui a ſuperſtitionibus, domus a lemuribus ſpectriſque, diuino beneficio, liberatæ. Curiones ruſticani de eorum officio condocefacti. Quidam deſiderio liberorum, vouit ſi filium ſuſciperet, Societati noſtræ conſecraturum; et votum id Deo cordi fuiſſe oſtendit vxor, virilis ſexus ſtirpem enixa. Ex Epirotis, qui hic collocati in præſidijs equo merebant, aliquis fructus perceptus. eiectæ me-

retrices, odiaque. duellum inter duos ex prouocatione certaturos cum pace mutatum. Ceterum munera aliquot oblata templo fuerunt indicio aliquorum erga nos beneuolentiæ ac pietatis. Sereniſsimi Principis filia periſtromate ſerico, argentoque intertexto, altare maximum: nec viliore materia pia quædam matrona ſanctuarium conueſtijt. aucta præterea argento facto, veſteque ſacra ſupellex.

COLLEGIVM BITVRIGENSE.

GLISCENTE FLAMMA belli ciuilis, ad propulſandum commune periculum, in hac quoque vrbe, Chriſtiana pietas magis exarſit: et magna extitit concionatoris noſtri virtus in ſpe ciuium accendenda. Conſtituta Pœnitentium Sodalitas (beati Hieronymi patrocinium, & a veſtitu cœruleo vocabulum habet) tantos progreſſus effecit, vt iam centum ferme & viginti capita cenſeantur: edomando corpore, flagelliſque, ieiunijs, & aſperiore cilicio ſub obſequium animi redigēdo, omnes intenti. plures ab illis ſupplicationes in hac calamitate regni, placando numini, obitæ: cum vel in hieme media tunicati tantum, & nudis pedibus incederent, ſex ſeptem millium multitudine proſequente. magna perinde Sodalitatis fama, vt ſodalium religio: ſic vt affluentiū numero locus deſtinatus conuentibus, quia videba-

tur

tur anguſtior, cum laxiore fuerit mutandus. in eam porro, cum etiam adoleſcentes admitti cuperent, nec laborum duritati videretur ſatis apta ætas, nondum egreſſorum annum ſextumdecimum, ne voto fraudaretur, in aſsignata ſuperiore contignatione, obeundis pie precationibus, ſubeundiſque voluntarijs ſupplicijs, priuant vitam vel conceſsis voluptatibus: ita generoſi ſurculi, quandoque in frugiferam arborem inſerendi, feliciter ſuccreſcunt. ex ijs nonnulli auxere familias religioſorum: ſunt etiam qui noſtram affectāt. Atque hanc Pœnitentium Sodalitatem in perpurgandis animis noſtra opera vtentium ſacerdos inſtituit concionibus: idemque præſtitit in reliqua iuuentute, vt Bacchanalibus iuterdicerent ſibi plures ludorū laſciuia, quorū pretium magis fraus animorum, quam voluptas ſpectantium: tantaque hoc anno, quanta numquam alijs, confitentium multitudo. Heluetius miles parentibus hæreticis, cum altero milite altercatione congreſſus, certamine irarum pugnam conſeruit, ſed ſtratus vulnere, nihil habuit prius, quam vt accerſito vno e noſtris patefaceret arcana pectoris, merito hæc ſibi accidiſſe teſtificans, quod receſſiſſet a menſtrua ſacramentorum vſurpatione: tum venia petita ab interfectore, cumque illo reconciliatus dextera data, & cum Deo, Euchariſtia accepta, plenus ſpei ac fidei deceſsit. Pueri duo deprauati a magiſtro non recta ſen-

tiente,

tiente; noſtrorum admonitu ſe correxere, excuſati magis, quo ob ætatem improuidi.

VIRODVNENSE COLLEGIVM.

IN HOC METV motuque rerum, habitæ extra ordinem conciones, inſtitutæ ſupplicationes ſacræ, caſtigationes corporis ſuſceptæ. et reſpexiſſe Deum preces humilium, hoſtium patefactæ inſidiæ, et defenſa ciuitas ſæpius oſtendit. Epiſcopum habemus noſtri ordinis amantiſsimum, et cupidiſsimum ſalutis animarum: quam ad rem nobis vtitur adminiſtris. Cum e reliquijs ſancti Nicolai, qui nomen dedit noſtro templo, aliquid oblatum eſſet, thecam publice conſecrauit, grauemque habuit orationem, in qua & facundia inerat, & auctoritas dicentis, de veneratione & imitatione Sanctorum. Vnus e Tyronibus phthiſi laborans, breuem vitam cum æterna mutauit, die Paraſceues, cum duabus ante horis, cum alijs, vt fit, in cubiculo obambulans, prædixiſſet ſibi migrationem imminentem. Fraxinum, pagus eſt ſex milliaribus diſtans: ybi quidam e noſtris aliquot diebus verſatus, biſque concionatus die feſto, tantum excitauit in audientibus ardorem pietatis, vt certatim confluxerint ad liberandam conſcientiam onere peccatorem. reciſa odia quæ inueterauerant. reſtitutum æs alienum quod retinebatur mala fide,

factum vt rediret filius ad imperium patris, quod iamdiu detrectabat.

COLLEGIVM NIVERNENSE.

NON MAGNVS NVMERVS diuina myſteria in templo noſtro obeuntium, ſed ſiue vim ſpectes inueteratæ in hac vrbe conſuetudinis, quæ paulatim itur euulſum, ſiue rationem temporum, non pœnitendus. Spiritualibus exercitationibus imbuti duo: quorum alter capturus conſilium de genere vitæ, vocem audiuit Italico ſermone (fuerat enim olim in Italia educatus) religioſum inſtitutum ſuadentis. Neque caruit etiã illud admiratione, quod cum Pater Rector Diuione (abeſt tridui itinere) huc rediret, incidiſſetque in milites Societati infenſos, eoque ſuſpendium minitantes, vbi ad eorum Ducem ipſiuſque vxorem perductus eſt, ita flexit vtrumque prudentia orationis, vt exceptum comiter ſueta auxerint erga domeſticos liberalitate, et de ſuo, reddito viatico, quod ablatum à militibus reperiri non poterat (ea ſumma decem aureorum fuit) liberum, ac ne verbo quidem inclementiore appellatum, abire permiſerint. Optimi Antiſtitis erga nos beneuolentiam teſtatur frequens in ædem noſtrum (etiam ſi longule abeſt) aduentus, ſacri audiendi. Diſcipuli fere quadringenti, tributi in ſex claſſes, in quarum poſtrema

ele-

elementarij: et ad pietatem erudiuntur: nunc quidem, quod antea factũ erat a nemine, multi ambiunt noſtrum ordinem: et inuentus eſt adoleſcens, quem pernoctantem in eodem cubiculo duæ mulierculæ pellicere non potuerunt ſermone inceſto: quod flagitium aures aſpernarentur. Ceterum duo delata ad noſtros (etſi fuerunt eorum pars aliqua) his litteris inſerenda: quorum vnum altero admirabilius. Hoc primum. Quidam, ſeu inopia pecuniæ compulſus, ſeu ſolicitatus auaritia, eo amentiæ prouectus eſt, vt cupidine potiendi quod vellet, ſeſe dæmoni deuouere ſtatuerit: id cogitans, extra vrbem egreditur, in locum vacuũ vaſtumque: hic contenta voce diabolum compellat, eius aſpectum imperiumque expetere, ſyngrapham polliceri obſidem famulatus: adeſt ille, nec viſus, eumque prope de ſanitate ac mente deturbat: ſed hic quoque, vt alij ſæpe, malum, quod ſtulte optarat, tarda æſtimatione perſpexit, nec tamen ſera. cõfugiens ad Dei auxilium cacodæmonem excuſsit. Sequitur alterum maioris operis. Virgo quædam annos nata circiter viginti, nobilis matronæ ancilla, etſi cupida olim ſeruiẽdi Deo in virginum cœnobio, tamen ſemel anno eluere peccata confeſsione ſolebat: hæc cum ſacerdoti externo (quod poſtea extra confeſsionem cognitum eſt) ferijs Paſchalibus ſe aperit, ſciens volenſque, an quod interrogata non eſſet, reticet crimina nõnulla:

mox conſcia ſceleris ad ſacram Euchariſtiam accedere non audebat: ſed inuitatu ſociarum pudoris ambigua ac metus, tandem eo flexit, vt ne videretur contemptrix ſacrorum, ſacrilegium contempſerit: iudicium ſibi manducauit: nec abfuerunt indicia numinis irati: quaſi vrentem flammam demiſiſſet in ſtomachum, magno licet niſu non potuit euomere: et factũ agnoſcit ſcelus, nec tamen conuertitur ad pœnitentiam: quin potius: vt difficile eſt vbi ſemel prolapſus fueris, in lubrico conſiſtere: alterum addit. gemmas magni pretij, nec exigui ponderis pecuniam dominorum, furto auertit, iamque poſtpoſito omni timore diuini iuris atque humani, ad plura flagitia ſe accingit. ſed nullũ facinus diu occultum. in furto deprehenſa vim vitæ ſuæ afferre voluit. igitur incluſa in cubiculũ, vt ab ea mente deſiſteret: hoc magis incẽſa, impulſaque a dæmone ad Chriſtum abiurandum, quod etiam ſæpius fecerat: et pollicitus erat veterator effecturum omnia quæ vellet. ſubtractum erat e cubiculo omne inſtrumentum cædis: at illa certa moriendi, e reperta membrana funiculum ſibi contexuit, moxque adalligauit ad collum: irrito conatu: vbi hoc non ſucceſsit, in feruẽtem aquam immerſans caput, prohibita eſt domeſticorum accurſu. demum, crinibus vti voluit ad laqueum, diuina ſemper obſiſtente clementia, ne perageret incepta. iam pæne triduum inedia conſum-

pſerat,

pſerat, nec ſpes vlla eius ſalutis domi, cura tantum ſuberat. accerſuntur noſtri: hoc vltimum miſeræ remedium: nec adhibitum fruſtra: eorum alloquio factum eſt, vt ſe ægram animi mulier agnoſceret. tum, quæ magna pars eſt ſanitatis, vt ſanari vellet: poſtridie cum veniſſet ad templum, purgata ſanataque receſsit: nec tamen omnino finis certaminis. nocte quadam, ſecundum quietem, virum vidit forma oris et maieſtate venerabilem, cuius aſpectu recreata cum eſſet, dein excitata, conſpecto altero tætro ac deformi, cohorruit: et neſcio quomodo cum ad hunc conaretur ſe adiungere, vetuit alter, qui prior apparuerat: dein mente iniecta, vt ſe cruce conſignaret, immane monſtrum euanuit. narrauit hoc viſum honeſtæ mulieri, ſimulque oſtendit non integre confeſſam. ergo expiata rurſus cum eſſet, monenteque Epiſcopo percepiſſet hoſtiam ſalutarem, omni in poſterum ſpectro ac timore liberata eſt. et nunc diuina myſteria rite admodum et pie frequentat, illius beneficio, qui peccatum ſuſtinet, vt peccantem emendet.

AVGENSE COLLEGIVM.

AVDITORVM COETVM, qui in ſcholis ad ſexcentos excreuerat, menſe Iulio armorum ſtrepitus exterruit. ſed aucta pietatis ſtudia et religionis, indictis ſupplicationibus

ad templa, perque ipſa templa comprecationibus in vicem obitis, hoſti arcendo, tametſi ter bello appetita eſt vrbs, ter deditione pacem redemit: a Nauarro primum, mox a Meinæo Duce, poſtremo iterum a Nauarro: etſi ab hoc, non omnino Gallica fide: in dedita vrbe etſi crudelitas abfuit, non abfuit auaritia. Quo primũ tempore hoſtis aduẽtabat, duo viri nobiles ſeſe ad certamen prouocauerant: eos reconciliauit Pater Rector, cum pro concione legiſſet caput e concilio Tridentino de monomachiæ vſu interdicto. ceſſerunt interea noſtri e capta vrbe, et (quamquam vagans vbique miles, et ad prædam intentus) ſine infeſto cuiuſquam occurſu in Belgium venere. et aliquid in itinere, priuatis publiciſque cohortationibus, attulerunt opis, oppidis, ac præcipue primariæ vrbi quo diuerterant. tres in Collegio ſubſtitere ſolatio ciuium, & piorum adiumento. etſi, Meinæo Duce circumuallãte vrbem, portiſque inhærente, a præſidiarijs militibus, qui viderent multos e ciuibus ad eos confugere, & relinqui muros incuſtoditos, periculo non caruere. tandem tamen Nauarro iterũ imminente, de amicorum conſilio, relictus tantum ſocius vnus, qui ſeruaret Collegium: iſque adhuc cum rebus omnibus intactus fuit. Ceterum in altera Nauarri obſidione, incidit ſtratagema non reticendum. in vrbe reliqui erant milites non amplius triginta, exigui nnmero, ſed viuidi bello:
igitur

igitur, cum expectant auxilia, ne contemptu paucitatis acrius oppugnentur, diſponunt mulieres in mœnibus, lucentes armis, et cuſpidibus prælongis: ea præcipue parte, qua conſpiciantur hoſtibus, et præbeant ſpeciem virium auctarũ: qua facie cum perterruiſſent hoſtem, ipſi repente facta eruptione, magno impetu, & clamore ſublato, fugam ſtragemque late dedere. et deſita erat obſideri vrbs cuſtodibus vacua, niſi Nauarrus a transfuga edoctus de ſimulatione auxilij, repetiſſet oppugnationem. admouebat ſtimulos pudor, ne a mulieribus videretur eiectus.

PROVINCIA LVGDVNENSIS.

RECENSITI NOVEM Domicilijs ſocij centum nonaginta duo. In Collegio Lugdunenſi viginti quattuor: in Turnonenſi triginta vnus: in Billomenſi, Dolanoque viceni bini: in Camberienſi nouemdecim: in Auenionenſi, & Diuionenſi ſinguli viceni: in Anicienſi quindecim: in Probationis Domo ſeptemdecim. Deceſsit vnus. Admiſsi quattuor.

COLLEGIVM LVGDVNENSE.

IN BELLORVM METV, peſtis, quæ ſex ſeptemve annis ſuperioribus æſtate recruduerat, Dei benignitate, intermiſit hoc anno. Deſideratus tamen Petrus Natalis Pariſienſis, multarum linguarum, & politioris litteraturæ, & quod longe maximum eſt, probitatis & modeſtiæ laude præcellens. Nouitiatus, qui hactenus a Collegio, excepto quod cœnationem communem habebat, cetera ſeiunctus, Collegiorum contributione ægre ſuſtentabatur, nũc tandem, commodiſsimam domum Collegio continentem, certoſque reditus annuos habere cœpit, ſeorſum ab illo: pia liberalitate Aloi-

ſiæ

ſiæ De Anceſuna grauiſsimæ feminæ,atque optimæ: quæ Probationis Domum hoc anno fundauit in Auenionenſi agro: hac condicione, vt prementibus armis,Nouitiatum liceat ad tempus alio transferre, Superiorum arbitratu. Externa & publica pietatis officia multa & magna e Collegio manarunt. In tanta temporum iactatione exhibuerunt diſcipuli noſtri in ſpeciem fabulæ, e meditationibus Noſtri Patris Ignatij, deliberationem de duobus vexillis: pueris, quaſi Neophytis, inituris pugnam aduerſus diabolum, cilicia & flagella, victricia arma, a Chriſto porrigebantur. habuit ea res commendationem, multoſque Lugdunenſium excitauit ad ea ſibi comparanda. Paulo poſt, cũ grauiora vrbi totique regno metuerentur, & exorando numini, indiceretur quotidie ſtatio ad aliquod templum, ſacroſancta Euchariſtia in propatulo poſita: viſum eſt nouitio aliquo inuento diſcipulos noſtros adornare, ſi augeretur religio plebis. igitur, albati omnes, præeuntibus, qui ferret effigiem Crucifixi, & alijs, qui Chriſti cruciamentorum inſignia, prælucentes facibus, & plerique nudati pedes, aſperrimo licet tẽpore anni, litanijs recitandis, procedebant ad templum, vbi ſtata comprecatio: quod ſpectaculo primum ciuitati, deinde etiam exemplo fuit. ſecutæ ſunt alijs diebus, prælata ſimiliter Cruce, puræ virgines, candido amictu, et earum partem nudis plantis. his ſe adiunxerunt viduæ,
obuo-

obuolutis linteo capitibus, ne agnoſcerentur, tanto magis incenſa diſcipulorum æmulatio. ergo abiectis albis veſtibus, horrenti ſacco implicati, pars corpori innexum geſtare cilicium, quod ex humeris eminebat: pars manu ſcuticam; qua vbi ventum erat ad templum, ſe acerrime verberabant, vt ſanguis efflueret. commotus deinde Clerus, & populus vniuerſus: ibat quotidie clericorum aliquis, & religioſorum cœtus, grex virginum, & numerus puerorum: nec tenebant ſe domi matronæ nobiles, quæ et ipſæ velata facie, in vili veſte, cum cilicio interiore, votis ac ſupplicijs inibant templum: ſeparatoque loco virilis ac muliebris ſexus omnis ætas communicabat. hæc erant piacula pacis expoſcendæ: cum illuſtriſsimus Legatus in Galliam venit. eius aduentu quaſi ignis additus incendio. edixit ſtationem in noſtro templo ad dies quindecim, in eoque, ſemel atque iterum, effuſæ multitudini habitu pœnitentium ſacrum panem porrexit, iuxta dantis, atque accipientium, ingenti ſenſu pietatis. Ceterum confeſsiones fuere, in noſtro templo, toto anno, & ſingulis fere diebus, frequentiſsimæ. Mulieres aliquot turpi vitæ multam ſalutem dixere. ab hæreſi, a ſacrilego mercatu ſacerdotiorum, a magicis ſuperſtitionibus, reſipuere nonnulli. magna denique morum mutatio, & male partorum reſtitutio, facta eſt. Quod ſi cœnobia virginum commoda haberentur, non deeſſent

pluri-

plurimæ, quæ virginitatem ſuam in perpetuum Chriſto conſecrarent: ægroti, vincti, extremoque damnati ſupplicio, viſitati a noſtris, adiutique. de quibus cum dici permulta poſſent, hoc vnum ſelegimus, cauſa exempli. In celeberrima trapezitarum vrbis platea, quidam imprudenter diſploſo ſclopo, pium virum vulnerauit: coniectus inde in carcerem: ille lecto affixus: ſed poſt longam & difficilem curationem, morti proximus cum eſſet, hortatu vnius e noſtris, ereptum hominem e cuſtodia, ad ſeque adduci iuſſum, humaniſsime amplexatus, veniaque proſecutus, omni erroris culpa, pœnaque liberauit: a ſuiſque impetrauit, vt perpetua obliuione, illam, quæcumque eſſet, iniuria, delendam cenſerent. Denique hoc anno, in tanta temporum calamitate, porticus, in qua duæ ſunt contignationes, extructa: inferior, Collegij hortum attingit, qui propterea amplior effectus: ſuperior, in ſuburbanos agros & Rhodanum, pulcherrimum proſpectū habet.

COLLEGIVM TVRNONENSE.

TVRNONENSIS agri fructus, ſi ſuperiorem vbertatem ſpectes, valde mediocres, ſi triſtitiam præſentem temporum, ipſa etiam expectatione maiores. Beatæ Virginis Sodalitas hoc anno inſtituta, magno prouentu. Adoleſcētes bene multi, tum e caſtris Philoſophiæ, tum

tum ex alijs gymnaſijs, ad Societatem oculos adiecerunt. Domini Turnonij non tacenda in nos liberalitas, cum matris benignitate certauit.eius filiæ valetudo cum plane eſſet deplorata, feſtinus quidam ſacerdos noſter Anicium mittitur,ad ſacra, votaque de puella ægrotante, facienda. vix hic ingreſſus erat viam, cum ire cœpit melius illius valetudo: et paucis poſt diebus omnino confirmata eſt. multorum odia reſtincta.ad gratiam non pauci,& concordiam reuocati. mulier a marito capitali odio diſsidebat,vt neque cibum cum eo ſumere,neque eſſe apud eum vlla ratione vellet: eoque proceſſerat acerbitatis, vt mortem ſibi optandam putaret.hæc,vnius de noſtris vſa conſilio,in veterem gratiam redijt cum viro. quemdam præterea virum fortem ac potentem,qui acceptas iniurias vlciſci decreuerat, vnius e noſtris oratio ad mitiora conuertit. neque vero his agri Turnonenſis regionibus,noſtrorum labor atque induſtria, circumſcribi potuit. excurſum item in varia, atque longinqua oppida, maxima oppidanorum flagitatione, et fructu. Pauca de multis attexam. Duo militum Præfecti leui de cauſa graues inimicitias gerebant, nec niſi cæde expiandas: multique viri nobiles, qui ad eos placandos venerant, irriti diſceſſerant:at Deus qui diſponit omnia ſuauiter, iniecit ſacerdoti noſtro pacificationis rationem plane admirabilem: rem diuinam faciebat

ciebat vtroque præſente: cum eſſet conſummationi proximus, fratrem qui adminiſtrabat, admonet, vt graui oratione conuerſus ad audientes agat de concordia: hic genuflexus, efficaci ſermone, ad religionem, & ad metum accommodato, terruit ſimul iratos animos, et accendit: obteſtatur per Ieſu Chriſti præſentiam, per lacerum verberibus corpus, per ſpinis conſertum caput, per atrocia vulnera, plagaſque acerbiſsimas, vnde plus amoris manauit, quam ſanguinis: per ſupremum illum diem, quo ſeueriſsimus idem iudex diſcet vitas, et crimina ſingulorum, hortatur, obteſtaturque, vt iracundiam ponant: hæc dum frater intonat, ecce tibi a ſacerdote fulmen: vertit enim ſe ad populum, et venerandum Chriſti corpus attonitis oſtentans, ita perterrefecit illos aſpectu numinis et voce, vt tum quidem, in mutuos ruentes amplexus, breui oſculo, poſt modum, iiſdem veſcentes epulis, communi menſa, iram finierint. Sacerdos vnus in locis aliquot hæreſi infectis, octoginta amplius confeſsiones generales excepit, magna ex parte nobilium. Ceterum tanta opinio noſtrorum religionis, ac doctrinæ, vt hæreticorum Miniſtri, ſuis omnibus, noſtro aditu congreſſuque interdixerint: qui ſecus faxint, arcentur concilio impiorum: vt proſit etiam pœna, quibus culpa non obfuit.

COLLEGIVM BILLOMENSE.

VIS DIVINA in cuſtodienda ciuitate, conſeruandoque noſtro Collegio, iuxta apparuit. Ergo illa, in hoſtili incurſu libera, in peſtilentia (merito Deiparæ Lauretanæ, cui vota fecerant) tuta atque incolumis fuit. at Collegium in his armis belliſque, ſine vllo fere vectigali (egregia virorum totius Prouinciæ nobilium, illuſtris præcipue Comitis Pandani, & fratrum eius liberalitate) non ſolum ſuſtentatum, ſed ornatum etiam, atque auctum eſt. villa quoque, quæ pæne ſola nobis ſupererat, Marchionis Cauilliaci illuſtris feminæ auctoritate defenſa. nec omiſſa interea cura ſcholarum: apertæ ineunte Quadrageſima; diſcipulis circiter quingentis; ijque, præuio dialogo pereleganti, allecti ſplendore præmiorum, dono Pandanæ Comitis, feminæ illuſtris. aucta ciuium pietas in multitudine periculorum: declararunt ſupplicationes plurimæ, et quotidianæ preces, circum templa. e concionibus fructus qui ſolet. Eccleſiaſticis beneficijs inique poſſeſsis renuntiatum: æs alienum reſtitutum. in alia etiam vrbe, vbi noſter Quadrageſima concionabatur, aures præbitæ primarijs viris mulieribuſque, atque vnius cœnobij virginibus, de patratis criminibus in tota vita, confitentibus. a quibuſdam concubinæ exactæ. mo-

nachi

nachi aliquot, ad obedientiam Abbatis, vnde diſceſſerant, reducti. hæretici nonnulli bonum conſilium ceperunt: coniugati diſsidentes reconciliati. lis grauis inter primores compoſita. alia denique ad Dei gloriam effecta. Sed non eſt currendum per ſingula, in ijs, quæ æſtimata magis, quam audita delectant.

COLLEGIVM AVENONIENSE.

SCHOLASTICOS e ſelecta ac nobili iuuentute, frequentiores quam alias vmquam hoc anno habuimus: Qui ſanctiſsimam Dei matrem ſibi patronam adoptarunt, doctrina et morum probitate præcellunt: hi, ſuper alia pietatis officia, cuſtodias publicas perſæpe adiere, et poſt ſacrum factum ab ſacerdote vno eiuſdem Sodalitij, interdum concionem habuerunt, non ſine fructu. idem in noſodochio, et orphanotrophio, præſtitum: vbi etiam rudes, puerique orbi parentibus Chriſtianæ doctrinæ elementis expoliti, et cruſtulis allecti. Quidam e diſcipulorum numero hunc in cœtum admitti vehementer cupiebat: ſed cum differri placeret moderatoribus, ſiue moræ intolerantior, ſiue familiarium inductus conſilio, intepuit: et fortaſſe iſſet in alia omnia, niſi nocturnorum terrore ſomniorum, ſpectrorumque horribilium, excitatus eſſet. vbi redijt ad pulchrum propoſitum, fœdæ imagines abierunt.

Ex

Ex ea Sodalitate duo Capuccinis adſcripti: plures expetunt, vt in noſtrum ordinem admittantur. Sacramenta vſurpantium numerus auctus. confeſsiones generales auditæ quamplurimæ. nec abfuit fructus. in hac tempeſtate Gallicani regni, ſupplicatio a virginibus nudis pedibus obita, Crucis vexillum vna illarum præferente. neque aliæ virgines defuere: et viduæ etiam non paucæ, quæ cilicio zonaque rigidiore, humi cubatione, inedia, alijſque ſupplicijs afflixerunt corpus, numini propitiando. et e virginibus quidem vna cœnobium poſt diuturnam probationem ingreſſa. reſtitutiones aliquot factæ. diſsidia multa ſublata: atque in his nonnulla, quæ inteſtino morbo, familias vexabant. vir reconciliatus vxori, cui venenum parabat. alia item mulier marito: gener ſocrui, et cognatæ: frater fratri: nobilis vir alteri eadem claritudine: duo denique, qui duello conſtituerant finire diſcordiam. multi a turpi et flagitioſa vita abducti: atque in his, mulier, miraculo. habuit forte obuium hominem ignotum, qui cum obiectaret illi flagitium præteritum in confeſsione, admonuiſſetque, vt de eo confiteretur, niſi vellet detrudi in gehennam, ex oculis mirantis euanuit. Noſtrorum etiam induſtria factum eſt, vt complures feminæ, abiecto auro, gemmiſque inutilibus, honeſtum ornatum, quam ſplendidum vellent. duæ hæreticis deprauatæ ritibus, ad Catholicos, to-

tidem a gurgite libidinis ad portum coniugij traductæ. plurimi ab armis Eccleſiæ pernicioſis abſtracti. Archiepiſcopus noſter, cuius ſingulare ſtudium in rem Societatis, alijque Epiſcopi vicini, noſtrorum opera vtuntur. Valriacum oppidum eſt, hæreticorum locis vndique cinctum, in ditione Vaſionenſi, nouem circiter millibus Gallicanis Auenione diſtans: huc miſſi diebus Dominici Aduentus, maximique ieiunij, duo, concionibus habendis, audiendis confeſsionibus, imbuendis puerorum animis ad officia Chriſtiana, perutiles multis fuere. Similibus muneribus aliquot oppida percurſa: quãquam, eo tempore vix auderet quiſquam pedem ponere extra vrbem, cum hæreticorum furor auctus cæde Catholicorum principum, finitimam omnem regionem armis circumſonaret. hoc tempore multorum animi firmati imbellem fugam meditantes, admonitique, vt non ſolum vigilando, agendo, bene conſulendo, ſed votis etiam, et Chriſtianis ſupplicationibus rem proſpere ceſſuram exiſtimarent. e quadraginta militibus, qui in prœlio ceciderunt, vnus cum pro mortuo derelictus eſſet, atque exutus armis, adiutus a noſtris non ante expirauit, quam de totius vitæ criminibus confeſsionem peregiſſet. alter inſigni vir pietate, vt præſtantiori militiæ nomen daret, inſtitutus a noſtris, et in Capuccinorum præſidijs locatus eſt.

COLLEGIVM CAMBERIENSE.

SCHOLARVM anguſtiæ laxatæ: et erat diſcipulorum numerus auctus, niſi interſtrepuiſſet bellum, Sabaudienſium ſereniſsimo Duce, Geneuam, hæreticorum receptaculum, oppugnante. Diuina obeuntium myſteria frequentia eadem, quæ ſuperioribus annis: conciones audientium, quanta eſſe poteſt, pro captu templi. Cœpta eſt explicari doctrina Chriſtiana exeunte Nouembri, rei nouitate perinde, vt vtilitate quamplurimos conciente. Carceri, valetudinarioque, opera præbita diligenter, valetudinario magis: ita enim erat opus in multitudine moribundorum, & languentium: quippe frumenti inopia in has regiones late dominata complures in valetudinarium compulerat, effigies, aut vmbras potius, mortuorum ſpirantium. neque enim vna fuerunt huic populo irati numinis argumenta. excepit fames miſeriarum vltima, et, quæ cum illa plerumque, pernicioſa contagio: multa corpora mortalium abſumpta: quæ cum inhumata paſsim iacerent per agros, lupos primum exatiauerunt, dein, guſtata humana carne, accenderunt in homines, vt nonnumquam relictis ouibus, paſtorem inuaſerint, laniarintque. Ceterum, parum abfuit quin Collegij reditus, vt in tali tempeſtate, imminuerentur: erant enim

qui

qui prætexentes mandatum Ducis, decimas,et tributa imperarent : ſed is, cum conuentus eſſet a Patre Rectore,oſtendit ſibi placere, vt vacationem ciuilis cenſus, omniumque rerum immunitatem haberemus : idem, cum medio Nouembri ad nos veniſſet, interfuturus ſacro, expoſuit cupere ſe mitti aliquos e noſtris in loca nonnulla, quæ, multos iam annos, propter vicinitatem Geneuæ, hæreſis occupaſſet : quin et in ſermone pollicitus additurum aliquid magnitudini ac dignitati noſtræ ædis, quo amplior, ſit et accõmodatior noſtris vſibus futura.

COLLEGIVM DOLANVM.

IN TEMPLO maximo, ijs diebus, qui anniuerſariam Chriſti Domini naſcentis, morientis, reuiuiſcentiſque memoriam præcurrunt, conciones habitæ ab vno, magno concurſu fructuque. eodem tempore, temploque, pomeridianis horis ab altero, edocti ſacerdotes de officijs Chriſtianis. confeſsiones auditæ permultæ. complures a pellicum conſuetudine, aliqui ab iniuſta pecuniæ poſſeſsione, nonnulli,qui ſtudiorum cauſa huc venerant,ab hæreſi abducti.nec eſt prætermittenda pietas aliquot feminarum, quam omni genere officioſæ caritatis oſtendunt. ſuper cetera illud proprium habent, vt alias excitent ad abluendas maculas peccatorum, in noſtro templo. Anti-

ſtita quædam vnius cœnobij apud nos confeſſa, orauit obnixe, vt mitteretur aliquis ad ſuas audiendas: et aberat cœnobium ab vrbe non parum: paucis poſt diebus iuit vnus, et opportunis cohortationibus edocuit virgines, vt in diuino famulatu angelicos ſpiritus æmulentur. Diſcipulorum quoque noſtrorum magna erga Deum, ſacroſque ritus obſeruantia: ex ijs ſegregata Congregatio beatæ Virginis: nec deſunt, qui noſtrum inſtitutum, ſi per ætatem ac Superiores liceret, auidiſsime cõplecterentur: additus ſtimulus, vbi ſe ad Romanam aggregatos eſſe intellexerũt. magnus etiam profectus in litteris: excitantur in concertationibus et declamationibus publicis, præſentia ſtudioque ciuium Dolanorum. Tres e noſtris in diuerſas Burgundiæ ciuitates Quadrageſima profecti. ex ijs vnus, priuatis et familiaribus colloquijs, primarios cuiuſdam vrbis ad concordiam reuocauit. choreas, quæ ducebantur frequentiſsime, ſuſtulit. explicauit ter hebdomada, quæ pertinent ad informandam conſcientiam. multorum confeſsiones generales accepit. Sodalitium pæne collapſum reſtituit: perſuaſitque ſodalibus menſtruam ſacramentorum perceptionem. ab altero, multorum, in Deum ac Cælites, licentia linguæ coercita. expoſita doctrina Chriſtiana. adducti homines vt excitarent ſacellum beato Roccho. diſsidentes reconciliati. ab eodem, cum in alterum oppidum

pidum vocatus eſſet remotiſsimum, conſtabilitum Sodalitium, iampridem inchoatum in honorem nominis Ieſu : et aures datæ oppidanis fere omnibus confitentibus peccata totius vitæ. Tertius ierat in montana, vt ad varia oppida, animum atque iter intenderet. conciones frequentes. ter ſingulis hebdomadis inſtituti rudiores Catechiſmo: ad quem pueri munuſculis, adulti voluptate, quam percipiebant ex puerorum diligentia, grandæui et prouecti diſcendi cupidine, alliciebantur. pomeridianas horas confitentibus dabat. bis, quotquot ibant hebdomadis, ſacerdotes inſtruebat. Sed et conſtituta pax inter eos, e quibus vnus ita peruicax iræ, vt aliorum fruſtra fuiſſet omnis labor in eo mitigando. reuocatus vſus ter quotidie ſalutandæ Deiparæ ad pulſum æris campani: itemque vigilem ſeruandi ignem ante ſanctiſſimum Chriſti corpus: qui olim aboleuerant. Reuocatus idem ſacerdos ſub ferias Pentecoſtes auxit numerum pœnitentium. mulier conſcientiæ ſtimulos, quos aquæ potu eſuque panis ſimplicis retundere non poterat, confeſsione euellit. eodem altera beneficio a diaboli inſidijs, vt ſe in profluentem conijceret ſuadentis, liberata. Sublatæ choreæ anniuerſariæ e veſtibulo templi, vanaque conſuetudo, qua equus inſtratus floribus, candelaſque accenſas geſtans in fronte, inibat templum, ducente anicula, omni populo proſequente. ad-

eo manebant adhuc veſtigia vetuſtæ ſuperſtitionis.

COLLEGIVM ANICIENSE.

VT IN HAC difficultate rerum et temporum, Anicienſis Collegij initia non improſpera fuere. Conciones in templo beatiſsimæ Virginis, noſtroque in ſacello, quam vtiliſſimæ: adducti ciues, vt quantum in ipſis eſt, exequentes cuncta humanis conſilijs, ſpem tamen omnem ac ſubſidium in Dei clementia, frequentique vſu ſacramentorum, haberent. mira erga nos illorum beneuolentia, lætitia vero, ſuſceptum propter ſuperiore anno Collegium, tanta, vt eam crudam veluti ac recentem nondum concoxerint: eam ſperant, vbi res publicæ melius fluxerint, auctum iri. promouent interea, pro viribus, cultu ſumptuque rem noſtram domeſticam, et ſupellectilem ſacram. nec minus ipſorum incrementum pietatis: ad ſacrum conuiuium, in ferijs natalitijs, acceſſere circiter ſexcenti: atque ex ijs aliquot primores vrbis. tenera ætas imbuta initijs diſciplinæ Chriſtianæ, tanta mortalium voluptate, et, vt fit in rebus nouis, admiratione, vt dictitarent vulgo, pueros puellaſque ſeptennes doctiores eſſe, quam homines magno natu. Ceterum, cum in hoc tumultu adirentur a ſupplicantibus templa Euchariſtia propoſita, eaque ma-

magnifice adornarentur augendæ religioni, nos etiam noſtrum ſacellum, pro noſtra tenuitate, inſtruximus, non eleganter illud quidem, ſed tamen, vt appareret mundities, et cura: et viderunt illud ciues, et magno etiam ſtudio viſendum putarunt. Iam quotidiana munia Societatis, et pæne vſu contrita, ſileantur. Quid enim dicam noui, ſi memorem non raro itum in noſocomium, publicaſque cuſtodias? ibidem conciones, non fuiſſe inutiles? non paucos ab ineunte ætate repetita confeſsione expiatos? pecuniam non leuem ad dominos rediſſe? mulieres a turpi quæſtu ad pudorem & ſanctimoniam reuocatas? Sunt tamen, quæ ſine piaculo taceri non poſſunt. Confeſsio ægroto cuidam, & corpori medicinam fecit, & animo. Alius, cum collo ſubnexuiſſet quædam ad minuendos ardores febrium, plus adiumenti reperit in particula cerea agni cæleſtis. idem remedium mulier in pariendi doloribus experta. hæretici aliquot ad rectam ſententiam reducti. impij impudicique libri nonnulli, ignibus addicti. Duo, qui parentes pulſauerant, ſcelus agnouerunt: noſtris præſentibus, veniamque petierunt genuflexi. fiduciaria ſacerdotia reiecta. energumena liberata. ab ignauo otio luſuque aleatores retracti. et quamquam in armorum ſtrepitu bellique, intutum erat adire ſuburbia, tamen in oppido quodam, per quadraginta dies ſollemnis ieiunij, vnius e noſtris opera quotidie concio-

nantis præclare ſtetit. monialibus, ſacerdotibuſque confitentibus aures præbitæ. piæ ſupplicationes indictæ. reſtitutiones factæ. hæreticorum libri exuſti. Atque hæc de vrbanis rebus, externiſque. Auditores habuimus fere quingentos, in ſex claſsibus, præter eos qui docentur de finibus bonorum malorumque, in religione Chriſtiana: numerus non paruus, ſi ſpectentur tempora, ſed fructus, quam pro numero maior. ſpectaculis deleniti quidam, qui erant infenſi. vario epigrammate, Epiſcopus Anicienſium, cum ſcholas inuiſeret, exceptus. Ceterum, in preces intenta ciuitate, noſtrorum quoque diſcipulorum pietas enituit. Super veſpertinas preces quotidianas in noſtro ſacello, ſemel atque iterum, albati, et nudati pedes, proceſſerunt cum facibus, ſacriſque monumentis redemptionis noſtræ, tota ciuitate ſpectante, nec temperante a lacrimis. tantus eſt ardor tenerioris ætatis. non ſemel procacium mulierculalarum choros et circulos diſturbauerunt irruptione facta, vt turpes cantilenæ in litanias ſacras verterentur. e multis qui ad ineundam Societatem animum appulere, vnus admiſſus: prudentius enim viſum eſt matura deliberatione vti, ne aut illos poſtea pœniteat conſilij, aut noſtros celeritatis.

PRO-

PROVINCIA AQVITANIA.

CONTINVIT SOCIOS centum et viginti: in Collegio Burdigalenſi quinquaginta duos: in Toloſano triginta octo: in Ruthenenſi et Auſcitana Miſsione quinos denos: Cooptati nouem.

COLLEGIVM BVRDIGALENSE.

INSTAVRATIO templi auxerat numerum pœnitentium: ſed exortæ tempeſtati cedentes, ex vrbe diſceſsimus. qua de re prius quam dico, ne excidant e memoria, duo breuiter perſtringam. Burdigalam quidam appulerat, nauemque egreſſus, quod eſſet ante lucem, expectabat dum portæ aperirentur: ecce inambulanti in pomœrio, homo ignotus in longo pallio, pecuniam ſponte offert ingentem: miratus ille non quæſitam largitatem, tantoque magis dolum ſuſpectans, recuſat: verebatur dæmonem: et certe ita erat: ab eoque ſublimi raptu intra vrbem in noſocomij aream deportatur: hic præter expectationem repertus, rogatuſque quomodo intro penetraſſet pedem ianuis clauſis, quod factum erat, expoſuit: dein accerſito ſacerdoti vni e noſtris narrauit, ſe, cum ini

inicum

micum haberet, ſæpeque ſolicitaretur ad pacem, hac execratione vti ſolitum, Tum tu me diabole, quocumque voles, aſporta: nunc videlicet, pace facta, id ſibi accidiſſe. admonuit hoc exemplum multos, vt abſtineant a ſimili execratione. Scotus adoleſcens ex frequentatione noſtrarum ſcholarum, hæreſim, in qua erat innutritus, abiecerat: graue id popularibus ſuis, dæmonique: et auertere conati, illi verbis, negataque pecunia: hic rebus, oblataque noctu ſpecie horribili decrepiti ſenis, ac niſi deſiſteret ſententia, malum minantis: ſed et illos conſtantia vicit, et hunc effugauit ſalutiferæ ſigno Crucis obiecto. Nunc pauca de migratione. Noſtri quamdiu fuere Burdigalæ, etſi communiter accepti, vtileſque, tamen, vt quidam erant in vrbe natura diſsimiles, ac diuerſa volentes, non carebant obtrectatoribus: ſed hi oſtendebant magis nocendi voluntatem, quam nocebant: hic tamen annus, aditum, qua nocerent, aperuit, cum ſublatos habuere ſpiritus poſt cædem Guiſiorum: qua videlicet nuntiata, non occultare hæretici gaudium ſuum: partim Ieſuitas miſeros, omnique orbatos præſidio, irridere, ſpecie miſerantium. Quis enim iam vobis in vrbe tutus locus? ita ne per contumeliam eijciemini? Partim conuiciari, et minari aperte: hi exterminandos dictitabant, agendos in patibulum, proijciendos in flumen, igni cremandos: et erant qui perſancte deierarent, non

ante

ante mortis limen adituros, quam ſenum denumve Ieſuitarum ſanguine ſæuum odium expleſſent : nec parcebant interim Catholicis ad templum noſtrum aduentantibus: quaſi hac nota a regijs (ſic enim appellari volebant partem alteram) diſtinguerentur. quin etiam hoc additum ad eos perterrefaciendos,vt in eorum foribus,incipientes a noſtris,creta minioue effingerent,et (ſi poſtea deleri contingeret) ferro inſculperent, patibula: quaſi ijs iam fuiſſemus omnes addicti. illud omnino maturandum,vt quandoquidem iam res Catholica claudicaret, rueret omnino, Ieſuitis eiectis, altero pede amiſſo. et noſter diſceſſus multis ante menſibus, voto factum præueniente, an inſita hominibus libidine alendi de induſtria rumores, aliquorum ſermonibus dilatus eſt: quem vbi audiuit hæreticus ægrotans in lecto, illico in medium cubiculum exilijt, vt oſtenderet perceptum gaudium ex nuntio, non ſolum animo gratum, ſalubre etiam corpori fuiſſe. at multis e locis ad Patrem Rectorem litteræ,quibus viri principes, vt ad ſe e noſtris bini,terni, quaterni,et ad nonneminē etiam viceni mitterentur,effuſis precibus orabant. Ceterum non eſt dubium hominibus viui pectoris, quin vera cauſa cur eijceremur, eſſet religio defenſa, reliqua obtenderentur. et iacta ſunt prius aliqua ſemina, in hunc ferme modum. Propinquæ erant feriæ beatæ Magdalenæ, quibus anniuer-

ſario

ſario ritu exponunt diſcipuli noſtri ſcriptiones in publico, ſpecimen pietatis ac doctrinæ, quæ ab omnibus legantur. viſum eſt hoc anno augere celebritatem, ad vrendam hæreticorum inuidiam, et Catholicos confirmandos. verum ne quis nobis obiectaret calumniam ingenij, Pater Rector pridie eius diei, Proregem Senatumque conueniens, certiores facit, cautum ſtudioſe a præceptoribus, ne quid proferretur a diſcipulis, quod in regem regiosve, quamuis callida interpretatione, flecti poſſet: iaci tantum in hæreticos communia. exorat proinde, vt eorum poteſtate id fieri liceat, neque id cuiquam fraudi eſſet. igitur ipſo die, circumueſtitur area peripetaſmatis, peripetaſmata membranis, in quibus argumenta varia, et ingenij monumenta, ænigmata, theſes, emblemata, aliaque, e quibus alumnum Societatis agnoſcas. accurrit multitudo viſendi ſtudio, pars etiam carpendi. boni admirari, atque extollere induſtriam adoleſcentium: crabrones alij circumire, et figere aculeos. enimuero ferendum non videbatur, Luthero, Caluino, Serueto, et alijs hæreſum fabris ex officina inferorum, quorum imagines illic depictæ, inuri notas: et muſſantes conquerebantur. At Catholici mirabantur, iuxtaque gaudebant: tum conuerſi ad hæreticos. Nihil agitis aduerſum Ieſuitas. gliſcit in periculis eorum dignatio, et vt palma, nituntur contra pondus: vel a-

lumni

lumni eorum diſciplinæ prouocant veſtros magiſtros. Hoc altius penetrabat aduerſariorum animos, quia vera ferebantur. ipſi etiam adoleſcentuli, ſi quos agnouiſſent ſeminatores zizaniorum (patebat id temporis liber aditus ad vrbem) digito monſtrabant, eoſque ad diſputationem, ac ſolutionem ænigmatum inuitantes, manu ac vi pertrahentes, irridebant illorum ſilentium, indicem imperitiæ, teſtem impietatis. eo magis tacita odia, et erumpere geſtientia, coquebant intus aliquid, cuius non ante tonitru audiretur, quam exiſteret flamma. aditi ſunt, tentatique, Prorex et Senatus. nec difficile fuit trahere in partes, ſeu pretio, ſeu ambitione corruptos. prætendebatur quippe nomen regis: et duodecim aureorum millia dicuntur impenſa. decretum eſt de nobis expellendis. ceterum, vt iure agere viderentur, tria calumniabantur: primo, quod pro ſuggeſtu regem non laudaſſemus: dein, quod vitantes hoc crimen, non haberemus amplius cōciones publicas, ne Politici (Politicos vocant quorum ſpecie fulciendi regni, religio vacillat) offenderentur: poſtremo, quod nos ſi in vrbe adeſſemus, obuiam iretur multorum conſilijs, quos pernicioſa libido teneret alienæ potentiæ gratificari. ſed tamen non ſatis cauſæ ad eijciendum. intendatur aliquod crimen: eliciatur quæ ſit Ieſuitarum de rege, aſſeclisque ſententia. ſubodorari non erit admodum difficile,

et

et multorum credulitas noſtram opinionem af firmabit. Hæc illi, nihil magis metuentes, quam ne hæretici viderentur. Quibus ita compoſitis, multorum auribus oculiſque obſeruamur curioſius, ſi quid diceremus, faceremuſve, e quo arcana noſtra perſpicere, et ſpeculari ſenſus abditos poſſent. cum eſſent tecta omnia, et aduerſum inſidias clauſa, quia palam effici nihil poterat, dolum machinantur. Vnus e Seuiris (publicus magiſtratus eſt, Iuratos appellant) in frequenti templo noſtro ad confeſsionem accedit: nec multo poſt, quaſi non accepta abſolutione, diſcedit indignanti ſimilis, et minanti: tum recta ad Proregem, ac principes Senatus: hic plenus iræ, ſeu recte ſimulans, incertum an apud conſcios fabulæ inceptæ, de negata abſolutione conqueritur, quod a rege eſſet. omnes a prandio ad Archiepiſcopum, imagine cognitionis: eo Rector Collegij, et ſacerdos de quo erat quæſtio, accerſitur, cum vterque neſciret, quid cauſæ eſſet: ſed vt venere, ſtatim pernotuit. Seuir enim ille, ſermone vultuque compoſito, quod ij faciunt, quibus malum potius ſub lingua, quam in lingua, ſacerdotem noſtrum criminari, vt vno videlicet accuſato, ſocios omnes inuiſos, deinde etiam ſuſpectos reddat. tria verbo obijciebantur, magna ad ſpeciem inuidia, nulla culpa: denegata abſolutio, quod regiarum partium eſſet: offenſi multorum oculi animique, in pleno templo: non habita

bita ratio exiſtimationis publici magiſtratus. hæc ille ſuo more exaggerabat: namque et facundia homini aderat (quam et e noſtris, gratus diſcipulus,olim didicerat) et accipiebatur pronis auribus fauentium incepto. Ad ea noſter paucis. Multos ſibi auditos eo die, nec facile omnium meminiſſe:tum,ſacramentum cõfeſsionis diuinum eſſe, atque arcanum: in quo quod quiſque audiuit, ignoret tamen neceſſe eſt: habitum ſemper a ſe, atque habendum, honorem debitum magiſtratibus. Quod lenire debuit reſponſum,tamquam præciſa ſpe perſequendi criminis, exulceratum animum magis accendit. poſtero die cum res relata eſſet ad Senatum, in conſilio prudentium, veritas non indiguit patrocinio. iactata magis accuſatione, quam peracta, accuſator irriſui fuit. At ille non tolerans infamiæ, peruolat ad regem, ſuam cauſam agit,aufert decretum,vt quicumque concionantur poſthac, regis defendant factum, eumque populo commendent. commune videbatur decretum, ſed erat peculiare in noſtros. nec dubium, quin ſi haberent concionem,aut obtemperatio eſſet obnoxia, aut prætermiſsio videretur ſuperba. Sed iam ante, hoc periculum proſpicientes,ſibi ſilentium indixerant: quod cum lacerarent hæretici, Catholici ægreferrent,ipſe etiam magiſtratus iuberet ſolui, prolata eſt publice e volumine noſtrarum legum, lex illa, qua ſi intercedat bel-

lum

lum inter principes Chriſtianos, in alterutram partem propenſiores eſſe prohibemur. quo reſponſo retuſa lingua maleuolorum, ſed non repreſſa violentia. minantur, niſi faciamus imperata, exturbaturos Collegio, boniſque. at noſtri, magno animo, immenſum patere orbem, cunctaque bona in Deo ſita: proinde omnia potius, et vitam ipſam, quam quicquam non ſalua conſcientia faciant, eſſe amiſſuros. vbi minæ irritæ, deſcenditur ad blanditias: ſubornantur amici, vt id noſtris perſuadeant: verum his quoque frigentibus, vltimum telum inſonuit. die Sabbati venit in Collegium iudex rerum priuatarum, et regis nomine edicit, vt, quoniam Collegium eſſet prætorio proximum, ad multaque vtile his temporibus regi, intra viginti quattuor horas vrbe cederemus, eſſemuſque in loco noſtro ad Sancti Macharij, qui ab vrbe diſtat viginti millibus: non niſi confecto bello redituri. vt edictum percrebuit, volant, e vicinis oppidis, Dynaſtarum litteræ noſtros repentium: et domum noſtram Catholici, cum multis lacrimis et lamentatione flebili: diceres certamen mæroris ediđiſſe. Magiſtratus cum cernerent tantam vim ciuium ex omnibus ordinibus in Collegio, verentes ne quid conciretur turbæ, ſub noctem et ipſi veniunt, imperantes vt faceſſeret vnuſquiſque: ſed auribus ſurdis: ni noſtri, quod poteſtate illi non poterant, caritate obtinuiſſent. diſcipulorum

tamen

tamen ardor non ita facile repreſſus: quin et præſentibus Seuiris, ſcamna euellunt, effringuntque, quod negarent permiſſuros, vt in aliorum vſum verterentur: relatum ad Proregem: extemplo armati mittuntur, diſponunturque circa domum ea nocte, ac die conſequenti, prohibendo ingreſſu. ea res noſtris, vacuo iam magis tempore, locoque ab interuentoribus, parando diſceſſu, colligendiſque ſarcinulis, non inutilis fuit. etſi non defuerunt qui liberaliter obtulerunt viaticum, veſtemque communem, vt in vulgari habitu fallerentur hæretici ad excipiendum attēti. cum diſcederemus, optimus quiſque amicorum, et plerique ciues, vt quique amantiores religionis, ruere in noſtrum complexum, doloremque gemitu teſtari: irridentibus contra quibuſdam, et offerentibus ſudaria, quis lacrimæ abſtergerentur. O ignaræ mentes hominum, et neſciæ viciſsitudinis rerum. Quo die nos Regis edicto Burdigala pellebamur, eo die Rex ipſe, qui edixerat, e vita depulſus eſt. Ceterum, ne nos amici proſequerētur, vnus e Seuiris, cum ſtaret ad portam vrbis, prohibuit. at nos compingebamur ad Sancti Macharij, vt ſimul opprimeremur omnes (ſeu hoc ſuſpicio multorum, ſeu fama tulit) niſi antea oppreſſus ille vnus fuiſſet. hoc porro nuntiatum cum eſſet, afflixit quidem animos aduerſariorum, ſed audito aduentare exercitum, rem noſtram Machărienſem fere euertit.

V igitur

igitur qui commigrarant Burdigala, ante expectatum abiere, ne in hæreticorum poteſtate eſſent: idemque parantibus reliquis (ij erant ſeptem, incolæ loci) tãta eſt mutatio facta animorum in oppido, vt quibus antea nõ nimis æquis vtebamur, vltro ad nos venerint, atque ipſe etiam Præſes, pollicentes publica fide, nihil mali nobis, ipſis viuentibus, fore: neque enim cuiquam noſtrum, niſi per eorum, ſanguinem hauriendum. At Burdigalæ relictum ita triſte deſiderium ſedulitatis noſtræ, vt multi conquirentes ſolatia, ad videndum deſertum templum, gymnaſiumque non aliter irent, quam ſolebant olim ad audiendum: nonnulli ab vrbe diſceſſerint, quod eorum aſpectum exulcerantem animos ferre non poſſent. Ita ne, tanto labore ſumptuque, Ieſuitæ ædem ſuam Collegiumque hæreticis inſtaurabant? Iis videlicet vocibus liberi aliquorum queſtus audiebantur. Sed amorem illorum, in nos etiam abſentes, experti duo e noſtris, qui cum e Braſilia reuerterentur in Hiſpaniam, a prædonibus capti ſpoliatique in Burdigalenſium portum appulerant, ignari noſtri diſceſſus: ita enim benigne ac liberaliter excepti ſunt a Catholicis, certatim munera, veſtem, viaticum, ceteraque neceſſaria, conferentibus, vt collaudata eorum humanitate, quamplurima fuerint remittenda.

PETRO-

PETROCORIENSIS, ET CAMARſacenſis Miſsiones.

PETROCORII ſunt in hac prouincia vetuſti ac nobiles: miſsis iam diu litteris noſtros expetierant: et duplicauerant preces; cum egrederemur Burdigala: ita ſatisfactum voto illorum. huc venerunt viginti, magna gratulatione ciuitatis, deductique incredibili frequentia omnium ordinum in Collegium publicum: omniaque abunde ſtatim ſubminiſtrata. ægre id fuit vicinis Burdigalenſibus hæreſi infectis: et audiuntur minæ: ſed eas Petrocorij, præ ſtudio Catholicæ religionis, atque erga noſtros beneuolentia, contemnunt: nobiſque adornant amplum Collegium ac ſtabile, vbi tuto eſſe poſsimus. quo cura induſtriaque maiore reſpondemus illorum beneficio et voluntati. Conciones, tribus continuis menſibus, ad diuturnam explendam ſitim, accurrente populo, frequentiſsimæ. confeſsiones multorum hominum millium, vniuerſæ vitæ fere omnes. reſtitutus priſcus mos audiendi ſacri, et exterminatus qui irrepſerat impia verba iaciendi in Deum. et nunc dies feſti, ſtatæque cærimoniæ, coluntur ita pie, ac ſancte, vt exuto fere irreligioſo omni ritu, quaſi ad meſſem ierint, non ad ſementem faciẽdam, legentes fructum, grates agerent Deo, per quem factum erat, vt

meterent, quod non ſeminarant. Gratum etiam præbuere miraculum diſcipuli, cum edicto Iubileo Pontificio, indictiſque publicis ſupplicationibus pacis expoſcendæ, in multitudine inundante ad ſacellum noſtrum, conſpiciebantur angelica ſpecie Chriſti Crucis inſignia præferentes, et pulcherrima ſymphonia opponentes preces diuino numini: vt quam veniam iure præſentis defenſionis non poſſent, patrocinio antiquæ miſerationis obtinerent.

CAMARSACVM oppidum eſt viri nobilis, qui e noſtris Burdigala diſcedentibus, duos impetrauit, non ſine eius voluptate, et vtilitate oppidanorum. namque (quod antea religioni vix erat) peierare, ſceleſta lingua Deum violare, non habere ſacris, negotioſiſque diebus diſcriminata opera, deſiere. nobiles nonnulli in fide firmati. perſuaſum tribus, vt deſignarent domi ſacrarium fundendis quotidie precibus, reique diuinæ audiendæ. frequens ſacramentorum vſurpatio introducta. cum duabus familijs pari nobilitate, iam triennium diſsidentibus, noſtrorum rogatu monituque, effectum, vt poſito diuturno odio in gratiam redirent: et quoniam parum differt a ſimultate tacita concordia, placuit, vt matres familias ſe viciſsim inuiſerent domi, æqua lætitia ipſarum, et totius oppidi gratulatione. duæ etiam mulieres non ignobiles reconciliatæ: hoc profecto iucundius, quod earum vna,

in templo ab altera veniam petijt, multis inſpectantibus, non ignara in ſimili certamine eſſe optimum vinci.

MISSIO ALBATERRANA.

APPENDICVLA Burdigalenſis eiectionis, Albaterrana etiam Miſsio fuit: atque huc tandem, longo circumitu, hæreticis obſidentibus militarem viam, difficile emerſerunt duo, et cupidiſsime accepti. plerumque oppidi eſt hæreſi corruptum. hoc magis noſtri vires intendere, diuiſis inter ſe officijs. concionatorem alter egit, alter Catechiſtam: neutrius labore pœnitendo. Vnus e Toparchis, diſsimulato intellectu, an quod ita putaret poſtulare rationem rei familiaris, apud ſe hæreticum habebat: admonet noſter, quale portentum aleret domi, neque id vtile eſſe. at ille, Reduc ſi potes errãtem in viam: id erit honeſtius, quam eiectum. Itur ad hominem, iacebat in lecto aſpectu horridus, facie ſqualidus, contractis neruis, oculis introrſum actis: diceres deformitatem corporis cum turpitudine certare ingenij, dignumque animo domicilium inuentum: erat hic multa claritudine generis (quo vſus inſtrumento ad multa facinora) ſed eam fœditate hæreſeos obſcurabat; ducebat familiam inter Caluiniſtas, et habebat aliquot adoleſcentes, quos infatuaret docendo. Leniter

primo noſter, et molli brachio, ſed premebat tamen hæreticum: ille cedebat, paulatim ſeſe in arctum includens: tandem eo redactus eſt, vnde effugere non poſſet. quo animaduerſo, exclamat furenti ſimilis, allatrare Toparcham ipſum, noſtros lacerare, in circumſtantes conuicia iacere ore ſpumanti: cum obloquerentur noſtri, obſtrepere, obſtruere aures, interfari aliquid ipſe contumelioſis vocibus, non tam vt daret reſponſum, quam vt ipſi ne exaudirentur: nec dubium fuit, quin arguerit timorem detrectatio certaminis: a quo diſceſsit noſter, clara quidem fama, ſed ſterili victoria. igitur ad alios iuuandos opera conuerſa. Confirmati aliquot vacillantes: ruentes erecti: docti alij veritatem: ſed pudore quodam, ſeu maturitate deliberationis, errorem abijcere diſtulerunt: ſpes eſt, vt quo ſegnius incipiũt, conſtantius perſequantur: etenim noſtri operis ſcopulus et mora, Toparchæ mater fuit: hæc e popularibus ſuis alios pudore et probris, multos laude et hortatu accendens, minis et pollicitationibus, qua auctoritate, qua efficacitate orationis, noſtrorum conatus interuertere, quos numquam nec viſu, nec congreſſu dignata eſt. Sub huius vmbra hæretici in his partibus latent, eique ſe præbet filius, veneratione magis materni nominis, quam voluntate, obſequentem. in his tamen difficultatibus, noſtri quantum potuerunt, viſitandis ægrotis, adiu-

tandis

tandis morientibus, audiendis valentibus, cæleſtique pane reficiendis, Societatis munia non intermiſerunt. et ingenti ſolatio fuit, vir magna pietate et prudentia excellens, Abbas, ex iniqua nobis parente, cariſsimus filius, quo fere vno ſtant Albaterræ Eccleſiaſtici, laicique, qui fidem Catholicam tuentur. neque id ignarum hæreticis, eius agros prædiaque bello inuadentibus, et vaſtantibus ferro. Ceterum, opera egregie poſita pueritiæ inſtituendæ. res noua initio viſa, et pro habitu animi vnicuique accepta: laudare Catholici, et admirari: calumniari improbi, et obterere. ter hebdomada explicabatur doctrina Chriſtiana, mittebatur per vrbem æditiuus, qui ære tinnulo diei horæque admoneret: certum in locum fiebat ingens puerorum concurſus, tanto ardore diſcendi, vt quaſi diuinarent breuem noſtram commorationem, breui omnia perceperint: ipſi interea enarrare domi, quæ audierant: domeſticos inſtruere; iuſiurandum neque vſurpare, neque pati poſſe: ſi quem audirent negligentem numinis, deterrere grauitate ſupplicij obiecta: libros quoſcumque conquiſiſſent, auctores improbitatis, comburendos afferre. frequens illis fuit cum hæreticorum liberis de rebus fidei concertatio: vt dolerent parentes, noſtroſque ſocios non tam lacerarent ex occulto, quam contumelia, palam, iurgioque laceſſeret. tanta eſt hæreticorum in hoc oppido licentia.

Sed nos eorum procacitatem maleuolentiæ incitatam ſtimulis, fregimus patientia, et taciturnitate ſedauimus. Iam Catholici admirati filiorum fructum in Catechiſmo, vltro eoſdem obtulerunt litteris imbuendos: recuſationem ademit vitata ſuſpicio exiguæ beneuolentiæ, vel fugæ laboris. enimuero excanduit ludimagiſter, iramque et probroſis ſermonibus, et miſsis litterulis oſtendit: ſed hunc quoque modeſtia placauimus: ita, quos educabat domi adoleſcentes nobiles, et ingenio præſtantes, ad noſtros deducebat. viſendum porro fuit, et ſumma voluptate viſebatur ab Albaterranis, cum bis hebdomada (neque enim par erat ſæpius fieri, propter diſtantiam locorum) adoleſcentuli bini progrediebantur ad templum ſacro audiendo, ita compoſito corporis habitu, inceſſuque, vt lætarentur omnes, et qui maxime vellent lædere, non laudare non poſſent. Viſum deinde, vt iuuẽtus adeo docilis, ad perceptionem ſalutaris Euchariſtiæ inſtitueretur: iam appetebat dies ſacer omnibus Sanctis: octauo ante expoſuimus rationem recte confitendi, præceptaque et admonita rite communicandi: confeſsi in peruigilio: die feſto, quemadmodum et alijs diebus, procedentes ordine ad templum, ita rapuerunt omnes ad admirationem ſui, vt viri mulieresque certatim accurrerint, auidis oculis inuſitatũ ſpectaculum haurire cupientes. Nec tantum in oppido labora-

boratũ,ſed etiam in vicinis pagis: et labori fru ctus pro portione reſpondit. Cum euocati deinde eſſemus per litteras, amanter, et caute, præmonuimus noſtri diſceſſus, quem ita grauiter tulere, vt locus ipſe, in quo eramus, repleretur lacrimis puerorum: ipſi etiam parentes tacitum dolorem continere non poſſent. tum difficile fuit perſuadere multis, vt ne iniquo animo ferrent, ſi non acciperemus eorum dona, neque pateremur, vt nos longius ab oppido proſequerentur.

COLLEGIVM TOLOSANVM.

TOLOSA QVOQVE creuit Burdigalæ ruinis. Acceſſere ſocij triginta, et, quæ Deo habenda eſt gratia, per medios licet hoſtes (a quibus alij multi ſpoliati vinctique) ſine vlla noxa. neque hoc ſine eiuſdem numine, quod Agenni (vrbs eſt Toloſam inter et Burdigalam) vir eſt honoratus et pius, qui liberali hoſpitio accepit noſtros, adiutoſque opibus, et tutos itineris duce, non aliter dimiſit, ac ſi eorum omne periculum præſtare deberet. atque is eſt, qui anno ſuperiore vnum e noſtris, captum ab hæreticis redemit aureis ſexaginta: qui alios duos nec regredi nec progredi valentes, omnibus vijs ab hoſte circumſeſsis, quinque menſes apud ſe habuit, coluitque multa comitate, in ſpeciem fratrum: et nactus deinde

oppor-

opportunitatem temporis, ipſemet ſuis equis Toloſam adduxit: qui denique tres adoleſcentes euntes ad Tyrocinium (ſed inſequēti equite iuſſu parentum, vt comprehenderentur in via, non ſatis tutos) noctu in caſtellum propinquum, dein quinto poſt die deuijs itineribus et flexis, declinantes viatorum occurſum, ad noſtram ſedem deducendos curauit. Igitur Toloſæ auctus noſtrorum numerus, auxit et fructum. centum, anteactam vitam confeſsione aperuere: multi ad varia religioſorum cœnobia ſe recepere: complurium repreſſæ libidines: odia placata: vnus inimicum excipere, alter vxorem confodere cogitabat: vterque a patrando ſcelere deterritus. Adoleſcens ſeptem octove annis diuinorum myſteriorum præſidio caruerat, quod in vrbe hæretica eſſet, ſed tenax tamen religionis, non potuit vmquam, nec blanditiarum lenocinio, nec minarum terrore mutari: is nunc relicta patria, parentibuſque, Toloſam venit, vt agens inter Catholicos et compenſet iacturam præteriti temporis, et ſibi proſpiciat in futurum. Verum, vt hic inuiolatam fidem inter hæreticos, ita et virgo, quæ noſtrum templum frequentat, pudicitiam in media libidinum flamma ſeruauit. Dolo perducta erat in cubiculum viri præpotentis, diuque tentata precibus, abhorrebat a flagitio: adijciebatur ſumma duum millium aureorum, conteſtatio amoris, proponebatur ſolitudo, ſilen-

lentium: quod nemo ſciret, vix factum videri. at illa obijciebat contra pulchritudinem pudicitiæ, et ſponſum virginum Deum, omnia tuentem. Quin, potius iugulari me iube, quia nec pretij magnitudine, nec mortis ſupplicio adduci potero, vt aut ſponſa Chriſti eſſe deſinam, aut incipiam eſſe impudica. tu vide quam turpem rem animo agitaſti: te enim decebat non magis maiorum nobilitate, quam moribus, pluribus antiſtare. Admiratus iuuenis virginem virilis animi, noluit amplius ſolicitare, quam ita intelligebat in pudoris Deique amore conſtantem.

MISSIO AVSCITANA.

QVO IN STATV eſſet Miſsio Auſcitana, diximus anno proximo. nempe duos e noſtris verſari in ea meſſe, efflagitatum ab vrbe Collegium, miſſaſque ſuper ea re litteras ad Patrem Prouincialem, vt cum Patre Generali cōficiat. Cum res adhuc in expectatione eſſet, principio huius anni, ciues vrgere, vt ſuſcipiatur cura inſtituendæ iuuentutis, propter diſceſſum externorum moderatorum, inſtitutore carentis. et res erat ante oculos, vt contradici non poſſet. Sub feſtum Epiphaniorum, in magna inopia frumenti, librorum, ſupellectilis, rerum omnium, quinque claſſes apertæ: ex quo et noſtris magna materia patientiæ, et ciuibus

beni-

benignitatis oblata eſt.ij,etſi caritatem annonæ auxerat bellum, et grando fere interemerat ſpem omnem præſentis anni, propterque repentinos hoſtium impetus prope fames timererur, victum tamen ac veſtitum, vt his temporibus,abunde ſuppeditarunt.ac primis quidem ſeptem menſibus nouem e noſtris, dein cetero anno,duplicato numero fuere. Tres,quadraginta diebus ieiunij verni, in tribus oppidis Auſcitanæ diœceſeos concionati : quod et interfuit priuatæ multorum ſalutis, et publicæ.nam vſu compertum eſt,omnibus circa oppidis diſsimulantibus,ſeu deſciſcentibus, pacemve ab hoſte redimentibus, tria hæc indixiſſe hæreticis bellum, inuictis animis,aduerſus ea, quibus cetera terrebantur. id cum virtuti concionum tributum eſt,tum etiam frequenti eſui agni cæleſtis. ceterum in his oppidis nihil iam deſideres Catholici ritus.Sigillariorum ex ære,ceraue,ſacrorum Roſariorum item, globulorum piacularium, imaginum cubiculariarum, luſtralis aquæ in ædibus priuatis,vſus introductus:vt raros iam reperias e viris etiam primarijs, qui non Roſaria,more gentis, pro armillis ferant. librorum vero, e quibus impiæ opiniones, aut mores impudici,magnus numerus extortus.capita legis Chriſtianæ in oppidis, ipſaque in vrbe explicata:et quoniam de plano præ multitudine, non exaudiri vox Catechiſtæ, coactus in ſuperiorem locum aſcendere.Canonicorum ſe-

cunda

cunda erga nos voluntas: neque his concedit Proepiſcopus. illi maiorem ædem meditantur: temporarium interea ſtruunt ſacellum, ornantque. at Proepiſcopus cœptam domum proximam Collegij ædibus adiunxit: non mediocrem deinde pecuniam obtulit comparandis libris, et promiſit daturum ſuam bibliothecam noſtræ inſtruendæ. confeſsionum generalium numerum inire haud promptum ſit. ſed huius ſacramenti virtus, interdum abſoluta anima corpus quoque liberantis, in ipſius Archiepiſcopi domo declarata eſt. Nobilis adoleſcens graui morbo implicitus, deſperatis rebus, ad confitendum de peccatis animum appulit, paulo poſt habere cœpit melius, et recreatus omnino venerationem auxit ſalutiferæ confeſsionis. ea cauſa vrbem intra, extraque, ad ægrotos frequenter accerſimur, ipſoque in itinere magno in honore, etiam ab hæreticis habemur. quod cuidam ſacerdoti accidit, qui cum diuertiſſet ad hæreticum notum, ac nobilem, ab eo liberaliter acceptus, habitus, dimiſſus eſt: cum ſolutione pecuniæ, quam Collegio debebat, vicinis ſtupentibus. ſed hæc dicta quaſi in ordine: nunc ſparſim aliqua delibētur. Nōnulli, qui obtentu valetudinis, iubente quidem medico, ſed Parocho neſciente, veſcebātur cibis ālioqui illicitis, adducti vt id facerēt permiſſu Parochi, fuerunt ceteris exemplo. Mulieri, quæ voluntario ieiunio conficiebat corpus, ſed (vt perui-
caci-

cacitate humani ingenij, nobis placita comple
ctentes, debita plerumque negligimus) diebus
feſtis abſtinebat a templo, perſuaſum a noſtris,
vt ne aſtu diaboli abruptam potius contuma-
ciam, quam ſecurum obſequium vellet. Curio,
quod interuerſis curiæ reditibus, curiales de-
ſeruerat, noſtrorum admonitu curionatum ab-
dixit. Aleatores, ganeones, impuri, impudici-
que, diuini nominis numiniſque contemptores,
coerciti. infames mulieres eiectæ. Actum quo-
dam in oppido, vbi hæretici multi, cum aliqui-
bus, quibus luxus corporis, et deſidia cordi, vt
eſurialibus ferijs ab eſcis vetitis, etiam in alia-
rum inopia, abſtinerent. Eodem in oppido fir-
mati debiles in fide, et labantes erecti: fructu
præcipuo Catechiſmi: cui primo intereſſe etiã
hæretici cum fremitu, deinde cum tacito con-
ſenſu. Vrbanus carcer, et xenodochium adita:
ægrotorum, vinctorum, aliorumque pauperum
confeſsiones exceptæ. Veſana mulier, et vt ru-
mor erat, a dæmone correpta, ſacroſanctæ Eu-
chariſtiæ myſterio refecta eſt. Abducti aliqui a
fenore exercendo. Cum haberetur conuentus
virorum nobilium, in quo iureiurando ſe quiſ-
que obſtringebat futurum, fide erga Eccleſiam
Romanam, vſque ad vltimum inuicta; vocari
placuit ſacerdotem noſtrum, qui oratione ha-
bita eorum eſſet concordiæ probator, et teſtis.
quod et in alio oppido factum, multis abnuen-
tibus. Redeamus ad ordinem interruptum. Sa-

cellum,

cellum, quod nobis apparari diximus, apertum eſt die Virginis annũtiatæ, magno ciuium concurſu: attamen maiore, per eos dies, quibus rite indicta ſtatione, ſupplicationeque ad certa vrbis templa, propter Gallicos tumultus, ad noſtros erat veniendum: augebat religionem fax plurima accenſa, et ſpectata pietas Scholaſticorum noſtrorum, ſiue communicantium, ſiue litanias concinentium. Communicandi autem vſus, octauo aut quintodecimo quoque die, iam frequens in vrbe: idque factitant primores ciuium, maxime Scholaſtici. horum tanta ad religionem propenſio, tanta docilitas, tanta erga noſtros beneuolentia, vt cum obſequio ducantur magis, quam imperio, nihil ſimile magiſtri ſe inueniſſe teſtentur: matutino domi orant Deum, veſpertino ſedulo introſpiciunt conſcientiam. pædagogia et contubernia quotidianis litanijs perſonant, excipientibus reliquis, vno præeunte. Inuenti qui oblatos reditus Eccleſiaſticos repudiarunt metu peccati. Omnino ſpes eſt, vt tenelli malleoli creſcant in vites, quarum maturus fructus, quamlibet diligentis vinitoris voto, laborique reſpondeat.

RVTHENENSE COLLEGIVM.

VT LEVIS SCAPHA maiori adiuncta nauigio, eodem cum illo rapitur curſu, ſeu portum intratura, ſiue ſcopulo alliden-

da,

da, ſic res plerumque priuata idem ſubit periculum, quod publica: nec facile vtramque diſcernas. Hactenus Ruthenenſe Collegium, incolumi vrbe, priuata incommoda non ſenſit: nunc eadem laborante, damno propior fuit. ita in calamitate publica defuit vectigal annuum, quod præbebatur in Comitijs prouinciæ. noſter tamen idem fuit tenor, vrbem intra extraque, non infructuoſe laborando. Vrbs Mauriacenſis, vnde ſuperiore anno diſceſsimus, interuiſa: adiutique doctrina Chriſtiana, et concionibus, et pueri, et parentes. eadem opera atque vtilitate, oppida diœceſeos Sancti Flori adita nonnulla. At Ruthenis, remittente peſte, repetita ſtudia litterarum, maiore diſcipulorum ardore, quam numero: quadringenti, nec multo amplius, fuere. Quadrageſima verba facta ad populum quotidie, mandatuque Antiſtitis luſtratæ tabernæ librariæ, librique damnati, in media vrbe, loco celebriore combuſti. Deiparæ Congregatio ac religio, multorum opificum acceſsione, aucta. Confeſsiones de omnibus vitæ peccatis auditæ quinquaginta. Mulier a marito falſis appetita criminibus, miſeriarum remedium, non corpore iaciendo in flumen, quod facere moliebatur, ſed abluenda anima peccatorum ſordibus, de noſtrorum conſilio, quæſiuit. Duos inter fratres, alioſque complures, diſcordiæ ſedatæ. Nobilis mulier vigeſimum iam et quintum annum Caluinum ſecu-

ta

ta cum ancillis duabus, Deo fauente, noſtrorum ope reſipuit: et iam huius eleemoſyna Collegium iuuatur. ſequuntur quædam miraculis non abſimilia. Hæreticus in Prioratu Collegij, altare beato Ioanni, vbi etiam eius reliquiæ, ſacrum, cum moliretur euertere, attactus repente comitiali morbo (Sancti Ioannis in hoc tractu appellant) ab incepto, malo coactus, abſtinuit. Conſpirauerant in quadam domo, ad vnum innterficiendum, ruſtici fere viginti, et cœtum illum nefarium ad ſupremam vſque noctem extraxerant, cum interea tacta de cælo domus, proſtratique omnes iacuerunt in pauimento, quaſi ob metum defixi: tandem poſt horam, vbi ſurgendi poteſtas fuit, hic pectus, ille brachium, alius manum, pro ſe quiſque partem aliquam corporis correptam cæco igne lamentari: admonet vnus e noſtris diſcipulis, vt adhibeant aquam piacularem: factum: dolor abſceſſit. Ex adoleſcentibus qui ad nos ventitant, vnum eryſipelas inuaſerat, lue graſſante, vt mortem adduceret: nec a medico ſpes vlla: admonitus a noſtris remedio eiuſdem aquæ reualuit. Laborans mulier e partu, atque, vt res docuit, conceptu iam præmortuo, particulam cæleſtis agni, quam a noſtris acceperat, tumenti vtero religioſe admouens, fetum edidit exanimem: chirurgo, qui iam ferrum et vncum expedierat, vt vi extraheret, admirante.

X PRO-

PROVINCIA ARAGONIA.

VIVVNT NOVEM LOCIS ſocij ducenti quadraginta ſeptem: in Domo Profeſſa Valentina triginta: in Collegio triginta ſeptem: in Gandienſi triginta: in Cæſarauguſtano quadraginta octo: in Bilbilitano vndecim: triginta quattuor in Barcinonenſi: in Gerundenſi vigintiſex: in Balearico vigintiduo: nouem in Domo Probationis Tarraconenſi. Quinque ingreſsi Societatem. Egreſsi e vita octo.

VALENTINA PROFESSORVM Domus, et Collegium.

IN DOMO PROFESSA Valentina nihil defuit noſtrorum ſtudio, atque induſtriæ. habitæ conciones non paucæ, in templo maximo, et nobilibus Parœcijs vrbis, magno prouētu. aditus carcer, auditusque: et adiuti ſupplicio damnati: quo etiam tempore ad denſam multitudinem habita cohortatio efficax, cum ſuſpenſa ſontium corpora, plena adhuc animæ, ac ſpiritus, aſtantem turbam, vel mouerent ſpectaculo, vel terrerent exemplo. luſtrata etiā vicina oppida, et tempeſtiuis remedijs multo-

rum ſalus reſtituta. Ceterum coemptæ opportunæ aliquot ædes dilatandis agnustijs templi.

DISCIPVLORVM numerus creſcit, et, vt ſæpe alter ex altero oritur, etiam fructus: ex vtroque deinceps Collegij fama. Verberatio hebdomadaria ſexta quaque feria vim ſuã obtinet: neque omittitur Catechiſmi explicatio per vicos et compita. ſubuentum et paupertati collectitia eleemosyna: inuenti viri nobiles, qui ſinguli trecenos aureos ad hoc opus contulerunt, additus Collegio amplus ager, non leue fundationi adiumentum.

COLLEGIVM GANDIENSE et Cæſarauguſtanum.

GANDIENSI accesſit Philoſophicum curriculum. rudimentis Chriſtianis informati pueri, ac neophyti: horum, vt in reliquijs Saracenorum, non paruus eſt numerus. fuit etiam in finitima oppida fructuoſus excurſus.

CAESARAVGVSTAE magnus ardor ſociorum: inuiſunt ægrotos, aſsiſtunt animam efflantibus, luſtrant, audiuntque, ſingulis hebdomadis, detẽtos in carcere: ad patibulum vſque damnatos proſequuntur: ſparſum diuini verbi ſemen in ſummo templo, et in alijs celebrioribus: et apparuit vbertas fructuum. Dimiſsi ſacerdotes in finitima loca, eodem euentu. illud præter cetera inſigne, et fruſtra ab

alijs tentatum, oppidum, propter quorumdam diſcordiam, diductum in duas partes, ad concordiam rediſſe: et grates actæ Societati a lacrimantibus præ letitia. Ceterum in vrbe quoque, et in oppidis, Catechiſmi vſus extitit, ac fructus. Scholaſticorum Sodalitas auctior facta.

BILBILITANVM, ET BARCINOnenſe Collegia.

ETSI NVLLAE in Bilbilitano ſcholæ, adoleſcentium tamen Sodalitas ſub Deiparæ patrocinio condita: et magna religio omnium, ac diſciplina. adiuta cetera vrbs, pagique adiacentes, vt vnico verbo complectar plurima, muneribus Societatis.

BARCINONE haud paulo maior laborum materia, non ſolum propter gymnaſium percelebre, vbi duo Theologiæ magiſtri, ſed quoniam, et in excurſione pacificatæ ciuitates duæ, magno bono vtriuſque: et in vrbe ipſa duo proceres, cum ſumma admiratione regni, et huius vrbis, Epiſcopique gratulatione. Acceſſit aliud, quod magis indicauit noſtrorum ſtudium in ſalutem proximorum, et auxit ciuium amorem: peſtis. ſemeſtri ſpatio duodecim millia ſuſtulit: vt vrbs ipſa importuoſum quoddam mare videretur, non tam propter corporum nauium fractarum, quam propter hominum ſtragem, vbique iacentium. hac tempe-

ſtate

ſtate nouem e noſtris proiecerunt ſe in fluctus vt alios ab æterno naufragio eriperent: ſex merſi ex ipſis, tribus enatantibus quidem, ſed inuidentibus felicitatem illis, qui extremum poſuiſſent ſpiritum in perſeuerantia operis, et oſtenſione Chriſtianæ virtutis.

GERVNDENSE COLLEGIVM.

MIRABILIS e matutinis pomeridianiſque ſermonibus ad populum fructus, vt annua confeſsio verterit in menſtruam: et mortalium quamplurimi ſint venia mutati. Capita doctrinæ Chriſtianæ expoſita a primoribus patrum noſtrorum, præeunte Patre Prouinciali, ciuitate admirabunda: et pudore ſuffuſis, præ auctoritate magiſtrorum, illis qui docebantur. Obierunt duo patres diœceſim vniuerſam, et excitatus vſus ſacramentorum. in vno oppido, cum e ſuggeſtu accuſaſſet ſacerdos paucitatem communicantium, inſequenti die feſto acceſſere ad communionem ſexcenti quinquaginta. pacificati diſsidentes. peccantes correcti. ingreſsis noſtris quoddam oppidum, diditus eſt rumor aduerſus famæ illorum: metuebat ſcilicet dæmon procellam imminentem: ſed cum breui veritas diluxiſſet, magniſque beneficijs affeciſſent oppidanos, vt pauci fuerint, qui non ſe cum Deo reconciliarint, euaneſcente mendacio, duplicata gloria diſceſ-

ſere. Ceterum, cum qui erant in carcere, vt in anno aduerſo frugibus, conficerentur fame, auctores fuere, vt deſignaretur aliquis ſtipi oſtiatim emendicandæ: magnum vinctorum ſubſidium: et diuitum, vt liberaliter frumentum, argentumque ſuppeditarent, incitamentum. nec refecta ſolum illorum corpora cibo, ſed etiam animi pane cæleſti.

DOMVS PROBATIONIS TARRAconenſis, et Collegium Balearicum.

TARRACONENSIS ciuitas noſtri ordinis amantiſsima, ideoque ſtudioſiſsima diuini cultus, auxit caritatem, cum in metu vicinæ peſtis, Pater Rector vocatus in Senatum promiſit noſtrorum operam, vel cum præſenti periculo vitæ, nemini defuturam. grates a ciuibus actæ: quibus etiam perſuaſum, vt, quoniam peſtis eſt vltio iraſcentis Dei, deleant peccata materiam iræ. ceſſabit enim punire parentis virga, ſi nihil inuenerit in filio, quod puniatur. duo coniugij nomine prætexentes flagitium, conuertere ſe ad honeſtatem. idem fecerunt mulieres nonnullæ impudicæ. coactum æs ad inopiam ſubleuandam. Quadrageſima in perilluſtri oppido concionatus vnus, præclare multa inſtituit, reſtituitque. patrem, filiumque exercentes odia, qualia fere ſolent eſſe proximorum, implacabilia, reduxit in mutuam con-

cordiam: ſic vt, cum veniam peteret ſupplex filius, non ſuſtinuerit preces mitigatus pater, et in mutuos ruerint amplexus, oppido collacrimante.

IN BALEARICO magnus ad doctri-ctrinam, virorum etiam, mulierumque concur ſus. huius, et concionum tanta vtilitas, vt vndecim ſacerdotes confitentibus non ſatisfaciāt. noua Collegij ædificatio hoc anno cœpta, (cum vetus anguſtum eſſet) ſic vrgetur piorum liberalitate, vt excitatis parietibus, prope etiam ſit abſolutum tectum. et tamen id longum inſulanis. inſita cura mortalium animis, ea propere perficiendi, quorum vtilitatem præcepere.

SARDINIA.

DEGVNT IN SARDINIA centum duodecim. in Collegio Saſſaritano quadraginta duo: triginta duo in Caralitano: in Probationis Domo viginti: in Eccleſienſi Collegio octo: totidem in Algarenſi. Duos cum abſtuliſſet Deus, ſubmiſit nouem.

COLLEGIVM SASSARITANVM, et Caralitanum.

IN SASSARITANO, humanarum, diuinarumque litterarum ſtudia florent: etſi humanarum quoque intra domeſticos parietes inſtitutum eſt Seminarium, vbi magiſtri futuri informentur. Toto anno non in noſtro ſolum templo, ſed in alijs quoque, populus pro concione inſtructus: et conſecuta ea morum mutatio in pleriſque, vt eſſet index rerum ſingularũ texendus. ſed hæc vos exiſtimare, quam me ſcribere melius eſt. Deiparæ Congregatio in eum numerũ excreuit, vt congeminauerit.

DE CARALITANO eadem dicerentur: ſed tenebo inſtitutum. Sacro die Circumciſionis, qui aperit annum, ad frequentem virorum cœtum feminarumque, in templo noſtro,

ſtro, concionem habuit Epiſcopus Alenſis, quamplurimis diuinæ pietatis atque erga nos beneuolentiæ notis, inſignem. Diebus maioris ieiunij quattuor e noſtris concionati in varijs templis.

DOMVS PROBATIONIS, ET reliqua Collegia.

DOMVS anguſtiæ laxatæ. ſacra ſupellex aucta, numeruſque confitentium.

IN ECCLESIENSI ternæ conciones diebus Dominicis, vt ſileam alia tempora, habentur: mane prima luce ad inopem verecundamque turbam (etſi ditiores etiam non faſtidiunt) vbi multum diei proceſsit: et veſpere, iam die conſumpto. E ſupplicatione multiplex fructus.

ALGARENSI Collegio initium datum, primo lapide in eum ab infulato Epiſcopo ſollemni more coniecto:ea res,quoniam alia quadam ex cauſa fuit etiam memorabilis, breuiter repetetur. vaticinatus erat vir quidã ignobilis, et paſtoriciam vitam agens, Algarenſi vrbi exitium ante diem tertium idus Nouembres: atque,vt ſunt ſuperſtitioſi interdum animi, cum corripiuntur metu, multis perſuaſerat: admonebat vates indicendas ſupplicationes, fundendas preces, aliaque, numini propitiando.ſed verebatur Antiſtes leuitatis notam, ſi ha-

ſi haberet fidem ſomnio hominis ignoti : aut incuriæ, ſi omnino negligeret : igitur medium conſilium tenuit : hortatus eſt populum, vt ne peccando offenderet Deum, et veteres maculas confeſsione aboleret. ineunte Nouembre, inter tonitrua et fulgura, ingens procella effluxit, decuſsit nonnullorum ædes, et in his etiam partem noſtrarum : nec deerant quæ labem minitarentur. pauebat iam tota ciuitas, et querebatur diuinum non credita ceciniſſe. lætabantur quidem noſtri hoc timore conuerſos multos ad pœnitentiam, ſuperſtitionem hominum, et credulitatem, vt neſcio quæ ſomnia haberent pro oraculis, ægreferebant : adeunt Epiſcopum, orant ponendo primo lapidi Collegij edicat diem illum (is erat feſtus Sancto Martino) quem exitialem ruſticus vrbi prædixerat. verum dies, ſereno cælo, et Sole illuſtri, inter ſuperiores, et aliquot qui deinde conſecuti ſunt, turbidos, vanam fuiſſe prædictionem hominis oſtendit : auxitque ciuibus lætitiam, dictitantibus, prænuntiationem exitij in initium rei ſalutaris fuiſſe conuerſam.

PROVINCIA CASTELLANA.

DE HAC VNIVERSE nihil accepi: reperi computando (præter eos qui in Compoſtellano, de quorum numero nihil diſerte perſcriptũ) ſocios quadringẽtos ſexaginta duos. Valliſoleti in Domo Profeſſa, et in Collegio, quadragenos: in Numantino viginti ſex: in Salmanticenſi quinquaginta vnum: in Locronienſi, Segouienſi, Palentino, vicenos octonos: in Montis regalis triginta tres: in Medinenſi, Burgẽſique tricenos: octodecim in Ouetenſi: in Probationis Domo Villagarſiæ triginta octo: in Bellimarenſi ſex: in Pampelonenſi quattuordecim: in Areualenſi, quod nuper inchoatum, nouem: in Abulenſi tredecim. Vnus confecit diem vitæ extremũ. Adiuncti in Societatem vigintiduo.

DOMVS PROFESSA VALLIſoletana.

NVLLVM OFFICIVM a noſtris defuit, in ijs, quæ ſunt propria Societatis. confeſsiones plurimæ: pacificationes vtiliſsimæ: redintegrata inter coniuges concordia: multi diuino obſequio addicti. Deſeruerat quidam

dam religioſorum familiam, in qua vixerat diu, inhæſerat mulieri, quæ et facta ei mater trium liberorum: ſed, Dei beneficio, opeque et conſilio noſtrorum, e veneficijs emerſus redijt ad habitum, et mentem priorem. nonnulli etiam ſacerdotes, atque vnus diaconus, e vili miniſterio, quo tolerabant vitam, inopia cogente, noſtrorum auxilio erecti. cœnobita vnus, non ſolum permittente, ſed ipſomet rogante Cœnobiarcha, traditus eſt nobis regendus. conciones omnino ſalutares: eæ ternæ interdum, et quaternæ; tribus interim exceptis, qui pagatim concionabantur. adiuta etiam ſacris ſermonibus, vt multorum precibus ſatisfaceremus, Domicilia virginum. Carcer perſæpe aditus, cum magno vinctorum, eorumque qui ad triremes, vel ad patibulum ducebantur, bono. opera cuiuſdam e noſtris reſtituta piorum iurisconſultorum patronorumque Sodalitas pæne euerſa: eius munera ſubſidio ſolatioque vinctorum hæc ſunt: bini per hebdomadas, recurrente vice, pranſis explicant doctrinam Chriſtianam: ſuſcipiunt eorum cauſas: ægrotantibus ſuccurrunt: adducunt ſacerdotem cauſa confeſsionis. Inſtituta altera in rem muliercularum, propter pauperiem formamque periclitantium: inuenti denique, eodem auctore, quorum onus profeſsioque eſt inertem turbam, et incurioſam, diebus feſtis, ad ſacrum, et Catechiſmum adducendi: accedit interdum verbis,

pecu-

pecuniæ pondus, non leue incitamentum: ijſdem noſodochia curæ magno cum fructu. Data etiam initia in hac vrbe Seminario Anglicano, auctoritate Catholici regis: eam ad rem perficiendam adiecerunt noſtri conſilio ſtudium, et gubernandi laborem. Ceterum ad quattuor oppida miſsiones quattuor factæ: et in vno, ſedatæ diſcordiæ virorum nobilium, quorum reconciliationem fruſtra inceptam omiſerant multi pudore irriti conatus. Pellicem ablegauit vnus, cum qua ſex annos vixerat turpi exemplo. Multorum ſubleuata paupertas. Noſodochij cuiuſdam res et rationes, reſtitutæ, magno commodo ægrotorum. neque illud tacendum, quod in vna miſsione, iuncti indiſſolubili concordia Epiſcopus, Canonicique, qui antea diſsidebant. At nos experti ſumus largam beneficentiam nonnullorum. Quidam iuuenis aureos nongentos: huius exemplum ſecutæ duæ, vna aureos trecentos, mille altera, et quingentos, teſtamento legarunt. hac pecunia redempti ſunt cenſus.

VALLISOLETANVM, NVMANTInum, Salmanticenſe Collegia.

TRES IN VALLISOLETANO Theologiam docent: quinque humanioribus literis iuuentutem informant: magna vtrinque ſpes, et fructus. ſed cum Collegij inopia pleriſ-

que

que nota eſſet, ad aliquot annos aſsignatum ve ctigal aureorum trecenum. Externi multi pijs exercitationibus inſtructi. Sodalitas Virginis magnum præbet vrbi ſpecimen pietatis, caritatis, corporis deſpicientiæ: cum obeunt myſteria, cum dant operam valetudinarijs, cum ter ſingulis hebdomadis Quadrageſimæ corpus affligunt verberibus in noſtro templo.

E NVMANTINO nouem in vicina loca de more miſsi. Hebdomadaria hic quoque per Quadrageſimam terna diuerberatio: ſed diſcipulis, cum primoribus ciuitatis, alijſque, qui exploratum venerant, communis. nexi in carcere adiuti.

AT SALMANTICAE in viſendis cuſtodijs publicis, præbent ſe comites multi diſcipulorum, e prima nobilitate: habemus enim iuuentutem ad religionem valde propenſam: ita cum plures optarint varia cœnobia, tredecim noſtrum ordinem maluerunt. In varia oppida excurſiones quattuor factæ: concordati diſcordes: in vna trecentæ amplius confeſsiones generales exceptæ: litanias beatiſsimæ Virginis cum commendaſſet noſter e ſuggeſtu, ita permouit auditores, vt cum auide expeterentur ab omnibus, quattuor millia exemplorum non ſatis eſſent.

LOCRO-

LOCRONIENSE SEGOVIENSE, et Montis regalis Collegia.

LOCRONII, vrbem intra extraque opera compluribus nauata: apud Calaguritanos reſtituta odia, et ad frugem reuocati permulti. Expetuntur a Locronienſibus ſcholæ, earum vtilitate perſpecta. Vnus reliquit Collegio moriens aureos mille: tantumdem fere pecuniæ alij ſponte obtulerunt.

IN SEGOVIENSI circa moribundos plerumque operæ enituit: ſed, et ſtatuta pax inter equites, magna lætitia ciuitatis, quam pæne diſtraxerant. e diſcipulis multis, qui petebant Societatem, vnus voti compos effectus. breues aliquot miſsiones, et frugiferæ factæ.

IN MONTIS REGALIS vigent ſtudia litterarum. Præter ſcholam de officijs Chriſtianis, et alias, quibus pueri docentur, cœptum eſt curriculum Philoſophiæ: auctus numerus diſcipulorum, vt iam numerentur mille trecenti: e quibus plurimi a primis vſque incunabulis puerilis doctrinæ, ad eam vſque ſcientiam, quæ apta eſt ſacerdotio, ſe perueniſſe lætantur. Iam quoniam, vbi præmia dantur meritis, ibi eſt æmulatio meritorum, indictum eſt certamen ingenij, carminiſque: plus quadringēta poemata extiterunt; et in maxi-

ma

ma corona, celeberrimaque pompa, donatis victoribus, reliqui excitati. in doctrinarum contentione, pietas non neglecta. complures contemptis honoribus, exuto amore cognationis, vt vnum Deum ſequerentur, reliqua poſthabuere. Ceterum, et expeditiones aliquot dierum quinumdenum ſuſceptæ perutiles multis: tres, quæ menſem traxerunt, vt dierum numero, magnitudine fructuum antecellunt. penetrata oppida horrida atque inculta, et cultiores mores perdocti oppidani concionibus et exemplo.

COLLEGIVM MEDINENSE.

FRANCISCA MANSONA fundatrix Collegij mortua eſt: ea cum ſibi finem vitæ adeſſe intelligeret, teſtamento cauit, vt annuus honor fundationis nemini mortalium haberetur, ſed Dei genitrici: proinde offerretur cereus ipſius imagini, quæ colitur in noſtro templo. quod cum fieri cœptum eſſet, illuſtri apparatu, in ferijs beatorum Petri et Pauli, auxit frequentis vrbis lætitiam, et ſanctiſsimæ Virginis venerationem. oblata etiam a viro quodam nobili duo millia aureorum alieno æri ſoluendo. neque intermittitur ædificatio Collegij. Vnius obitum e noſtris compenſarunt quattuor in Societatem recepti. Ceterum hic quoque, noſtrorum labor in multorum commo-

commodis egregie verſatus. finitæ aliquorum controuerſiæ, et diſcordiæ, quarum affinitas ad plures pertinebat. pœna capitis noſtrorum hortatu duobus remiſſa. cetera, etiam ſi non ponantur, ex recordatione ſuperiorum annorum, nemini incognita.

COLLEGIVM BVRGENSE, PAlentinum, Legionenſe.

BVRGIS QVOQVE in componendis inimicitijs noſtrorum opera fructuoſe deſudauit. hoc enim præcipuum in Hiſpania curriculum induſtriæ. eſt tamen quiddam proprium Collegio Burgenſi. Decretum eſt in Comitijs regijs, vt in præcipuis aliquot Hiſpaniæ vrbibus Mathematicæ explicentur: capita huius vrbis, quæ eſt Caſtellæ caput, (multi licet ſeſe non offerrent ſolum, ſed etiam inferrent) prouinciam noſtris detulerunt. ædificata ſchola in Collegio, ære publico: quo non iuuenes modo, ſed et viri illuſtres, e tota vrbe confluunt diſcendi cupiditate.

PALENTIAE vrbanæ conciones, et excurſiones anniuerſariæ, quamplurimis profuere. commentationibus ſpiritualibus multi dedere operam cum fructu. Templi ædificatio aliquot ab hinc annis incepta quotidiana accipit incrementa.

LEGIONENSE Collegium auctum cur-

riculo Philoſophiæ, numeroque diſcipulorum. multus omnium labor, et profectus: eorum præcipue, qui ſub clientela beatæ Mariæ Virginis. eſt vrbs ipſa ad radicem montis, quem circum, ſupraque, impoſita oppida frequentia: difficili quidem aditu, ſed nihil imperuium caritati. ita præter duos miſſos ad præcipuum quoddam oppidum ieiunio quadraginta dierum, qui et ſe porrigebant in conterminos pagos, compendio animarum: duo alij amandati in montana et ſilueſtria, luſtrauere oppidula, villas, pagos, ad diœceſin pertinentia: hoc magis copioſa meſse, quo ſementis laborioſior fuit. ex magna hominum multitudine quos excoluerunt docendo, nemo fere non purgauit generali confeſsione animum, exciſis ſtirpibus vitiorum, quo facilius virtutum ſemina ſinguli exciperent, et vberiores fruges efferrent. inſtructi deinde Parochi ad cuſtodiam agri commiſsi, ne aut oblimentur ſata, aut inter fertiles ſegetes infelices auenæ ſuccreſcant. Nunc dicerem de repreſsis ſimultatibus, ni viderer in hoc Collegio diutius immorari commemorandis rebus, quas in alijs curſim percenſui.

OVETENSE, COMPOSTELLAnum, et reliqua.

OVETENSIS Collegij ædificatio, liberalitate Magdalenæ Vlloæ fundatricis, vrgetur

vrgetur in dies, et perinde ſperatur futurum ad diuturnitatem ſtabile, quam ad ſpeciem iucundum. nec minus belle creuit ædificatio ſpiritualis, in explicatione Chriſtianæ vitæ, et doctrinæ. in carcere conſtituta Sodalitas aduerſus periuria, et licentiam linguæ: reſtitutaque conſuetudo pæne collapſa, alternis ſaltem diebus, apparatum prandium ad pauperes mittendi. æque conſtitit miſsionum fructus: trium præcipue in tria oppida, toto ieiunio Quadrageſimæ: in quibus illud non ſilendum, conglutinatam amicitiam duorum virorum nobiliũ, qui infeſtiſsimis animis in mutuam perniciem ruebant.

EX COMPOSTELLANO plurimum operæ poſitum in ruſticis adiuuãdis: et quamquam incolarum plerique repentino Anglorum aduentu erant perterriti, auditi tamen a duobus bis mille de peccatis confeſsi. Duo alij obierunt ſaltuoſa quædam caſtella arduo acceſſu, traductique homines ad rerum diuinarum cogitationem. ex ijs mille detexerunt crimina totius vitæ.

PAMPELONENSIS, Bellimarenſis, Abulenſis Collegiorum, et Domus Villagarſiæ in exercendis muneribus Societatis communia: nec fruſtra repetenda. Qui Abulæ erant hoc amplius. patefactus diaboli dolus, quo adoleſcentem mirabilium concupitorem, et facilem inanibus irretierat, vt etiam ſpecie ſancti-

ctitatis multis imponeret.

AREVALENSIS principia recte habent: vtilis puerorum informatio, variorumque inſtitutio hominum, vt ſciat vnuſquiſque quid deceat officium ſuum. in gratiam reducti multi, qui inter ſe diſcordabant. exitum etiam in adiacentia oppida: itaque aucta pietas in vrbe, foriſque, vt Ferdinandi Telli Guſmanij fundatoris, et maior fiat quotidie beneuolentia, et liberalitas illuſtrior.

PRO-

PROVINCIA TOLETANA.

COMPLEXA EST Domicilijs quattuordecim ſocios quingentos vigintiunum. in Toletana Profeſſorũ Domo quinquagintaſeptem: in Collegio Complutenſi duos ſupra centum: in Madridienſi ſexagintaunum: in Toletano quattuordecim: in Ocanienſi vigintiſeptem: vndeuiginti in Conchenſi: ſeptemdecim in Talabricenſi: in Placentino vndetriginta: in Securitano quattuordecim: in Villaregienſi Domo Probationis ſeptuaginta: in Collegio Murcienſi quinquaginta: in Huetenſi vndeuiginti: in Bellomontenſi vigintitres: in Carauacenſi viginti. Naturæ conceſſere quindecim. Auxere Societatem tres ac triginta.

DOMVS PROFESSA TOLETANA.

E QVATTVOR, qui e vita ceſſere, vnus fuit Pater Alphonſus Deza, qui cum quinque fere annos, auctoritate magis quam imperio, Domui præfuiſſet, grauiſsimo correptus morbo, paucos dies decubuit, et occubuit. neſcias maior ne cura ciuitatem, noſtroſque, eo ægrotante, an mortuo, dolor inceſſerit: fuit e-

nim is, cuius et vitam amor, et mortem luctus communis, inſignem fecere. Ceterum ad noſtram ædem magnus pœnitentium concurſus, vt diebus celeberrimis communicent ad duo millia. Vt in frequenti vrbe, euocamur ad ægrotos quotidie. Nullus eſt deinde carcer, nulla puerorum ſchola, nullum noſocomium, quo non ſæpius hebdomada noſtri ſubſidio mittantur. adiuti etiam qui agebantur ad ſupplicium. in præcipuis cœnobijs virginum cohortationes habitæ: et earum confeſsiones exceptæ. Doctrina Chriſtiana ſollemni more decantatur: explicatur pueris adultiſque, diebus Dominicis, in platea perampla: ad extremum adhibetur concio cum ingenti vtilitate. Toto etiam fere anno, ſex e noſtris ſacerdotes obierunt diœceſim, cum labore peræque ac fructu. At in vrbe actum de remittendis iniurijs, de abigendis pellicibus, de vitijs exterminandis. adiutus ſæpe diuini verbi pabulo, audituſque cœtus mulierum, quæ ſe emerſerunt e gurgite libidinum. Pium Sodalitium, quod proxime diximus excitatum vtilitati eorum qui in carcere attinentur, quotidie et virorum numero, et magnitudine operum augeſcit. hi ſuper cetera id ſibi ſtudio ducunt, vt diebus feſtis homines egentes ac ſordidos adducant ad rem diuinam audiendam, quod alioqui facturi non videbantur. Alterum, virorum principum, et opulentorum Sodalitium non minus vtile,

aliquo-

aliquorum obitu elanguerat: huius illud erat propoſitum, vt in peruigilijs Chriſti naſcentis, et exiſtentis ab inferis, obærati nexique, re cum creditoribus compoſita, diſſoluerentur: ſed vnius e noſtris oratio effecit, vt reſtituituerentur opus inceptum ad gloriam Dei: atque hoc ipſo anno omnes debitores, cum ſatis eſſet factum eorum æri alieno, e vinculis emiſsi. qua in re non parum enituit benignitas Cardinalis Toletani. Dux Feriæ in nobis amandis fouendiſque antiquum ſuum obtinet. is obiturus oppida ditionis ſuæ, vnum e noſtris habere voluit comitem viæ, et ſocium laborum, in ijs quæ pertinent ad officium Chriſtianum: nec conſilium illius vanum, aut noſtri ſacerdotis opera inutilis fuit. Ex hac Domo, quod factum eſt quinque annis continuis, itum Quadrageſima ad Pontem Archiepiſcopi (oppidum eſt huius diœceſeos) omneſque ad cæleſtem menſam rite præparati, et ad mutuam concordiam multi adducti.

COMPLVTENSE COLLEGIVM.

E CENTVM VIGINTI duobus, qui fructuoſe exerciti commentationibus Patris Noſtri Ignatij, ſummæ ſpei adoleſcentes viginti ſex in Societatem noſtram adſcripti. De publicis cuſtodijs verbo inſtructis, confeſſione purgatis, menſtruo conuiuio refectis: de

ijſdem fere muneribus erga pauperes in xenodochijs, de doctrina Chriſtiana, vicatim pagatimque tradita, de exercitationibus litterarijs, de ceteris denique officijs noſtri ordinis, quæ dici poſſent, ſunt cum annis ſuperioribus communia. huic proprium, quod, vbi auditum eſt de obitu Patris Alphonſi Dezæ, qui multos iam annos ſacram Theologiam in hac florentiſsima Academia ſumma cum laude docuerat, tanto cupido cepit omnes religioſorum ordines celebrandi eius exequias, vt communi parenti parentare velle viderentur. præ ceteris extitit ſtudium Academiæ: nam et decreuit honorem patri ampliſsimum, et edixit omnibus, quos habet ſubiectos, contra iuriſiurandi formulam commiſſurum, quicumque faciendo funeri non intereſſet. igitur conuenere in noſtrum templum, qui dabant operam litteris, ex omni ætate atque ordine, quanta non alias multitudo, et ipſe Gymnaſiarcha ſtipatus nobili Profeſſorum et Collegarum corona, tanta cum pompa, et ſignificatione mæſtitiæ, vt religioſum licet hominem, et abſentem mortuum, proſecuti ſint ijs ſollemnibus pietatis, quæ tantum debentur extinctis in ipſo munere docendi. Sed memoria Patris Alphonſi, vſque in antiquorum ingeniorum comparationem euecti, conſtituebat illum præſentem ante oculos omnium, et ius faſque videbatur cunctis, vt lacrimis non minus, quam laudibus debitis deſide-

rium

rium commune teſtarentur. Sed a pompa vocor ad pompam, a triſti ac funebri, ad feſtam lætamque: ad eam, qua Sancti Didaci circumlatæ reliquiæ celebri ſpectaculo. Ornata erat vrbs tota ad imaginem templi, ſemper quidem et alias frequens, eo autem die ita referta omni hominum genere, e locis circumiacentibus, vt vix capere poſſet. qua ferebantur reliquiæ, ſpectacula multa, ac ſubita meniana erant edita, ſedes nobilium: nec minus diſpoſita altaria per vias, pulcherrimo ornatu, vbi interquieſcerent, qui ferebant. auxit venerationem diei pompæque Philippus rex, cum filijs, et ſorore Auguſta: erat ipſe cum ſuis in tabulato præcelſo, contra altare, materia pretioſum, et lucens face plurima, quod ſtruxerant noſtri: qua longe porrigebatur paries, veſtiebatur regali peripetaſmate, ſuper quod extenſa carmina multigena, argumentum rei, et legentium oblectamentum. Congregatio Deiparæ conſtituta anno ſuperiore in Collegio noſtro, in dies fit melior atque auctior: aucta etiam noſtra domus, et ſupellex templi, atque ædificatio ſuburbana. ſed hæc omitti poſſunt: illa non debent, quæ effecta, cum Dei auxilio, in excurſione frequenti ad oppida vicina: quamquam hæc quoque cum modo. Conſaburo vrbs eſt Carpitanorum peruetus et clara, beatum Gregorium Oſtienſem Epiſcopum, cuius viuentis mortuique experta eſt ſæpe patrocinium, tu-

tela-

telarem habet : ipſius die anniuerſario vocatus eſt vnus e noſtris ad concionandum, tanto concurſu hominum, vt cum intra templum, capax licet et amplum, plurimi non admitterentur, ſuggeſtu poſito in limine concionari debuerit : et ſecutus tantus animorum motus, vt ſacerdotem cuperent apud ſe verſari ad aliquot menſes: verum diſcedendi neceſsitas vrgebat. Pridie Aſcenſionis Dominicæ ad oppidum venit, Manzanares vulgo appellant : erat in hoc oppido, cum curiales diſsiderent a curione, a clericis monachi, optimates a popularibus, tanta animorum voluntatumque diſtractio, vt diſcordantibus membris, nihil aliud timeres niſi corporis interitum. triduum hic poſuit pater, et adiuuãte Deo auctore pacis, flexit omnes ad concordiã : atque ex mutuo nexu diuerſitatis effecit complexum inſolubilẽ. Hinc profectus in alterum oppidum (Vallem rupium indigitant) comiter et officioſe admodum exceptus eſt. et propius aberat dies Pentecoſtes: verum, tantum tenebat oppidanos deſiderium audiendæ concionis, vt feria quinta priore, fuerit habenda, tanto in hominum cœtu ac ſilentio, vt nec ſimilem vmquam attentionem concionator, nec populus ipſe viderit frequẽtiam. par extitit fructus. Confirmatũ Sodalitium, inſtitutum anno, ab eodem ſacerdote, et Mariæ Virgini ſacrum : ſodalium porro munus eſt intendere animum in ſalutem proximorum, pro-

pria

pria non negleċta. multorum præterea amicitiæ reconciliatæ bono publico: et aliqoot mulieres ita conuerſæ ad pudorem, deſerta nequitia, in qua diu habitauerant, vt admirabile ſit, quantum lumen virtutum ex illis tenebris enituerit. Cum ſeſquimenſem in hoc oppido noſter eſſet commoratus, Almagrum ſe contulit. Almagrum oppidum eſt Oretanorum, frequentia ciuium, et ſoli vbertate inclytum, et caput militiæ Calatrauenſis: hic quotidie ſermo habitus ad populum: bis hebdomada explicatæ quæſtiones de officijs Chriſtianis: diebus feſtis tradita capita diuinæ legis, alliciente cantu. inſtituta piorũ Sodalitas, cui a præcipua Chriſti corporis veneratione cognomen eſt: eius cura menſtrua Octouirum eſt, quattuor e Clero, totidem e plebe: nec credibile quanta fuerit omnium lætitia, quo primum die indicta ſupplicatio nouæ Congregationis. Narrari hic de excurſionibus alijs eiuſdem ſacerdotis, complura poſſent. ſed nos breuitatem ſequimur, perſtringentes fere communia, ſed tamen neceſſaria non omittentes.

MADRIDIENSE COLLEGIVM et Ocanienſe.

MADRIDII habitæ conciones in ſacello regio, ſacrarumque cœnobio virginum

ginum nudis pedibus incedentium (vbi Maximiliani ſoror Auguſta) et noſtro in templo, alijs denique locis, quo noſtri vocantur: nec verbum vacuum reuertit ad dominum. vitæ emendatio in multis, generalis etiam confeſſio, et frequens Euchariſtiæ perceptio, ſecuta eſt. mulierculæ aliquot meretricium cum cœnobio matrimoniove mutarunt. reliqua cum alijs annis communia.

ATOCANIAE ſacerdotis cuiuſdam in adiuuandis proximis virtutis indefeſſæ, funus quam maxime potuit popularibus ſtudijs concelebratum eſt. Domi foriſque conciones frugiferæ. inſtitutione fidei, præeunte cantu, et præmio conſequente, formati pueri rudeſque in foro frequenti. virgines multæ anguſtias cœnobij opulento coniugio præoptarunt. Puerorum virtus noſtris magiſtris adoleſcit. auxit cupiditatem diſcendi elegans drama ſplendidumque, datum per eos in publico, magna ſpectantium gratulatione. Reginæ Angelorum Sodalitia duo, virorum, adoleſcentiumque, et ſtudio et numero creſcunt. De adoleſcentibus hoc addam: lætum eſſe ciuibus, gratumque, cum matutinis ſacris ad oſtenſionem ſacroſanctæ hoſtiæ, caliciſque ſalutaris, nudato capite, reiectoque pallio, expediti extollunt accenſas faces, in morem regiæ cohortis: ex his nonnulli in varios religioſorum ordines ſe contulerũt. Conuictorum, quorum domicilium adiunctum

ædibus

ædibus noſtris; minor quidem frequentia hoc anno, ſed maior induſtria fuit. Adulta æſtate, noſtrorum Seminarium qui in Prouincia ad humanitatem informantur, in hoc Collegium tranſlatum eſt: atque eorum profectus expectationi reſpondet. Ceterum, quoniam Ocania cingitur quaſi corona nobilium oppidorum, miſsi frequenter noſtri in paratum agrum et fertilem, diuini verbi ſemina iecerunt.

COLLEGIVM MVRCIENSE et Carauacenſe.

IN MVRCIENSI Collegio placuit figi domicilium Theologorum. et iam ſedecim cenſentur. nec deſeruntur ſtudia Latinæ linguæ. Bacchanalibus data eſt Tragœdia apparata et magnifica, beatæ Vrſulæ, et ſociarum vndecies mille: ſub idem tempus, vnius ex illis virginibus caput in templo noſtro collocatum. Sacrum inſtrumentum auctum: et ſpes eſt Collegij rerum meliorum: nunc enim premitur ære alieno. Cum inimicis in gratiam, et cum Deo, noſtris adnitẽtibus, rediere nonnulli. admirabile ſpectaculum præbuere duo facinoroſi homines damnati ad mortem: ij vſi conſilio auxilioque noſtrorum, tanta lacrimarum vi, propter recordationem Dei offenſi, tanta rurſus lætitia, propter debitam ſcelerum pœnam imminentem, gradiebantur ad ſuppli-

ſupplicium, vt alacritate ſubeundæ pœnæ voluntariam pœnitentiam teſtarentur. Piorum cœtus, in procuratione xenodochij et carceris ſuſcepta vtiliter perſeuerat, eamque ad rem vtitur ope noſtrorum. ſingulis menſibus nexi confeſsione purgantur, recreanturque Angelorum pane, mox etiam conuiuio frugali.

CARAVACAE in erudienda iuuentute, pueritia inſtituenda, audiendis, adiuuandiſque ægrotis, obeundis pagis, opera fructuoſe impenſa.

BELLOMONTENSE COLLEGIVM.

SCHOLAE QVATTVOR, diſcipuli amplius ſexcenti, plures futuri, ſi aut annona, aut diſciplina noſtrorum laxior fuiſſet: at noſtri inſtituti eſt, vt non numerentur auditores, ſed æſtimentur: pluris enim eſt paucitas aſtricta legibus, quam multitudo licentia impunita. Et huius tamen paucitatis non exiguus fructus. Exiſtit ex ea Sodalitium Deiparæ, religioſorum rudimentum hominum, ſiue incrementum. Præpoſitus quidem Franciſcanæ Prouinciæ Seminarium ſuum appellat gymnaſium noſtrum: e quo, vno anno, accepit adoleſcentes viginti: vnus in Societatem adſcriptus: nec deſunt alij qui eodem deſiderio tenentur. Ceterum reliquo etiam oppido opera data: octo ſacerdotes deſtinati audiendis con-

feſsio-

feſsionibus Quadrageſima: ex his vnus totius vitæ ſexaginta amplius accepit. de fructu omnium, etiam me tacente iudicari poteſt. Lupanar, magna pernicies oppido non ita magno, noſtrorum admonitu ſublatum, difficili admodum principio, ſed non improſpero fine. cuſtodiæ quorumdã beneficio ſubleuatæ: adiuti ſuſpẽdiarij ſubſidio ſolatioque noſtrorum. Cũ omnia fluerent ex ſententia, mors interceſsit Dominæ Franciſcæ Pontiæ à Leone fundatricis noſtræ, quæ illuſtri loco nata, virtutũ experimentis, et nobilitatem generis, et infirmitatem ſexus, ſupergreſſa eſt. omnes illa procos exoſa, propter Chriſti amorem, virginitatem ſeruauit: tantaque patientia, et robore mentis, vix intermittentes languores corporis, et angores animi tulit, vt admirationi eſſet. mortua eſt cum annum ageret trigeſimum: reliquit nobis annuum cenſum aureum millenum, oliueta præterea duo, et tria vineta non inculta, atque in his fundum ornatum inſtructumque, cuius ſupellex, etiam ſoluto ære alieno, mille aureis æſtimatur. funere magnifico eius corpus elatum ſepultumque eſt, vniuerſo ducente Clero cum precibus, Belloque montenſi Senatu, et populo, non ſine lacrimis perſequẽte. Nouemdiales fuerunt exequiæ, et per dies ſingulos concio in noſtro templo, honori mortuæ: nec magis ſolatio ſuperſtitum, quam æmulationi poſterorum: eius enim exemplum ſecuta alia no-

bilis

bilis virgo, poſt ſuam, ac ſororis mortem, legauit magnam pecuniam alendis adoleſcentibus, qui dare operam litteris paupertate prohibentur.

COLLEGIVM HVETENSE.

INEVNTE IVLIO ſex e noſtris ad animarum meſſem profecti, ſuos manipulos retulerunt. Sedatæ lites, odia compoſita, plebs ruſticana Chriſtianis initijs inſtructa. Quodam in oppido vir accepta alapa ita exarſerat, vt dictitaret iracundiam non niſi ſanguine poſſe reſtingui: at eam ſacerdos molli ſermone ita infregit, vt ipſemet vltro accideret ad illius pedes, cuius vltionem meditabatur. In altero vir reductus in gratiam cum Parocho, a quo periculoſe diſsidebat. Rurſus in alio vnus erat ita infeſtus infenſuſque Curioni, vt peſtifero mendacio accuſaret illum violatæ confeſsionis: atque id eo animo, vt eius exemplo ceteri a confitendo deterrerentur. hunc quoque ita placauit Deus, vno e noſtris interprete, vt petierit veniam multis præſentibus: et retractatio criminis in ſatisfactionem ceſſerit. Vxores duxerant duo inuitis parentibus, propterque eam cauſam inter illos iræ ac rixæ: ſed hi etiam noſtrorum opera reconciliati. Mitigatus ſimiliter ſacerdos, qui vnum iam annum cum quodã e ciuibus gerebat inimicitias pluſ-

quam

quam ciuiles. Ceterum, vt aliquid de vrbe ipſa. Scholaſtici omnino quadringenti, pluris fructu, quam numero faciendi. ineunte anno recitata oratio perelegans ad eos excitandos, exeunte, data comœdia, admirabili artificio, augendæ pietatis. Inſtituta etiam Congregatio ſacerdotum magno delectu; ex ea ſperatur fructus, ſi ad Romanã aggregetur præcipue, quod flagrante ſtudio contendit.

SECVRITANVM, PLACENTINVM, Talabricenſe, Collegia.

EX SECVRITANO egreſsi ſocij in vicinos pagos: et fuit pretium egreſſus. In quodam oppido conſtituta Sodalitas, cuius cura et induſtria in Euchariſtiæ cultu. primarij duo viri diſcordes pacificati.

NEC MINVS laboratum in Placentino. Dum excurrunt noſtri, mulieri, quæ voluntaria morte ſubtrahere ſe properabat atrocitati mariti, perſuaſere, vt retineret vitam, ſeſeque cum illo reconciliaret. Duo item, priuata odia, e quibus magni tumultus metuebantur, publicis vtilitatibus remiſere. quod et impetratum a duobus alijs paribus, eodem euentu.

TALABRICAE grauis peſte, et contagione annus, morbo noſtros affecit, eiſdemque materiam attulit opis afferendæ laborãtibus. et vtroque tempore eorum religio ſpectata eſt. Ter ad varia loca ſacerdotes dimiſsi, ad ea

præſertim, quæ hactenus inculta: et ſpem affert ſeges vberrimi prouentus: ea ne luxuriet, tempeſtiua repetitione prouidendum eſt.

COLLEGIVM TOLETANVM, ET reliqua.

IN TOLETANO Collegio Scholaſticorum diſciplina et pietas effloreſcit: multi ſe in portum religionis contulerunt; ventos alij ferentes expectant. itum frequenter a noſtris ad ægrotos, in publico valetudinario, domive decumbentes. cum ſacerdos egreſſus eſſet domo, cauſa negotiorum, euocatus repente eſt ad hominem moribūdum, quem vox ſenſuſque defecerat. dat ſe ipſe in preces, Deum orat tantiſper ad ſe redeat ægrotus, dum proſpiciat animæ. exauditus eſt. experrectus æger muniuit ſe Eccleſiaſtico omni inſtrumento, demum placidiſsime obdormijt. Sodalitium beatiſsimæ Virginis, quod pæne conſenuerat, inſtauratum eſt vnius e noſtris concionatoris induſtria, tam lætis incrementis, vt fere præſtiterit exaruiſſe, quo tam feliciter reuireſceret. habita eſt eo die opportuna concio in templo, cuius parietes decorabantur carmine, ſericoque apparatu pulcherrimo.

CONCHENSE COLLEGIVM tum domi erudienda pueritia litteris, Chriſtianiſque elementis: quod fit læta ciuitate, celebrique pompa: et quattuor mulierculis e turpiore

vita collectitia ſtipe honeſte collocandis (vt duo aureorum millia dominis reſtituta, aliaque ſimilia, mittantur) tum etiam foris, non inutiliter laborauit. In Celtiberiæ finibus populi ſunt, re non multum ab nomine abludente, Infatuatos appellant. ita locorum aſperitas hominum quoque ingenia efferauit. rarus apud eos ſacerdos: religioſorum ordo fere nullus: ignotum omnino nomen Societatis. rogante Epiſcopo Conchenſi, ad cuius procurationem pertinet, duo e noſtris eo deſtinati, alloquio cõgreſſuque, cum partem temporis nullam ab ijs adiuuandis ſibi vacare paterētur, breui ita profecerunt, vt ex feris immanibuſque mites redderint ac manſuetos. Igitur auditæ conciones: auide cõfeſsio vſurpata: percepta religioſe Euchariſtia a multis: nec quicquam ſine lacrimis: grates quippe agebant Deo, cuius beneficio tãquam emerſi e tenebris illata luce lætabantur.

VILLA REGIA Tyrones informat, perficit veteranos: vtrumque magna diligentia: frequenti enim exercitatione non langueſcunt otio, et comparant ſe ad aſsiduos labores in vinea Domini tolerandos. Schola puerorum et vtilitate creſcit, et numero. Vocamur etiam ad oppida vicina, non ſine fructu. Ceterum Fundatrix noſtra adhuc ſuperſtes, aucta re domeſtica domoque, cumulauit ſuam erga nos beneficentiam. noſtrum eſt gratias illi apud Deũ agere, et fateri beneficia, quæ accepimus.

PROVINCIA BAETICA.

ALVIT IN quattuordecim Domicilijs ſocios quadragintaduos, ſupra quadringentos. In Hiſpalenſi Domo, et Cordubenſi, Granatenſique Collegijs, ſexagenos: in Collegio Hiſpalenſi ſexagintaquattuor: in Montelano ſeptuaginta: viginti ſeptem in Vaezano: in Malacenſi, et Xerenſi vicenos: in Marcenenſi, Gaditano, Triguerenſi, duodeuicenos: in Sedibus Eccizenſi, et Cacorlana quaternos: tres in Vbedana. Sedecim participes Societatis effecti.

PROFESSA DOMVS HIſpalenſis.

ET SI SVVS EST noſtrorum fructus in ipſa vrbe, ita vt plurimum, duo triaque hominum millia participent cæleſti cibo: bona tamen pars colligitur e pagis propinquis: nam, et in multis vſurpatur pietas deſueta ex longo interuallo, et in aliquibus inueterata vitiorum conſuetudo aboleſcit. illuſtris porro Oſſunenſis miſsio fuit: in ea poſitus ſeſquimenſis. Catechiſmus in foro exponebatur, et in templo: vtrobique admirabili concurſu: pœnitentium

nume-

numerus tantus, vt opera cum die incepta, ad multam vſque noctem perduceretur: et adhuc inauditi aliquot relinquerentur: eorumdem tanta vis pœnitendi, vt nullam recuſent pœnæ ſeueritatem: ita nouis Chriſti militibus, cilíciorum fuit, et flagellorum armamentarium inſtruendum. fructus non ſolum labori noſtrorum, ſed etiam voto par fuit. reconciliati plurimi: et ſub ipſam concionem, lætante auditorio, non pauci: pagellæ aleatoriæ, librique obſceni offerebantur ſponte, vt igni traderentur. nocturni laſciuiores cantus in pudicos pioſque mutati: caute deinde, et ſapienter prouiſum, ne incepta adeo ſalutaria poſt noſtrorum abitum euaneſcerent. Ceterum vrbs ipſa omnem lapidem mouet, vt obtineat Collegij fundationem.

HISPALENSE COLLEGIVM.

DECVRRI cœptum hoc anno ſtudium Dialecticum: ſeptuaginta amplius ſunt in curſu: lætum ingreſſum lætiorem fecit ſua præſentia Gaditanus Antiſtes: datum ſpecimen perſæpe Theologiæ, Philoſophiæ, Rhetoricæ, ingenti plauſu: in templo maximo incitandis ingenijs ſtudioſorum præmia bis publice data: e quibus noſtri diſcipuli magnam partem abſtulerũt. ipſi porro octingenti. Roſarium quotidie, et litanias ſanctiſsimæ Virginis recitant

genuflexi,in gymnaſio,magiſtro præſente . neque intermiſerunt vſurpationem flagellorum per Aduentum, et Quadrageſimam . aliquot ſe in varijs religioſorum familijs,quattuor in noſtra, diuino obſequio manciparunt . Sodalitij Parthenij leges nuper ab vrbe tranſmiſſæ religioſe ſeruantur . Magnus etiam non ſolum in ſtudijs litterarum,ſed in adiuuādis etiam proximis, ardor animi , impetuſque noſtrorum . Nautica turba, et inops, docentur a Theologiæ ſtudioſis capita legis Chriſtianæ . quod etiam factum ab vno ſacerdote quotidie in varijs ludis, vbi pueri inſtituuntur . Diebus feſtis conueniunt in Collegium viri circiter quingenti, qui interrogantur docenturque de rebus cognitu neceſſarijs . Salubre multis inuentum : quo et peccata vitantur, et vinculo quodam coniunguntur animi confluentium : ſic, vt vbi aliquis ex eo numero emoritur, quamuis tenui ac paupere cenſu,ab omnibus efferatur, iuſtoque decoretur (quo alioqui fortaſſe cariturus erat) honore ſepulturæ .

CORDVBENSE, ET GRANATENſe Collegia .

NON NOVA EST, ſed tamen magna, pietas diſcipulorum Cordubenſium (cenſentur ſeptingēti quinquaginta, in quibus Parthenij excellunt) ſiue in vſu ſacramentorum, ſiue in exercendis muneribus caritatis . tanto

maius,

maius, vt par eſt, apparet ſtudium noſtrorum. Ex ijs, qui dant operam Theologiæ, diebus Dominicis, aliquot adeunt Parœcias, de more explicantes pueris ſummam religionis. quod etiam circum compita, ab iiſdem, et in carcere, ſedulo efficitur. Sacerdotum duorum quadrimeſtris expeditio magnas vtilitates attulit oppidis multis, pagiſque, quos percurſauere docendo. Ceterum ante diem vndecimum Calendas Octobres, circiter meridiem noctis, orta atrox tempeſtas, cum ſæuo terrore fulminum, impetuque ventorum, magna calamitate affecit prædia ſuburbana, deiecitque turrim Collegij cum ære campano: quæ, et ſubito caſu incubans fornici cuiuſdam ſacelli, eum concuſsit minuitque. At ciuitas miſeratione commota largam contribuit pecuniam damno reſarciendo.

GRANATENSIS gymnaſij exercitationes litterariæ ab accommodato dialogo repetitæ. Domi, decem e noſtris priuatis ſcholis informantur ad ſtudia humanitatis, ipſi videlicet mox magiſtri futuri: incumbitur etiam ad lucra animarum: mane, diebus feſtis, obeunt noſtri capacem vrbem, et infimam plebem occupatam nihil agendo, opportune importune inſtantes, compellunt intrare templum audiendæ rei diuinæ. exeunt et a meridie, vt erudiant indoctos, quos adducunt deinde ad templum numero ingenti: ingreſſos excipit vnus accommoda-

modata cohortatione,ſeu narratione pij exem pli . ſunt , et parati ſacerdotes, qui dent aurem confitentibus: et fratres noſtri,qui cogitantes confeſsionem præparent ad recte confitendum. datur etiam opera in valetudinario decumbentibus . Hæc inter,tres profectiones ſuſceptæ : de quibus ordine aliquid dicendum . Itum eſt Oſcam: nomen eſt vrbis antiquæ: vbi ſunt commorati ad dies quinquaginta, concionando , audiendo dies noctesque continuato labore, Catechiſmum docendo, noſocomia,et cuſtodias publicas inuiſendo,diſc ordes pacificando : quod poſtremum opus , quo deſiderabatur magis, vtilius fuit . Percurſa etiam a ſacerdotibus duobus ſeptem caſtella , vicique huius ditionis: bimeſtre ſpatium fructu ſuperante : et præſidio multis ſubſidioque fuere: in his cuidam , qui finem miſeriarum præcipiti in puteum corporis iactu quærere cogitabat ; quamquam profuit quoque , vt liberaretur ab inſania, auxilium beatæ Annæ, quam in magno curarum æſtu ſuppliciter inuocabat . Puella probri inſimulata , ita crimen Chriſtiano animo tulit , vt ignoſceret eius auctori : illam ſibi dictitans ſpecioſam fore vltionem,ſi daret operam , vt vita refelleret maledictum . Denique adita caſtella Granatæ,inædificata montibus , Maurorum olim receptacula , nunc Chriſtianorum quidem domicilia, ſed rudium adeo, vt elementa noſtræ religionis omnis ætas ſexuſque

que pariter ignoret: ſeptimo quoque aut octauo menſe, intereſſe contingit rei diuinæ: ſemel anno concioni: raris vtuntur Parochis, qui, et ipſi indigent magiſtris. exceperunt noſtros benigno vultu: et quamquam in docendis illis, ac dedocendis, ſuper ceteras difficultates, rerum inopia laboratum eſt, tamen magnitudo vtilitatis fallebat ſenſum laboris. excurſio bimeſtris fuit: nec obiri potuere omnia oppida, ſeu quoniam ipſa multa, ſiue quia imminebat hiems, inſuetis corporibus vix ferenda. amorem ſuum erga noſtros demonſtrauerunt maxime oppidani in eorum diſceſſu: cum confuſis vocibus flentes orarēt reditum maturiorem. Ceterum Granatæ deterriti quidam a viro innocente flagitij incuſando, quod ſupra bonum atque honeſtum facere decreuerant. Denique eo die, quo pro concione enarratur hiſtoria Mariæ Magdalenæ in pœnitentiam verſæ, tetigit Deus mentem mulierum aliquarum ambitioſæ pulchritudinis, vt eius exemplum ſequerentur. abiecit vnus propoſitum interficiendæ vxoris: nec defuere in templo, qui odiū ſe deponere teſtabantur mutuis amplexibus.

MONTELANVM, VAEZANVM, Malacenſe, Collegia.

IN MONTELANO genus quoddam febris, quæ vulgabatur contactu, incidit in ple-

rosque

roſque noſtrorum, neque vllum extinxit. Conſuetudo prælegendi e pijs libris aliquid veſpere diebus feſtis in externorum conuentu, non intermittitur. In quodam oppido quadragintadialis expeditio, importunas conſuetudines abolendo, illicitas pactiones reſcindendo, eos qui tenentur in carcere, adiutando, perutilis fuit. Multi e noſtris diſcipulis in diuerſis cœnobijs religionem complexi.

EX VAEZANO etiam miſsiones vtiles factæ. At in vrbe, Aduentus, Quadrageſimæque ſingulis hebdomadis, quarta quaque ſextaque feria ad nos diſcipuli Academiæ publicæ confluunt, corpori flagris affligendo: ijdem duobus e noſtris hortatoribus, et ducibus, diebus Sabbati adeunt carcerem, vt vinctos ſubleuent ſolenturque. excurſiones ſuburbanæ breues, ſed fructuoſæ fuere.

MALACENSI oblata materia declarandæ caritatis. Quo enim tempore claſsis Hiſpanienſis, naufragio facto, ferebatur Oceano, delatæ huc ſunt naues Neapolitanorũ duæ, turribus ac tabulatis alleuatæ in ſpeciem caſtellorum: morbidi milites, et rerum omnium egeni, vtraque vehebantur: tum noſtri, omni eorum procuratione ſuſcepta, partem ad Collegium ducunt, partem ad valetudinaria, et ad piorum domicilia: dederuntque operam, præparantes quod erat futurum vſui ac rebus ægrotantium, vt nihil eis deeſſet: ita breui om-

ui omnes conualuere: proſperum deinde nacti ventum, ſoluere in Italiam de acceptis beneficijs nobis gratias agentes. ſuam etiam benignitatem ciuitas ipſa in ædificatione templi Collegijque oſtendit.

COLLEGIVM MARCENENSE, Gaditanum, Triguerenſe, Xerenſe.

DE MARCENENSI, Gaditanoque, præter vſitata, illud vnum dixerim: ex vtroque binas profectiones ad numeroſas binas ciuitates cum fructu extitiſſe.

IN GADITANO, graui periculoſoque morbo correpti multi, Dei beneficio, euaſere. excurrere interim in oppida vicina concionabundi, et inueterata aliquorum odia, qui multis abhinc annis, non mutuum modo colloquium, ſed etiam aſpectum vitauerant, reſtincta. Vnus qui notam falſi criminis cum ferre non poſſet, ter collo reſtem circumdederat, vt infamiæ remedium a laqueo impetraret, ad meliorem mentem reductus. Ceterum, cum caritas annonæ ſolicitam haberet ciuitatem, pauperes laborantes fame, ſacerdos pro concione commendauit: ipſe dein, cum exiſſet facturus periculum ciuium liberalitatis, permultum frumenti corrogauit paupertati ſuſtentandæ. Pueris elementarijs in hoc Collegio et Marcenenſi nauatur opera diligenter. nec eſt paruus labor in tanta ſtrepentium multitudine. in Mar-

cenenſi ſcilicet quadringenti: ita plerumque cum indulgentia non eſt intellecta, adhibenda ſeueritas, vt ſentiatur: qua tamen in re, tenerum non infirmatur æuum, ſed informatur ingenium.

DE XERENSI intelligi poſſunt eadem, etiamſi non dicantur.

ECCIZENSIS, CACORLANA, Vbedana, ſedes.

ECCIZA vrbs eſt Bæticæ frequens, et opulenta, inter primas: Aſtygin antiquis dictam volunt: in hac, cum templo carerent noſtri, diuque vſi eſſent alieno, vt liberarent Parochum moleſtia, domi ſuæ ad tempus fecere, cui eſſet nomen a Sancto Fulgentio, quo Ecciza vrbs ſuo olim Epiſcopo gloriatur. et eſt, vt nunc quidem, anguſtum, inſtructum tamen, et accommodum vſui noſtrorum. hoc ita acceptum fuit ciuitati, vt ſuper oblata munera, voto ſe obligarit, quotannis diem anniuerſarium ita celebraturam, vt ſollemni pompa veniatur ad templum. Ceterum, cum indituri eſſemus ſacroſanctam Euchariſtiam in tabernaculum, idque facere vellemus priuato officio, non eſt permiſſum: indicta communis ſupplicatio, et celebris, qualis viſitur feſto die ſanctiſsimi ſacramenti: omneſque religioſorum ordines, pro ſequente vniuerſa ciuitate, confluxere ad nos,

mirabi-

mirabili gratulatione: ciues præterea a Catholico rege, ex publico agro, ad quadriennium impetrauit tantum ſeponi, quantum ſatis ſit ad conficiendos millenos aureos, adiuuandæ ædificationi Collegij.

CACORLANIS nimium longum videtur, dum ſedes mutetur cum Collegio, et iam rex facultatem cōceſsit. quam ad rem multum profuere commendationes, et vota vicinorum.

NEC MINVS Senatus Populuſque Vbedanus ampliorem noſtrorum numerum expectat: egerunt cum Iaenſi Epiſcopo de vrgendo negotio: is ad quinquennium ſeptena millia aſſignauit. acuere ciuium ſtudia noſtri magnitudine officiorum: neque enim alijs artibus retinetur, quam quibus ab initio parata eſt, populorum beneuolentia.

PRO-

PROVINCIA PERVANA.

QVO PRIMVM ANNO annales ſcribere cœpimus, reſque duorum annorum octogeſimi ſexti ſeptimique coniunximus, anno videlicet abhinc tertio, non paruus a me labor ſuſceptus eſt in explicandis capitibus, quæ non e digeſtis commentarijs, vt fert conſuetudo, ſed ex multarum exemplis litterarum, fuere conficienda. Nunc diſtinctius accepi res anni octogeſimi ſeptimi: annorum ptæterea duorum conſequentium, octaui et noni: de quibus iunctim ſcribemus. Ac de octogeſimo quidem ſeptimo non repetam, quæ ſunt clare perſcripta: ſi quid eſſe videbitur, quod afferat maiorem lucem narrationi, ſeu voluptatem audientibus, addito breui admonito, ne lateat quod agitur, ſuis locis reddemus: ſed, meo more, ſimpliciter tantum, vt res ipſa intelligatur. igitur, ab hac veluti præfatione, rem ipſam aggredior.

LABORARVNT in Peruana Prouincia, poſteriore anno: recentiorem enim numerum magis animus audire expetit: ſex Collegijs, Reſidentijs tribus, tribus item Miſſionibus, ſocij centum octoginta nouem. In Collegio Limenſi cum adnexo Nouitiatu octoginta ſeptem:

ſeptem: in Cuſchenſi tres et viginti: in Potoſino, et quod proxime acceſsit, Chitenſi, ternideni: in Arequipenſi duodecim: decem in Iulienſi: in Sancti Iacobi duo: in Miſsione ad Sanctam Crucem quinque: in Tucumana tres: totidem in nouo regno Granatenſi. Priore anno demortui ſex. Poſteriore decem. Illo, in eorum vicem ſubſtituti viginti quattuor: hoc vero, nouem. Sed auxit numerus ſubſidio ſociorum ex Hiſpania venientium, qui omnes incolumes læti que Limam appulerunt, peruigilio beati Andreæ: tribus exceptis, qui Carthagine flexerunt in Granatenſe regnum: et quodam alio, qui cum Panamæ remanſiſſet, paulo poſt morte ſublatus eſt. In hac porro nauigatione, ſiue in naui ipſa, ſiue, cum aduerſa tempeſtate quieſcendum fuit, in aliqua terra, excitandis ad Dei amorem, erudiendiſque conuectoribus, remigibuſque, verbo et exemplo, noſtrorum induſtria et vigilantia, quæ debuit: diceres Collegium, et puſillam vrbem vna nauigare: ita diſtributis temporibus, muneribuſque, diuidente horas nautico ſigno, nullum fere prætermittebatur, quantum patiebantur anguſtiæ loci ac temporis, quaſi vrbanam erga multitudinem, officium noſtræ Societatis. ad Dominicam inſulam cum claſsis applicuiſſet, nautæque, quantacumque quiete temporis ſimul corpora reficerent, animoſque longa nauigatione defatigatos, noſtri in littore plicalitem aram expoſuerunt,

runt, vbi vno ſacrificante, communicarunt ceteri, inſigni prorſus ſpectaculo. nemo enim aſpiciebat, quin cogitaret, non ſine lacrimis, immaculatam hoſtiam, et incruentum ſacrificium offerri Deo, in illo tractu, vbi truces homines ac feri, luporum animos et inexplebiles ſanguinis habentes, ipſorum etiam barbari barbarorum, humanis corporibus veſcerentur. Carthagine, a matrona quadam nobili et opulenta, ægre et cunctanter, nec niſi Prætoris iuſſu excepti ſunt: apud eam cum eſſent, ita emollierunt immitem animum mulieris, comitate et alloquijs officia prouocantes, vt recedentibus non ſolum recuſaret omnem mercedem domus conductæ, ſed vltro cunctas opes, ipſumque adeo filium puerum optimæ indolis quem habebat vnicum, Societati offerret. Atque hæc vniuerſe. Nunc ſingula perſequamur.

COLLEGIVM LIMENSE.

A MAXIMO HVIVS Prouinciæ Collegio quaſi a capite ac ſeminario, plurima in proximorũ ſalutem officia extitere: multique e noſtris, ſacris ordinibus initiati, ad adiuuãdos alios in varijs locis, vt ſuccederent veteranis nouitij, feſſis integri, de more ſubmiſsi. ac ſedecim quidẽ anno priore: quo etiã ſacerdos vnus, poſt quã ſex et triginta annos in Societate expleſſet, grãde omnino ſpatiũ mortalis æui, defa-

tigatus

tigatus magis, quam ſaturatus laboribus pro Chriſto ſuſceptis, ad eorum præmium euolauit. Nullum eſt Societatis munus, quod non diligentiſsime obeatur a noſtris. Triplici hominum generi operam nauant, Hiſpanis, Indis, Aethiopibus. Horum capita amplius decem millia cenſentur: rudi omnes et agreſti homines ingenio, et ad cæleſte conuiuium compellendi. Indorum mitius eſt genus, et ad pietatem propenſius: ad hos atque ad illos, diebus Dominicis quaternæ conciones, in templo foriſque, corrogantibus vndecumque fratribus quantam maximam poſſunt multitudinem, habentur. Vtrorumque Sodalitates domi noſtræ: et prælucent ſodales reliquis virtute, et exemplo: horum admonitu, noſtri occurrunt plerumque multorum nequitiæ, obſcenis ludis, ebrietati maxime: eſt enim gens plurimum effuſa in vinum, quo plerumque incaleſcente, excitantur ſanguineæ rixæ. Catecheſis Quadrageſima feruet, cum ſequeſtra æſtate litterarum ſtudia proferuntur: etſi poſteriore anno, ad aliquod tempus res Scholaſtica intermiſſa, ſæuiente peſte: reuocata deinde, pluribus diſcipulis morte amiſsis. Congregatio quæ ſibi beatæ Virginis ſine macula conceptæ præſcripſit nomen, nouis aucta decretis Pontificijs, ad peccatorum veniam conſequendam, donataque inſuper vno capite e ſacro choro vndecim millium virginum, quæ morte vicerunt, permagnos in

pietate et doctrina proceſſus habet. Seminarij Martiniani, quod inceptũ perſectũque eſt ſuaſu noſtrorum, maior nunc cura ſuſcepta: degunt in eo iam duo e noſtris, vt ope conſilioque adiuuent res Seminarij, animoſque conuictorum: et ſpes eſt reditus propediem auctum iri. nam præter aureos millenos quingenos ſtatos ac ſollemnes, duo millia a rege Catholico perſcripta dicuntur. ita imminuta cura rerum externarum, amplior erit collegarum numerus, et arctior illius Collegij diſciplina. Non parum etiam auctum vectigal noſtri Collegij, acceſsione hereditatis, quam vir nobilis moriens, et cum vxore in templo noſtro ſepultus, teſtamento reliquit. ea, niſi altera interueniſſet, huius Collegij fundationi, ſuperioribus annis, ſatis videbatur futura. multum etiam acceſsit ad ornatum templi: impenſa omnis aureum tribus millibus æſtimetur: non minoris: nec veſtem numero intextam auro, quam vir pius et locuples miſit ad amictum ſacerdotis, et altaris, ſacro faciundo. Eſt e numero noſtrorum fratrum, vnus mirus artifex pingendi, vt eius nomen toto regno inclaruerit. is præcipua Chriſti Domini myſteria rettulit in tabulas viginti ſex, altas vlnis vndenis, quindenis latas; quibus et ædem circumueſtijt, tanta cum elegantia et cura, vt intuentium oculos longa teneant admiratione defixos. magna autem communiter omnium erga nos beneuolentia:

ſed et nonnulli infeſti: e quibus vnus cum in ſa-
cerdotem noſtrum quattuor ante annos graue
crimen confinxiſſet, et perſeueraret in contu-
macia, repentino correptus morbo, eumdem
accerſijt, a quo cum eſſet ſupremis tribus ſa-
cramentis inſtructus, vocibus morientibus, re-
tractauit dicta, idque voluit litteris conſigna-
ri: conualuit poſtmodum, non ſine miraculo, ſe-
ſeque abdidit in cœnobium religioſorum. Nec
minus hoc miraculum, quod quidam narrauit.
Cum abſterſiſſet confeſsione maculas mentis,
eo ipſo die, immemor propoſiti ſeſe rurſus fœ-
dauit: nocte quæ conſecuta eſt proxime, tale eſt
ei viſum obiectum. Angelus tutelaris duos li-
bros manu habebat, in vnum referebat nomi-
na æternis flammis addictorum, innumera: in
alterum cælo dignatorum, perpauca: atque ex
hoc expunxit nomen ipſius, et tranſcripſit in il-
lũ: at is ſubito dolore ictus deleturum ſe lacri-
mis, et confeſsione peccatum quod admiſit,
pollicetur: cum faceret fidem, ſtatim ſe trans-
latum in priores tabulas eſſe conſpexit. Sed
hæc videlicet contrita, et cuilibet tempori cō-
munia. repetemus quiddam anni poſterioris
proprium: ab hoc veluti exordio. Alter annus
agitur, ex quo atrox peſtilentia hanc oram
vniuerſam inſedit: Carthagine primum ſe ex-
tulit, quæ Lima abeſt leucis ſeptingentis ver-
ſus Septemtriones: inde Chitũ ſe extendit, Po-
toſiumque ac Peruanam omnem regionem,

qua ad Auſtrum vergit, peruagata eſt: ſic vt Chilenſe etiam regnum, haud procul freto Magallanico, per horrificam ſtragem via ſibi facta penetrarit: iiſdem fere locis, vt proxime eſt ſcriptum, non ita pridem tremuerat terra: vt vere conſtet philoſophari affirmantes poſt magnos terrarum motus fieri plerumque peſtilentiam. ſæuum malum, ac funeſtum, quale numquã fuiſſe meminere homines: atque haud ſcio an litteræ teſtentur. Aliæ peſtes, de quibus audiuimus aliquid, aut legimus, certos intra terrarum tractus anguſtis finibus ſe tenuere: hæc leucas amplius mille ducentas, a Granatenſi regno ad Chilenſe, longe lateque peruaſit: illæ varietate temporũ aut locorum oblanguerunt: quippe nec durarunt diu, nec vmquam fere aliter, niſi hieme exarſere: hæc vlli tempeſtati non ceſsit, circumque fere omnes terras depopulata eſt, ſitu licet ac natura diſtantes: earum aliæ nimio æſtu torrentur: aliæ rigeſcunt frigoribus: ſunt quæ perpetuis imbribus inundant: arent aliquæ, ne leui quidem guttula inſperſæ: ſunt diuerſa inter oppida vaſtæ ſolitudines, longa telluris mariſque ſpatia interiecta: hæc omnia peſtis vno habuit ordine, nec cuiquam loco pepercit. aliæ denique nullam hominum ætatem, aut condicionem eximiam habentes, vna lue quamplurimos comprehendere: hæc, quod mirum ſit, in indigenas dumtaxat ſæuiens, corripuit omnes, quibuſ-

dam

dam tantum exceptis, exacta ætate: Hiſpanos, et qui ex alijs gentibus erant accolæ, præterijt. Puſtulæ erant immundæ, et papulæ ardentes, quibus quaſi inuſtis, vt fit cum ſacer ignis ſerpit per membra, rubebat corpus, et in prominentia vlcera in ſolidam cruſtam concreſcebant: eodē malo aridæ fauces, et ab alto trahentes grauem ſpiritū, commiſta querela premebantur, vt exilem vocem et eluctantem vix redderent, infuſum liquorem vix acciperent, et plerumque in os canaliculo inſerto: ſic periere multi anima intercluſa: non pauci amiſere vtraque lumina oculorum, multo plures alterū, tabe erodente. genus morbi dixiſſes, grauius, quam vt oratio exprimere, acerbius, quam vt natura hominum perferre queat. tætrum e corpore odorem iaciebant omnes, nec niſi compreſsis naribus tolerabilem. et erant applicandæ aures ad fœda ora confitentium, vocis via ſepta vlceribus coeunte. rem omnino miſeram, et ante hoc tempus inauditam. erant qui pellem ſibi toto e corpore, erant qui e vultu, qui e manibus, membranam cruſta obductam et ſanie, deriperent. exuuias triſtes. infelicia ſimulacra, non homines videbantur, nec quicquam in illis præter vocem poterat agnoſci. ægrotis domus repletæ, et funeribus, acerborum cauſam luctuum dolorūque, ac plurimam imaginē mortis, viſu audituque ſimul attonitis afferebant. nec minus miſerabile erat, quod vbi quiſ-

que ægrotare cœpiſſet, mærore ſtatim ac deſperatione proſtratus, non magis recuperationem valetudinis, quam celeritatem mortis optabat: et nemo fere aſsiſtebat, præter noſtros, morienti, quod auidi contagia morbi metuerentur: quod ſi quis, officij cauſa, pudore victus aut miſericordia, accederet, eodem gurgite abripiebatur mergendus: augebat faciem miſeriarum, quod horrida cadauera, et miſeranda, ſine funebri cantu, aut campanarum pulſu, nedum ſine exequijs; et pompa, feſtinantis manibus exportantium obruebantur terra, ne mortuorum cauſa, moribundi deſererentur. trimeſtri ſpatio tria amplius millia Indorum Limæ extincta. Pleni fuere immenſi laboris, hoc tempore, ſocij: ſuper inſitam curam, neceſsitate ipſa, quæ ſegnes quoque impelleret, ſtimulos addente. cum lucis principio egredientes domo ſacro peracto, ſacroſanctum oleum deferebant, inungendis infirmis: redibant cum Sol meridie ſe inclinaſſet: exibant iterũ, et regrediebãtur ſub noctem: idem recurrebat opus cum Aurora diem ducente: quamquam ne nox quidem vacua erat, qua ſubinde accerſebantur. Quod ſi, quæ hic a noſtris ad Dei gloriam geſta, enumerãda eſſent, non maior appareret Ilias malorum ciuitatis, quam ſilua bonorum operum. quotus enim quiſque ex affectis, non totius vitæ maculas confeſsione eluit? non omnia ſacerdotis mandata liben-

ter,

ter, prolixe, celeriter exhauſit? male parta reſtituere, à turpi pellicatu ſe remouere, cum inimicis redire in gratiam, infidelem animũ, et quem hactenus Chriſtianum nomen nudum obumbrauerat, luſtralibus aquis purgare, communia erant. Magna vero res eſt, et vltra quam credi poteſt, admiranda, quantopere expeterent Indi ſacramentum extremæ Vnctionis: quã ſine illo exire metuerent. quod omnibus in locis ſimiliter animaduerſum. in Noſodochio, vbi per duos menſes fuit ſacerdos cum ſocio, auxilio laborãtium, cum quaternos denos plus minus quotidie fœda lues auferret, Indus quidam, qui iam ex morbo videbatur conualuiſſe, contenta voce ſacerdotem orat, ne patiatur ſe diſcedere non ante perunctum. cum ſanæ mentis non haberetur, An non videtis, inquit, virginem pulcherrimam, quæ me in viam inuitat, admonetque ſupremæ vnctionis? non vanum fuit viſum, aut irritum votum. vbi mos geſtus petenti, deceſsit. et quamquam mihi deſtinatum eſt perſequi breuitatem: hoc tamen loco reponam aliquid, licet ad annales minime pertinens, et leue fortaſſe memoratu, quod opinor non erit ingratum noſtris, qui ſcrutantur ſecreta naturæ. Mulier grauida, cui, correpta cum eſſet morbo, detractus eſt ſanguis venarum ſectione, et cucurbitulis, fetum edidit prope maturum, qui in paruulo corpuſculo, iiſdem locis, quibus mater ſcarificata eſt ferro, cica-

 tricum

tricum imaginem referebat. fuerit hæc breuis egreſsio. E noſtris, contacti peſte quotquot orti in his regionibus, præter fratrem vnum, qui cum dies noctesque aſsideret decumbentibus, eosque, ad corpora leuanda ſanguine, et manu curaret, et ferro, propter multorum ſalutem remanſit intactus: de qua alioquin actū erat, ipſo laborante. Tres tamen e noſtris, ſacerdos vnus, et fratres duo, peſte amiſsi: etſi, per idem ferme tempus, tres alij varijs affecti morbis, ſacerdotes duo, et frater vnus obiere. Grauis in his omnibus iactura, ſed in Patre Hieronymo Portillo, vtique grauiſsima. Is primus Societatis nomen in has oras inuexit, ante hos annos duos et viginti: is rem noſtram multis in locis fundauit, auxitque. inſignis vir pietate, ac meritis, magnaque apud omnes auctoritate, quam ei cani quidem et rugæ, ſed multo magis integre ſancteque acta ſuperior ætas afferebat: haud facile multos inuenias, qui ſe inuictos magis præſtiterint a labore: tantæ vero fuit, in conuertendis ad Deum hominibus, induſtriæ ac dexteritatis, vt ingentem noſtris reliquerit luctum, et æmulationem virtutum: quantum vero Indis mærorem ac deſiderium, declarauerunt lacrimæ mulierum, virorumque templum illud vbi ſepeliēdum erat corpus, miſeranda lamentatione complentium. Ceterum in diuerſa loca excurſum ſæpius a noſtris. Cum peſtis conſenuiſſet domi, et foris eſſet adulta,

ſacer-

ſacerdotes duo miſsi cum ſocio, ex Archiepiſcopi præſcripto, oppida quadraginta peragrarunt: quod ſi prætermiſſum fuiſſet, magnam partem qui deceſſerunt, ſacramento confeſsionis, extrema omnes vnctione caruiſſent. igitur dum alter ſacerdos, ſocio ſermonum interprete, dat aures confitentibus, alter venatui animarum intentus cum iter facit per loca inuia et abrupta, aberrat a via, nec ſine numine: incidit in hominem ſemiuiuum, ac vix ſpirantem, quem ſimul atque auditum abſoluit a peccatis, ſacroque oleo ad pugnam extremã inunxit, vita deſtituit. et quamquã ſæpe illorũ vita, in longo et laborioſo itinere, cuius difficultas narrari vix poteſt, in extremum adducta eſt, laborem fructu penſante libenter omnia tolerabantur. nec minor fructus aliorum in alijs expeditionibus. Deſignatus Procurator huius Prouinciæ cum Romam nauigaret, in naui qua vehebatur, plurimum profuit conuectoribus ſuis. ſuper cetera inſtituta, illud fuit non contemnendum, multorum mercatorum diuitum ludendi licentiæ coercendæ; vt nefas eſſet vltra certam quamdam ſummam luſum extendere: vt in Dei nomen violantes aut Cælitum, imponeretur multa, mox animarum, quæ purgante igne luűt commiſſa, alleuamento futura. Eumdem ſacerdotem præſenti mortis periculo eripuit bonitas diuina: maius æneum tormentum, dum in portu Panamæ, magna vi diſploditur, lætitiæ ſigni-

gnificandæ, diſſiluit repentino impetu, ſed proximum non attigit. Duo item patres cum ſocio Potoſium deſtinati, ſollemnibus Chriſti corporis ferijs, Guamangæ (vrbs Cuſcum verſus diſtat leucis octoginta) pedem fixerunt. dies hic poſuerunt octo. Indorum vnus animos, alter Hiſpanorum, concionibus excitans, confeſsionibus expurgans: tam vtilis iucunduſque vterque vtriſque, vt eos ab ſe ciuitas inuita dimitteret: de domicilio Societati conſtituendo cogitaret. et aſſignabat vnus domum, ac trecenos aureos nummos, alter quadringenos: reliquum ciues ipſi concedebant: Indi ad ædificationem templi Collegijque operam et laborem pollicebantur. viſum eſt non reijcere quidem, ſed differre ad tempus, vt creſceret dilatione cupiditas, et hoc veluti experimento notior fieret conſtantia petentium. ita autem probarunt noſtri operam ſuam Indis Hiſpaniſque, vt eorum aduentus ſemper fuerint apparati, et diſceſſus acerbi.

CVSCHENSE COLLEGIVM.

INTER EOS, QVI dederunt ſe noſtris meditationibus ad pietatem excolendos, quidam fraudatæ pecuniæ ſummam, quæ accederet ad aureorum duodecim millia, reſtituit. Permultorum iræ rixæque placatæ. Vidua primaria, quæ lucroſam ſibi litem, ſed iniuſtam,

ſextum

ſextum iam annum alebat, graui oppreſſa mor bo, exigua in ſpe trahebat animam, et agi videbatur de illa, deque re aureorum trecentorum millium in iudicium adducta. ad eam cum ſe admitti cuperent noſtri, aditu prohibebantur: bono tamen dolo cum irrepſiſſet ſacerdos, fruſtra habitus, domum reuertitur: nempe ad expugnandam muliebrem pertinaciam ſeptam auaritia, maior erat machina adhibenda: inſequenti nocte pauidam et vecordem conſcientia ſpectrum mariti perterrefacit: e veſtigio ſacerdotem accerſit: de eius ſententia, mul tis præſentibus, teſtatur, nihil ſibi eſſe iuris in eam cauſam, quæ habebatur controuerſa: quin et aduerſarijs quantum inſumpſiſſent, iuſſit rependi. paucis poſt diebus valetudini reſtituta eſt: et nunc ſacroſancta myſteria in templo noſtro religioſe frequentat. Prauæ conſuetudines, quæ a paruis ſeminibus, irriguæ voluptate, ita altas radices egerant, vt viderentur excindi non poſſe, ſtirpitus euulſæ. hoc dum fit, fieri non potuit, quin offenderentur animi aliquorum. et fuit, qui de noſtra fama detrahere cogitauit: idem autem percuſſus morbo, in eoque vſus conſilio auxilioque noſtrorum, mentem ad ſaniora conuertit. Indorum ſalus (in vrbe quinquaginta millia, extra vrbem intra trigeſimum lapidem ducenta millia numerantur) ſtrenue procuratur: et laborem compēſat tum fructus, tum ipſorum erga noſtros beneuolen-

tia

tia. confitentium priore anno (nam de poſteriore dicetur ſuo loco) admirabilis concurſus. vt, dum qui prius venere, prius expediuntur, pleriſque quintumdecimum diem expectare contigerit: interea illorum animi Catecheſi, et cibo corpora inſtaurabantur. etſi apud nos quotidie triceni pauperes, ſæpe etiam quadrageni aluntur: in his cæci aliquot ſunt tãta memoria, vt (cum omnia didicerint quæ pertinent ad doctrinam Chriſtianam, multa teneant exempla, quibus et illa gens maxime capitur, et præcepta firmantur) rudiores inſtituant. ij dimiſsi in varia oppida curionum rogatu, eidem negotio præficiuntur. Sed iam communia omittantur. Manarij, gens eſt armis ferox, et ſeruitij inſolita, montibus munita et ſiluis, quarum ſolitudinibus animi quoque inſtruuntur: ſagittas armant veneno: atque ita gemino vulnere hoſtem inſectantur: et non numquam ingentem ſtragem Hiſpanorum edidere. Huc penetrauit vnus e noſtris, Deoque duce effecit, vt aliqui eorum Chriſtiana ſacra complecterentur. ex ijs viginti, accepta fide publica, ad Coiam (ipſorum lingua reginam ſonat) acceſſerunt. eſt hæc vltimi regis filia, e nobiliſsima Ingarum ſtirpe, cum illuſtri pioque in primis viro Martino Garzia, e gẽte Loiolæa, qua Patrem noſtrum Ignatium cognatione attingit, matrimonio iuncta: ad hanc igitur cum veniſſent, eique munera obtuliſſent,

quæ

quæ ſecum afferebant, oſtenderunt legationis cauſam non eſſe aliam, niſi vt ſecũ adducerent aliquos e Ieſuitis, quibus magiſtris ad fidẽ vterentur: proinde orare eam, et obteſtari, vt quãdoquidem e ſuis olim regibus duceret genus, ipſorũ ne legatio fruſtra eſſet: pollicita eſt illa, ſe, quantã poſſet operam daturam: agit ea de re cum Patre Rectore: mox etiam Manarij ad Collegium miſsi, et accepti peramanter a noſtris, donatique: diſceſſere deinde, vt referrent quid eſſet actum: redituri propediem, vt adducerent quos impetraſſent: duos interea pueros Dynaſtarũ filios obſides reliquerunt. Quod ſi ad eos datur aditus, qui hactenus fuit intercluſus, ſpes quædã nos obtentat fore, vt magnũ Euangelio oſtium aperiatur. Vltra enim Manarios pateſcunt regiones peramplæ ſedentium in tenebris, et vmbra mortis: nec niſi per illos eſt tranſitus: ſed lux ipſa mundi viam ſe ſequentibus: hi porro lucem in eam credituris oſtendent. Templum octo ante annos inchoatum, abſolutum eſt ea dignitate et amplitudine, vt hoc nouo terrarum orbe, fere nihil illuſtrius. ad illud ſupplicatum eſt in ferijs Chriſti corporis, tanta gratulatione populorum, et multitudine, vt prope excedat fidem. concurrebatur quaſi ad communem lætitiam, vel e remotis locis, ab Hiſpanis Indiſque: et celebritas pompæ, et ſpecies templi inſatiabilibus oculis luſtrabatur a cunctis. Per ipſos octo dies, inter apparatus ciuita-

ciuitatis, et ſollemnia religionis, ludi magnifici ac ſplendidi erant inſtructi : ſimulacra edebantur pugnæ, aliaque ludicra Indorum, patrijs inſignibus veterum res geſtas referentia. ſed bidui tantum ſpectaculum fuit, horridum caput attollente Inuidia, quæ, vt ſæpe fit, vrget, qua poteſt, infamia intactos. data eſt in ſcena conuerſio beatæ Magdalenæ, tanta actorum venuſtate et elegantia, vt admirantium oculis lacrimæ excuterentur: pronuntiatæ orationes Hiſpanæ Latinæque apud Hiſpanos, Indicæ apud Indos, a pueris Hiſpanis Indiſque, æqua dicentium laude, et audientium approbatione. variæ excurſiones de more huius Collegij factæ: magnique fructus percepti ex Indis: vt facile eſt perſuadere illis, qui ſe amari intelligant. etſi etiam ipſi ſunt Societatis noſtræ amantiſsimi. leue eſt quidem quod ſequitur: ſed quoniam non ingratum erit auditu, nec ita longum, non erit narrare abſurdum. Cœnobita quidam, vt ipſe nobis poſtea retulit cum iucunda quadam hilaritate, cum iter faciens prima nocte diuertiſſet ad oppidum Indorum, ex ſimilitudine nigri habitus tegente caput galero, et tenebris, acceptus pro noſtro, humaneque tractatus eſt, res omnes, quæ eſſent neceſſariæ ipſi, iumentoque, multis hominibus certatim conferentibus: et intellexit ille errorem: ſed quoniam vtilem experiebatur, modeſtia vultus, et moderatione ſermonis diſſimula-

mulabat: verum, vt difficile eſt alienam perſonam diutius ſuſtinere, neſcio quid prodidit hominem: et ſimulatio patefacta: tum labi paulatim officia, et homines ipſi defluere: atque is, cuius modo cubiculum non capiebat cupidos obſequendi, ita derelictus eſt ab omnibus, vt et à quo miniſtraretur aqua, puerum deſideraret: tantum eſt erga nos ſtudium Indorum: quod et alias declararunt. Cum enim auditum eſſet, de matre vnius e noſtris, quem ipſi vnice diligebant, demortua in Hiſpania, eius exequias, nobis inſcijs, publice celebrarunt, ſacerdoti etiam externo, qui id nobis narrauit, vt pro ipſius anima aliquoties ſacrificaret, largam pecuniam obtulerunt. Hæc atque alia, Indorum erga nos beneuolentiam ſignificantia, tanta ſunt, vt noſter labor in ijs excolendis, et obeundis oppidis, pro debito fere haberi poſsit. In quadam perluſtratione oppidorum, ſacerdoti noſtro quiddam accidit, cuius narrationem paulo altius repetemus. Canonicus Cuſchenſis, vir qui ætate et conſilio ceteros anteibat, cum pro Epiſcopo diœceſim inuiſeret, in ſacerdotem quemdam, prout erat commeritus, animaduertit: quod cum iſte, vt eſt ſontium natura, qui ſupplicio affecti odere iudicem, grauius ferret, reponendæ iræ cupidus ſcenam in eum acerbi criminis parat, ex quo non modo fortunarum et opum, ſed vitæ etiam et famæ in periculum veniret. cum fer-

uereret accuſatio, in accuſatorē incidit noſter, qui Cuſchum iter intendebat cauſa iudicij: ſuſpicatus id quod erat, hominem ſeducit remotis arbitris, et primum varijs ſermonibus eius animum tentat: ad perterrefaciendum, grauia affert exēpla, quibus a Deo affecti homines maledici: tum comiter ſciſcitatur, an quæ detuliſſet de Canonico, vera eſſent: cum vultu ille, atque voce, æſtum præferens animi, incerta implicaret reſponſa, nec obſcura apparerent indicia trepidæ conſcientiæ: dein aperte hominem commonefacit, ne alterius famam lædendi libidine, ſuam ipſe animam perditum eat, neue tantum concipiat ſcelus, quo, incertum an noceat alij, certiſsimum ſeſe in exitium trahat. At ille modo numen horreſcere, modo odium, vltioniſque cupiditatem in conſilium adducere, ratione illud, hoc ira ſuadente: ſeſe miſerrimum omnium, ac ſceleſtiſsimum appellare: nunc frontem ferire, nunc femur: ſæpius tamen eo reuoluebatur, vt diceret, malle ſe crudeliter excruciatum millies mori, feralibus inferorum flammis addici, quam inultum impunitumque deſiſtere ab incepto: turpique opertum infamia, et probroſum, digito oſtendi in omni vita. erumpebant interim lacrimæ, et, quaſi tortore aliquo conſcientiā interius cruciante, non loco, non mente conſiſtere. implere hortum (ibi enim res agebatur) fremitu, gemituque, vt appareret certamen animi fluctuantis.

Quatri-

Quatriduum eſt in hac contentione conſumptum: cum maxime arderet dimicatio, et propius noſter abeſſet a victoria, aduerſarium vacillantēadmonet, vt confeſsione culpæ pacem veniamque a Deo impetret genibus flexis: cum perſtaret nihilo ſecius: Hic mane, inquit noſter, dum abeo precatum: valebit fortaſſe apud Deum, ſi minus perſona, at certe cauſa rogantis. ſimul hoc: ſimul cōcedit in cubiculum proximum, et flagellum in manu, et in corpore plagæ: quarum exauditus crepitus hominem repente mutauit, non ſine Deo: exeuntem ſacerdotem medium amplectitur, flens flentem: Me me, inquit, pater: adſum, qui feci: quin tu ſine nocentem verberari: et flagellum de manu extorquet. Tum vero idem ingreſſus cubiculum, ſic atrociter, nec finis memor, nec modi, ſe cædere, vt quater noſtrum ſatis eſſe clamantem non audierit. ita irruptione fuit opus: et vis adhibenda. at ille deficientibus viribus, iacuit ſemianimis. cum affuſa aqua reuocaſſet ſpiritum, ſub veſperam, in parte domus quammaxime reducta, in locum remotum, atque abditum, ipſe et ſacerdos conueniunt, cum Prætore oppidi, publicoque tabellione, et tribus præterea teſtibus. Hic ille crucifixi imaginem manu tenens, et prouolutus in genua, multis cum lacrimis precatur veniam a Deo, aperit culpam, et Canonicum, quem inſectabatur, et quemdam præterea Indum liberat inuidia cri-

minis falſi. tum facta peccatorum confeſsione, conditoque teſtamẽto, in quoddam cœnobium ſe abdit: id ſtabile ad pœnitentiam, id fidei vinculum ratus. vulgauit hoc fama per totum regnum: Prætor is qui interfuerat, teſtes eius rei litteras, atque indices ad Proregem dedit: vnde etiam aucta exiſtimatio Societatis. quamquã eam ſolitis artibus dæmon oppugnare non deſtitit. ſed nihil fictum diuturnum: veritas patuit: et, vt cerneretur, qui procerum regni erga nos eſſet animus, ea tempeſtas videtur exorta. damnatus impoſtor, qui et ſe ipſe indicauit morbo correptus: eique pœna, noſtris deprecantibus, quod oppido gratum quamplurimis fuit, imminuta. At ſacri Quæſitores, quorum apud haſce gentes maxima poteſtas, edixerunt, ne quis in poſterum religioſam aliquam familiam propter inuidiam verbis obteſrat, neue cuipiam religioſorum propter ſimultatem obſtrigillet. Atque hæc fere priore anno. Nam poſteriore peſtilentia deſæuijt, quæ et noſtrorum auxit laborem, et vtilitatem deprompſit. igitur, cuius hactenus audiebatur ſtrepitus in ſuburbanis, ſub menſem Septembrem torrentis more incubuit in vrbem: conuerſi animi frequentibus noſtrorum concionibus ad numen placandum, edictis ſupplicationibus ad tẽpla: et cũ iam multi oppreſsi eſſent morbo, ſacerdos publice cohortatus eſt omnes, vt ægroti cura, et largitione ſuſtentarẽtur.

eius

eius oratione commoti mercatores, eam procurationem ſibi depopoſcerunt, quam et ſuſtinuerunt egregie per integrum menſem. Interim, vt in re miſera, pulchrum erat videre, dominos famulis ſeruiētes, conſiſtentes ad lectũ, et quaſi eſſent ab ægris, quæ morbus, aut neceſſitas ferret, ſeduloque, et aſsidue miniſtrantes laborātibus: et pleriſque in domibus quinquagena, ſexagena mancipia iacebāt. at noſtri, inter ſe regiones vrbis partiti, ne qua ſupremæ opis indigeret, ægros audire, oleo ſancto inungere: quamquam hoc poſterius, ſuperfluēte numero cōfitentiũ, prætermiſſum: equo vehebantur medici, aliptæque animarum, iuuandæ feſtinationi: nec iam a mulieribus, pueriſque lacrimantibus vocabantur, ſed trahebantur certatim ad lectulos ægrotorum: ipſi autem non ſacra ſolum præſidia, ſed pugillares etiam e nucleis pineis, et e ſaccharo paſtillos, ægrotantibus ferre: erat enim quidam e noſtris, qui in ſæculo fuerat medicamentarius: hic ſuper alia, aquam linendis oculis, roſaceā, mulſam, abluendis faucibus, exiccandis puſtulis, vnguenta, aliaſque confecturas parabat: eaque omnia ianitor multo mane quotidie petentibus dabat. Toto hoc tempore multæ res acciderunt, e quibus carptim nonnullas, et vt quæque memoria dignæ videbuntur, abſoluam. Quidam in vitiorum cæno diu multumque volutatus incidit in morbum: tum ſecum peccata recogitans, et

diuinæ diffidens clementiæ, fratris vxorem, cum qua turpiter vixerat, interimere, et cruentas deinde manus ſibi afferre ſtatuerat. igitur cum grauiter illam vulneraſſet, ſeſe in profundam paludem tentauit immittere: inde tamen cum reuocatus eſſet a quibuſdam, quos factum non latebat, omnem reſpuebat medicinam: donec tandem admiſit ſacerdotem: itaque conuerſus eſt in pœnitentiam, vt poſtmodum conualeſcens diſſolutam vitam cum religioſa mutarit. Alter cum multos iam annos in plura flagitia ſe ingurgitaſſet, morti proximus volēs confiteri, obſtructis faucibus non poterat: imponit eius capiti ſacerdos reliquiariam thecā, in qua fruſtillum ſanctæ Crucis: tum ille liberiore ſpiritu meante. Vbi iſtud, inquit, quod habes manu, pater, meo capiti inſedit, loqui poſſum. tum confeſsionem peregit. Cum ad alium, qui varijs terrebatur cacodæmonum monſtris acceſsiſſet ſacerdos, ipſo in ingreſſu auditæ confuſæ voces, mutuo excedere hortantium: ſimulque ingens motus excedentium. at ille peccatis pariter abſolutus, moleſtiaque omni liberatus eſt. Vnus cum eodem morbo teneretur, Indorum ſuperſtitioni obnoxius, ſeſe e lecto proripiens, domum noſtram ſe contulit, vt ſi moreretur, per ianuam baptiſmi ingrederetur in cælum. alius Indus Chriſtianus, quaſi mori certus, ſingulorum domos obibat, apud quos ſe offendiſſe olim recordabatur, pa-

cem

cem, ab illis veniamque, mox etiam commeatum petebat: quod in craſtinum eſſet migraturus. veram fuiſſe præſagitionem mortis, rei exitus comprobauit. Sed et iuuenis quidam peſte tactus, ac metu mortis, dum admiſſas culpas deflet, Deumque orat, vt ſibi condonet, pro magnitudine miſericordiæ ipſius, videre viſus virum aſpectu habituque venerandum, in eius fletum irrumpentem, et contractis ſupercilijs affirmantem, nihil eſſe quod ſperaret vllius liberationem culpæ, aut veniam errati: miſericordia videlicet diuina in iracundiam verſa. Tum vero ægrotus ſeſe miſerum lamentari, ſublataque ſpe veniæ, de animæ ſalute actum eſſe dicere: aderat parens, conſolabatur ægrum animi, auertendo cogitationem a ſeueritate iudicis in clementiam patris: dum vel extremus halitus ſit homini, in Deo ſperãdum. mærentem interea, et inopem conſilij, arctior ſomnus amplectitur: ex quo non niſi poſt horas ſeptem excitatus, rupit hanc vocem. Gratia magna Ieſu Chriſto, qui me ex inferorum tenebris eripuit, et e profundo lacu. Narrauit poſt hæc nonnullos a ſe viſos, et duos præter ceteros (quos poſtea remotos longe in diſtantibus locis, certis nuntijs et litteris acceptum eſt diem ſuum obijſſe) deploratis nouiſsime rebus, miſerum lacrimantes, cum horribili eiulatu. addidit etiam a ſe alia audita viſaque, quæ perſequi longũ eſſet. Ex Indis, quorum opera in

domeſticis rebus vtimur, domi noſtræ deceſſere tres: eorũ vnus ob vitæ innocẽtiam, mirãque ſimplicitatẽ omnibus carus, ſupremis temporibus correptus eſt ſomno, vt pleriſque mortuus putaretur: experrectus deinde expoſuit ſe per quietem vidiſſe amœniſsimos hortos voluptarios, in quis pulcherrima virorum agmina mulierumque, in veſte auro cruceque conſpicua, plurima luce coruſcantium: in his aliquot e noſtris ſibi cognitos memorabat. Cum ſacerdos noſter hoc tempore inuectus publice in peccata cauſam malorum, admoneret homines, vt exterriti aliorum pœna, conuerterentur ad pœnitentiam, quod aduerſa caſuum non noceant, niſi præualeant illicita: quorum animos ſanare debuit, exulcerauit: vt quiſque erat ſibi ſcelerum conſcius, ſe notari putabat: nec clam ferebant iram aduerſus admonentem: ſed cum aliquot ex illis repentina morte corripuiſſet diuina vltio, in officio reliqui fuere. Ceterum in diuerſa loca expeditiones ſuſceptæ, earumque fructus ſileantur: vnius quidem ſacerdotis induſtria nonaginta a pellicibus auulſi. hoc ſit poſitum gratia exempli, ex quo reliqua cõiectes.

COLLEGIVM POTOSINVM.

MONS POTOSIVS, ad cuius radices Potoſium oppidum, cui nomen dedit, argenti metallis abundat, neque in alia parte

terra-

terrarum, tot ſæculis, tanta fertilitas: eam ob cauſam Hiſpani hic multi, Indi longe plurimi, occupati in opere faciendo: cuniculis per magna ſpatia actis cauatur terra ad lucernarum lumina: multiſque menſibus ab operis non cernitur dies. eruuntur lapides, e quibus quartam quamque partem argentum reperias. operarij deſcendunt ad fodinas, rurſuſque aſcendunt per ſcalas penſiles e corio crudo, octingenorum graduum millenumque, candelam ſiniſtra, dextro humero portantes pondus permiſto argẽto: quin etiam interdum illa altitudine, ac longitndine aſcenſus, oboritur vertigo oculorum, tenebræque, et laſsitudo etiam tanta, vt deficientibus animis viribuſque, decidãt nonnulli: et reperti ſunt, qui ſeſe abiecerunt cum onere, vt voluntaria morte depellerent mortis metum. Quingenti, anno ſuperiore, nocte, cui dies Deiparæ naſcẽti ſacer illuxit, dabant operam lapidi cædendo, cum interea collapſi fornices obſtructo ore cuniculi, viam ſpemque omnem ademere exeundi. et iacebant in mærore, ac tenebris, timore iam, atque opinione ſua æterna nocte damnati. fama eſt obtuliſſe ſe illis dæmonem imagine Dynaſtæ, vt in ſe manus conuerterent, ſuadentis: melius conſilium vt ſe beatæ Virgini, cuius imago Copacabani colitur, commendarent, menti ſedit. et videre illam viſi, noua cum luce oculis ſpeque animis exorta: ita hac illacque diſcurrẽtibus dimotus

lapis aditum ad aliam fodinam oſtendit : qua ſinguli ingreſsi : neque enim erat capacior : et mox ad optatum cæli lumen emerſerunt : non ſine miraculo . eo ipſo die , ſollemni ſupplicatione , vt grates agerent liberatrici Deiparæ, ad eius templum inter media gratulãtium agmina proceſſere lætantes . Breuis facti narratio (etſi extra rem Collegij) quia pertinet ad honorem Matris magnæ, prætermittenda non fuit. Nunc propria videamus . Vnius e noſtris conſilio vnus reſtituit aureorum vndecim millia:alter ſex millia:terna millia non pauci:bina millia multo plures . breuia hæc dictu , ſed non leuia æſtimatu, ſiquis cogitarit , quam ſit difficile, alienum , non dico reddere, ſed facere capiendi modum, vbi nulla eſt menſura cupiendi. ſublatæ inimicitiæ multorum,compreſſa etiam pugna duas inter partes:et ſtabant vtrinque armati quinquageni. Vir quidam, quem merſum in freto rei familiaris, deſperationis fluctus agitabat , cum captata ſolitudine apud Deum deploraret de miſerijs ſuis,et, vt sũt immodici in calamitate mortalium animi , conquereretur ſe quaſi neglectum , hanc vocem audire viſus . Domo mea conſilium pete : illa eſt refugium calamitoſorum . hic ille ſumpta fiducia, At quæ eſt domus tua ? Societas Ieſu reſpondit.Igitur confeſtim ad nos ſpei plenus: nec feſellit euentus. Idem fere accidit alteri, ſed diſſimili fine . Flagitijs hic erat multis, et facino-

ribus

ribus coopertus, nec ſe mutabat in melius impunita peccandi licentia: cum die quodam ſub veſperam deſcenderet e monte argentifero, vidit hominem eo habitu,quo eſſe ſolent patibulo candidati,vocanti ſimilem,manuque innuẽtem:ſequitur inops conſilij : cum paulum proceſſiſſet , ad ſe redit : terrore ſubito Crucem Chriſti ſignat in fronte ; et imago dilabitur:intellexit dæmonis ludibrium:e veſtigio ad Collegium,ita exanimatus , ac tremens , vt neque vox,neque mens,neque lingua cõſiſteret: poſtquam terror reſedit , eius cauſam aperuit : neque ante diſceſsit , quam peccatis abſolueretur : dein leuitate humani ingenij ad flagitia plerumque præcipitis,metu recedẽte,priora ſcelera cumulat nouis: auctor eſt mulieri, qua turpiter vtebatur , vt maritum interimat: neque occultum diu fuit parricidium : dedit pœnas infamis vxor cum duobus conſcijs: ipſe aliquamdiu ſe occultans,comprehenſus tamen mortique addictus , vt narrabat , inter ſuprema , prodigij fidem impleuit . firmatus eſt ab vno e noſtris ſacerdotibus , quem acciri iuſſerat . Hic idem ſacerdos , cum iter faceret aliquando, diuertit ad ſemirutas reliquias veteris cuiuſdam ædificij,vt apparuit, Deo ducentem: nempe ibidem erant Indi circiter ſexaginta : apud quos cum de more ſermonem habet de rebus diuinis,reperit inquirendo,duos et viginti Chriſtianæ religionis expertes.igitur ad-

duxit omnes noſtrum in prædium, quod aberat milliaribus ſedecim: hic illos vigintiduos informauit, abluitque baptiſmo: reliquos ſacra confeſsione purgauit. ſed et eodem loco frater vnus e noſtris curator rei domeſticæ in Indum incidit morti proximũ, nondum Chriſti fide ſuſcepta: hic vbi interrogatus, præuiaque Catecheſi inſtructus, baptizatus eſt, breui poſt tempore animam dedit. duo præterea ſacerdotes, in excurſionibus, ſeptuaginta duos ſupra ducentos Chriſtianos fecerunt. quodam in oppido Indus, furoris intolerandi, qui apud oppidanos leues, et ſuperſtitioni obnoxios diuinum ſibi honorem poſcens, ſe pro Deo venditabat, graui affectus ſupplicio eſt, vt errore alij liberarentur. ſacerdos noſter hoc loco, cauſarũ quæ ſpectant ad fidem, quæſtionibus præeſt: is cum concionatur in foro, hominem Luthero infectum, (eum ne, de cuius inſania modo diximus, an alium, e capitibus tranſmiſsis non ſatis liquet: ſed illum, vt ſuſpicer inclinat animus, et punitum propterea, quod atrocitati facinoris execrandi adimebatur liberatio pœnæ, etſi dabatur regreſſus ad pœnitentiam) ad meliorem ſententiam reduxit. Idem ſacerdos iuuenem Anglum cum Franciſco Draco archipirata arcta propinquitate coniunctum (alliſa naui ad oſtium Argentei fluminis captus, cum alijs multis perducebatur Limam) obuia comitate, nec falſa amoris ſignificatione ita emollijt, vt paulo poſt

lo poſt

lo poſt Limæ hæreſim eiurarit. Hæc fere priore anno. Iam et de poſteriore quædam ſubijcientur. Puer Indus vix quartumdecimum annum egreſſus, cum accepiſſet in quadam concione (quinæ habentur dies feſtis) quicumque non profiteantur Chriſtianam fidem ad inferorum ſupplicia detrudendos, concionatori retulit, parentes ſuos adhuc verſari in Gentilium erroribus: eoſdemque poſtea obtulit ſalutari aqua luſtrandos. At matrona quædam iamdiu innutrita cæleſtium præceptorum diſciplinis, neſcio quam ob cauſam, an abiectione, et humilitate animi muliebris, amiſſa ſpe cæleſtis vitæ, de præſenti etiam decedere properabat. igitur reſtim ſuſpendit e tigillo, mox obdita parte funiculi, altera firmiter in nodum coacta, immiſso capite laqueum induit: ſed dum pede altero fulcimentum repellit, vt reſtis deiectu ponderis adſtricta ſpiritum excludat, pulcherrimos iuuenes aſpicit duos in candenti veſte, cumque illis vnum e noſtris ſacerdotem, non incognitum ſibi: his incuſantibus factum, mulieremque admirantibus, cur ſe perditum iret, cum iactura tot bonorũ fructuum, quos ſeminarat in vita, funis diſrumpitur: et cadit ipſa ſimilis mortuæ, multum ſanguinem ore et naribus eiectans. vt recepit ſpiritum, diſcuſſa oculorum mentiſque caligine, viſum reputans ſecum, et faciem pericli, quod erat ſtultitia commiſſum, pœnitẽtia correxit. Magnum

hoc

hoc: maius quod ſequitur. Indus quidam inquieti vir animi, et ad extremũ perditus, cum creſcentibus in dies vitijs, eo proceſsiſſet, vt nullum ſibi videretur receptum habere ad pœnitendum, in dolorem vltimum furoremque conuerſus, mori deſtinarat: ſeſe in fluuium rapidiſsimum iacit: ſed cum relabentium vndarum impetu, atque innoxio volumine, in littus fuiſſet reiectus, certus relinquendæ vitæ, in ſiluam penetrat nutricem ferarum, vt quem reſpuerant aquarum fluctus, vorarent beſtiæ. immane dictu, et quod prope ſuperet fidem, tigrides, leones, pantheræ, aliaque id genus animalia, quibus ſcatebat ſilua, humanum licet ſitiant ſanguinem, et carnibus veſcantur, cum viſo homine paulum conſiſterent, fugam rapiebant. at ipſe in ſe crudelior, quam ipſæ fuiſſent immanes feræ, præ ardore iraque non compos ſui, cum leænam vidiſſet catulis incubantem, acceſsit impudentius, vt eam irritaret catulis abreptis: ſed illa, non violentia mota, non iniuria accenſa, raptorem ſequitur lento paſſu, perinde vt ſe feram eſſe obliuiſceretur, matrẽ meminiſſet: dum tandem, ipſo confidente, apprehenſos mordicus catulos in vaſtam ſolitudinem retulit concito curſu. Stupor animum, et quidam veluti torpor tenuit membra mirantis: tum vero ad ſe rediens. Quid cogitas hominum profligatiſsime? ecqua erit finis miſeriarum tuarum? ſi res carentes ſenſu te repudiãt,
refu-

refugiũt,rationis expertes?nẽpe maculari metuunt aquæ abſorpto:feræ attacto corpore tam infando: quin tuas ipſe ſordes confeſsione abluis,et vitam emendas?hæc ille ſecum.Sed grauiſsimum eſt imperium conſuetudinis:cum extitiſſet noua peccandi occaſio, effudit omnem memoriam optimarum cogitationum: in grauiora ſe ſcelera immerſit:dein iter facienti oblata eſt ſemel atque iterum facies horrenda: et vox accidit ad aures. Quantum ſuppliciorum te commeritum putas tantis ſceleribus? iam tandem tibi gladium per viſcera exige, et infelici dextera occumbe. his viſis auditiſque, ad nos accurrit, ita perturbatus et pauens, vt non color, non vultus ei conſtaret: nec prius abijt,quam alteram inſtitueret rationem vitæ, priore detecta. Ceterum hic quoque a noſtris, et conſilio prudenter, et exitu feliciter, prouiſum eſt,vt quæ inſtabat peſtilentia,quam minimam ſtragem daret. nouem noſocomia inſtituta.corrogata ad hanc operam aureorum millia viginti duo.cautum, vt affecti omnes huc reciperentur: ad eoſque curandos viſendoſue admitterentur tantum homines prouectæ ætatis: adoleſcentes arcerentur ingreſſu, huic morbo magis obnoxij.Quæ a nobis hic geſta, ſuperſedeo communibus. addam de immaturo exitu Patris Barptolemæi Iacobi. Non ita diu in hoc Collegio fuit: quattuor videlicet menſes, non amplius: ſed ſi computes fructus, difficile ad

fidem

fidem eſt exiſtimare totidem annis tam multos extare potuiſſe. percallebat Indicarum diuerſarum gentium linguas duas:a ſuauitate loquendi nomen ſibi inuenerat apud populum: Mizqui Simi appellabant : quod apud illos ſonat melleam linguam.nempe, quod de Neſtore et Xenophonte accepimus, ex eius lingua melle dulcior fluebat oratio: ſed ita tamen, vt cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis audientium.vel hoc tantum erit argumento:quod cum in ſuo huc aduentu octoginta dũtaxat reperiſſet in Sodalitio piorum, quod domi noſtræ cogitur,plus mille quingentos in deceſſu reliquit.amorem erga eum totius populi, in quo adiuuando, contagione peſtis animam effudit, vniuerſorum dolor, et celebritas funeris declarauit . tanta autem templum ipſum, viaſque ferentes, inundauerat multitudo cupiditate videndi,vt quo componi poſſet,fores fuerint occludendæ; nec aliunde magis argumenteris,quorum vita iucunda eſt mortalibus, eorum mortem eſſe acerbam . Sacra ſupellex aucta lychnucho penſili argenteo , et lipſanothecis duabus : ſingula dona binis aureorum millibus æſtimantur .

AREQVIPENSE ET PACENSE Collegia .

HAEC DE AREQVIPENSI accepta ſunt . Vir nobilis colaphum mercatori in-

ri incuſſerat: eam ob rem coniectus in carcerem: at mercator vſus conſilio noſtrorum cum illum conueniſſet, veniam ab eo ſuppliciter petere occupat, multis admirantibus, liberatque vinclis. Aliæ inſuper ſublatæ ſunt diſcordiæ maioris periculi: auditi multi de tota vita. emendati complures. in varia loca excurſum multiplici fructu. Hæc priore anno. Vberiorem materiã poſterior præbet. Indus erat quidam ita incurioſus ſalutis, vt quæ commiſiſſet crimina, hariolo Indo exponeret, grauesque pœnas ab eo impoſitas perſolueret, more Gentilium: hunc quoque tetigit clementiſsimus Deus: ergo cum ſubiſſet pœnitentia, tantus eum dolor cepit facinoris admiſsi, vt non niſi diuenditis facultatibus omnibus non modicis, diſtracta etiam veſte pauperum ſubſidio, petitum veniam acceſſerit. At mulieris Indæ cura laudatior: communicabat frequenter, orabat Chriſtum ſponſum, vt quo integriore corpore, et liberiore anima a ſordibus, migraret ad cæleſtes nuptias, euocaretur in ferijs Catharinæ martyris: hoc enim erat et ipſi virgini nomen. exaudita ipſius vota oſtendit euentus. dicta die percepit Euchariſtiam ſummo affectu, dein redijt domum: at in templo noſtro ſacra continuabantur: cum extolleret ſacerdos cæleſtem hoſtiam venerandam populo, dareturque, conſuetum eius rei ſignum, audijt ipſa: tum repentino delibuta gaudio. Tuum ego, in-

quit,

quit, o Ieſu benigniſsime, corpus ſæpius ſuſcepi, nunc me in cælum transfer, vt tuo iucundiſſimo aſpectu fruar. eaque illi ſuprema vox fuit. felicem dixeris virginem, non tantum vitæ religione, ſed etiam opportunitate mortis. Sex e noſtris diuerſis temporibus adiacentia prædia, oppida etiam longe diſsita obierunt; et difficile iter emenſi, plures caſus ſuperarunt. Sed acceſſerunt ſolatia fructuum perceptorũ. multos e vitiorum cæno, multos e ſuperſtitionum tenebris eduxerũt. trecenti amplius, breue intra tempus, Deo acquiſiti: e quibus nonnulli magiſtratum inter ſuos gerebant. aliqui ætate iam confecti, ad illum diem reſeruati, beneficio diuino. Vni cuidam claudo mancoque, vt impertitum eſt baptiſma, conuerſi ſtatim ad vſum pedes, manuſque. quæ res miraculo omnibus, multis etiam incitamento fuit. Haud facile exprimas noſtrorum aduẽtus ad quaſcumque terras Indorum: multo minus diſceſſus. ibi lætitiæ videas, hic mæroris certamina. in vtroque immodici Indi. nihil compoſitum ad oſtentationem. ſed hæc cur diſtinctius ponantur nihil neceſſe habemus.

NEC SVAE ETIAM defuerunt excurſiones e collegio Pacenſi. Aliqua eorum capita ordine memorabuntur. Multi, qui nihil, præter nomina, et acceptum olim baptiſmum, habebant Chriſtianorum, inſtructi, et petita a Deo per confeſsionem acceptaque venia, mu-

tati. Indus, vt natura eſt gentis, intemperans, effuderat ſe in omnes libidines, quas haud ita pridem male coercitas, qualiſcumque Chriſtianæ profeſsionis reuerentia tardauerat: huius dormientis fauces ita dæmon aliquando oppreſsit, vt cum ſanguine videretur exitura vita: mulier, quam canis ingenti magnitudine laniaturus acceſſerat, beatiſſimæ Virginis opem inuocauit: huic affuit Dei mater, illi Chriſtus: et vterque remedium præſcripſit peccatorum confeſsionem. Audite nunc exemplum memorabile, quod propter rei atrocitatem per totum regnum fama vulgauit. Quidam ad turpem concubinatum Indam feminam pellexerat: quam cum aliquando ad infauſtum torum vi miniſque compuliſſet, prouecta nocte cælum tonitru concuti, tremiſcere terra, denſaſque inter tenebras micare ignes, et per feneſtrarum rimas effundi, vt ferirent oculos animoſque adulterorum: cadit interea ſciſſis nubibus largifluus imber, cum grandi grandine crepitante ſuper tectum: hic mulier ſubito pauore correpta, Virgo, inquit, Maria fer opem: tuere me obſecro. at vir ferox, et impius, mediam complexus. Tace, ſis, ſtulta: ſcilicet auxilium vllum ferre poteſt Maria..: abſcidit extremam vocem fulmē ſubitum, quod intonuit, et adhuc loquentem auellit ab amplexu mulierculæ, quattuorque aut quinque paſſus eiecit extra lectum: et flamma corripit arida nu-

trimenta: ſurgit mulier perterrita, miſerum inclamat, excitat, peruellit: nempe exanimatum metu, non exanimem putabat: trahit digitos pedum, corruunt: pedes ipſos, diuelluntur: hoc illa magis pertimuit: conantem domo egredi, et mortuum extrahere, impediebat ignis introrſum repellẽs: ad extremum vociferata horrendum, conciuit vicinos: et ægre protracto informi cadauere, reperiunt hominem, mirum dictu, hiante ore, ſine vllis dentibus, ſine lingua: omnia præterea membra ita ſoluta, et fluxa, vt vel leuiter contrectata, manum ſequerentur. Hic finis impuri impudicique hominis fuit. at mulier alieno malo edocta, quamquam extra periculum, non extra metum, cum vndequadraginta millia paſſuum confeciſſet, ad noſtrum templum ſe contulit, melioris vitæ inſtituendæ. Ipſum porro templum quod a ſanctiſſima Trinitate nomen accepit, perelegans tabernaculum, aliaque nonnulla, quibus nuper auxit, liberalitate piorum, viſenda habet. Altero anno, Inda quædam mulier ſexaginta milliaria pedibus emenſa, ad nos acceſsit cauſa baptiſmi: hac præfatione vſa, quod cum graui affligaretur morbo, maxime ægram habuerit illa cogitatio, ni Chriſtiana eſſet, relinquendum corpus inhumatum, prædam alitibus feriſque. Quodam in loco cognitum eſt adhuc montes ipſos priſca formidine venerationem habere: huc cum veniſſet ſacerdos cum Cacicio (nomen

men eſt veterum Antiſtitum Maumetanæ ſuperſtitionis) rogatu incolarum, aqua luſtrali expiatis montibus, ſtatuit victricis trophæum Crucis. Quin etiam Cacicius, cum ex oppidanis aliquot pauentes vidiſſet, et abſtinentes aſcenſu, ridens eorum irritum metum, primus aſcendit. et, Quam timenda, inquit, maiorum numina, quæ pedibus noſtris proculcamus. inter hæc grates Deo agebantur, qui illato lumine, tam craſſas tenebras ex ipſorum pectoribus expuliſſet.

CHITENSE COLLEGIVM.

QVO MAGIS progredior in Peruana Prouincia, maior mihi aperitur campus: ſed ſequar compendia, vt ea percenſeam, quæ vos intelligam non nolle: a ſuperuacuis et per ſe cognitis abſtinebo. Quid ſit Chitum: quam longe ab vrbe Lima: quo primum tempore noſtri introducti: ſcriptum eſt litteris, quibus duos annos cõiunximus. Igitur, vt exerceri hic cœpta munia Societatis, mirum quantum nos amare cœperunt fere omnes, præcipue Indi. Hi vero libentiſsimis animis ad nos venerunt, vt audirent verba ſalutis: cum antea, id vt facerent, nulla vi ſubigi poſſent. gaudent videlicet affabilitate ſermonis, et humanitate perſpecta: difficile eſt exacto affirmare numero confitentes. matutinis pomeridianiſque concioni-

cionibus qui interſunt, ſumma amplius ſeptenum millium concepta: nec diſpar eſt magnitudo fructuum. hoc vno verbo plurima comprehendi. ſit vnum atque alterum exemplum pro multis. ex vna domo decem pellices extruſæ. Sodalitium inſtitutum: id enim compertum ad Indorum animos excitandos valere quam plurimum. nemo admittitur, niſi poſt longa experimenta: ſcrutantur apud quos deliteſcant concubinæ, et hortantur expellere: conuocant homines ad concionem: ſunt præſto ægrotis, eoſque opere adiuuant, et lautiore cibo. in ſollemni pompa ſacroſanctæ Euchariſtiæ, proceſſere ſodales, agmine compoſito, cum candidis facibus, veſte ipſi intima rubra, extima alba, conſpiciendi: eo ordine, ſilentio, inceſſu, vt effluerent lacrimæ ex oculis admirãtium: quo etiam die, data eſt, magno apparatu, tragœdia de conuiuio Aſſueri regis. Sed hæc, et alia tam digna exempla, tam breuiter, niſi maioribus vrgerer, non referrentur. Nunc, quoniam in rerum commentarijs qui miſsi ſunt hoc anno, eſt diſerte perſcriptum de terræmotu Chitenſi, deque eo rettuli nonnulla, prout acceperam, biennio ante in Collegio Limenſi, quæ congruerunt, vt præmonui principio huius Prouinciæ, non repetam: ſarciam ſi quid erat omiſſum, ne noſtrum officium deſideretur. Cum vndaret terra, et fluctus more volutaretur infeſta, vt dudum perſcripſimus: non domos ſolum,

lum,ſed montes etiam ipſos, colleſque ſubuertit. Indorum multitudinem, quæ eo tempore in reducta valle Baccho operans,recenti muſto obruebat calorem mentis, collis ſupernatans operuit, magnaque inuoluens vmbra faciem loci prioris abſcondit. Alibi Indos ducentos quinquaginta ſimili ſtrage obrutos affirmant. Nulla fuit familia,quæ alios mortuos, alios diſcerptos non luxerit.ex vna tantum domo,illuſtris femina, cum ſeptemdecim filijs nepotibusve oppreſſa,trimula dumtaxat puella,quam nutrix ægre extulerat,ſuperſtite. Et fuit terra mota tam ingenti clade, vt ſæpe,prænuntia peſtilentiæ: nimirum Deus, qui ſuſpendit interdum plagam, quo feriat fortius, flagello inſonuit,vt præſentem ætatem coerceret metu, poſteram incitaret exemplo. Sed quoniam hac de peſte, eiuſque natura, ſatis ſuperque diximus in Limenſi, non habemus neceſſe repetere.dicam illud vnum: in vrbe Chito, intra ſpatium bimeſtre recenſa eſſe mortuorum capita amplius quatermille,exceptis infantibus, quorum vix centeſimus quiſque effugit. pellicum porro permagna ſtrages: interiere ſupra duo millia: deterior enim magis ſexus quam virilis abſumptus.Ceterum multi, propinquante morte, horrendis monſtris exterriti: nec defuere, qui cum efferrentur feretro, reuixerunt, magna admiratione metuque exportantium. ſed et vnus experrectus ſacerdotem magnopere

expetijt confeſsionis faciendæ. Tempeſtas hæc magnam noſtris materiam præbuit caritatis, magnam patientiæ exercendæ. vbi remiſit in vrbe, conceſſere in loca proxima, quæ conflictabantur, peræquo labore et fructu. Indorum ſodaliũ pietas maxime enituit: aderant ægrotis, eoſque auxilio et alloquio iuuabant: mortuos inſuebant in funebrem tunicam, et ſepulturæ mandabant. nullum omnino Chriſtianum officium ab illis prætermiſſum, licet præſenti periculo. At nobis decem aureorum millia in ædificationem domus, et comparationem ſupellectilis attributa:in annos ſingulos aſsignati aurei ſeptingeni: et factum eſt ſcholarum initium, a tenui,vt ferme omnia, principio. nunc quidem diſcipuli centum quinquaginta, ea felicitate ingenij, vt quamuis magna polliceantur.et dederunt primitias duo in Societatẽ recepti. Sequenti anno ſecuta rerum conuerſio, quæ tamen in melius ceſsit. Cum enim migrandum noſtris eſſet in ædes commodiores, exorta eſt tempeſtas, et turbo:et iam ceſſerant veteri domo: ita vtrinque excluſis, habitãdum fuit ſatis anguſte: interea quattuor bipartiti Paſtum Concamque (nomina ſunt vrbium) et ad alia etiam oppida ſe extendere. conſecuta illa ſollemnia.ſedatæ inimicitiæ: peccata compreſſa: vaga multorum libido ſanctiſsimis matrimonij legibus coercita. quibus rebus affecti Paſtenſes litteras ad Præſidem Chitenſis re-

gni

gni compoſuerunt, orantes, vt coniungens au-ctoritatem ſuam cum voluntate ipſorum, impetraret a noſtris lõgiorem commorationem. Hæc inter, diſcuſſa eſt illa caligo, quæ tenebat: et noſtri, Calendis Ianuarijs anni octogeſimi noni, in laxiorem domum, magna gratulatione ciuitatis, et apparatu celebri, adducti: reſtauratæ ſcholæ, quæ defluxerant: Philoſophia etiã explicari incepta: e diuerſis religioſorum familijs aliquot auditores habemus. Fecunda ſeges, et vber in hoc regno, e quo aditus ianuaque ad regiones etiam diſiunctiſsimas, quæ dicuntur inalbuiſſe ad meſſem: vt ex communi quidem voto, ſed quod maxime tempori conueniat, orandus ſit dominus meſsis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Ceterum priore anno Pater Ioannes de Hinoſoza deceſsit: is quanti fieret viuens ab vniuerſa ciuitate, pompa funeris procurata a Clero, et dolor vniuerſorum oſtendit.

SEDES IVLIENSIS.

IVLIENSE OPPIDVM incolis frequentiſsimum, in Parœcias quattuor diſtributũ excolitur a noſtris. De eo, quæ proxime ſcripſimus, valde admirabilia, tranſmiſſa etiam nuper: et quidem prudenter. nam cum vererentur, ne amitterẽtur litteræ ſuperiores, et defraudaretur Societas cõmemoratione rerum ma-

gnarum, maluerunt in eam partem peccare quæ eſſet cautior. Ego actum non agam: niſi quod reponam hymnum, quem vti accepiſtis, beata Virgo docuit hominem, quem liberauit inflatione tibiarum. Dudum verba ipſa non acceperam: nunc accepta reddo, eodem fere numero, atque ordine, quo deſcripta ſunt Indica lingua: ſunt enim talia, vt propter breuitatem metri referant anapæſtum: et ſeruaui, quantum potui, ſimplicem illam dictionem, remotam ab omni lenocinio. vtinam conatus euentui reſpondeat. Sunt autem de Chriſto patiente.

Pater en noſter, genitor noſter,
Rigidis clauis in Cruce fixus.
Cor transfixum cuſpide amoris.
Cruor e toto corpore manans,
Omnes circum proluit artus.
Cernis ne caput, decliue caput,
Caput hoc, flauæ ſimile ariſtæ.
Viden, vt cingunt ſpinea ſerta,
Vſque ad tenerum fixa cerebrum.
Patris, heu, noſtri cerne capillum,
Sparſum, incomptum, ſanguine fœdum.
Oculi triſtes, lumina mæſta,
Roſeas lacrimas large effundunt:
Fluxiße putes molle corallum.
Heu, confudit iam decus oris,
Pallorque genis ſedet exanguis.

Etiam

Etiam ne manus, patris ne manus,
Patris noſtri pulchræne manus,
Ferro affixæ ſanguine rorant?
Os mellifluum patris noſtri,
Pró me miſero iam conticuit.
Extra Solymæ mœnia terræ,
Crucis exiuit mole grauatus:
Et pro ſcelerum mole meorum,
Extra Solymam crucifixus obit.

Ex filo ipſo videtur longior fuiſſe hymnus, ſed hominem ruſticum cepit obliuio reliquorum. templum porro illud, Deiparæ ſacrum, tamque multis et magnis inclytum miraculis, viſitur in celeberrimo olim fano Ethnicorum ſuperſtitionis, et quotidianis pæne prodigijs auget Chriſtianorum numerum, firmatque ſobolem ſuccreſcentem. eſt autem ita ſanctum apud omnes, ac religioſum, vt a maculoſo, et impuro adiri, nefas putēt:maculæ prius eluuntur apud noſtros, et crimina expiantur. hinc magna domi frequentia, animos confeſsione purgantium,et corpora reficientium cibo.Larilares populi ſunt agreſtes, et barbari, vitam vagam, inopemque perſequentium, quam venatu ſuſtentant:miſeros ob hoc vnũ dicas,quod referãt feras: niſi eſſent miſeriores,quod Chriſtum, quem agnoſcere eſt vita æterna, adhuc quidem minime agnoſcunt. Sex principes illius

lius gentis ad noſtros miſerunt, ſe de ipſorum ſententia conſilium vitæ capturos: expetierũt locum oppido extruendo: eo ſexaginta viri, cũ vxoribus, et liberis, cõmigrarunt: ac ſpes eſt fore, vt propediem exuti barbaris erroribus, moribuſque, Chriſtum induant, et viuendi diſciplinam mitiorem. Ceterum mittuntur noſtri varias in partes, et narrant mira relatu: vt de aliquibus adductis ad extremum vitæ ludificatione diaboli, ſed ſubito viſu affatuque cæleſtium admirabiliter ereptis: aliaque id genus complura, quæ quoniam, quotannis audiuntur, quamuis præclara, prætermitto. ita enim comparatum eſt, vt frequens conſuetudo non parum detrahat de rerum magnitudine: et homines rara magis, licet parua, quam magna, ſi ſint conſueta, delectent. Alterius anni peſtilentia, et laborem auxit noſtrorum, et fructum. igitur, cum peſtifera tempeſtas, toto effuſa Peruano regno, in Iulienſem quoque agrum affectaret viam, noſtris viſum eſt dare operam, vt obuiam iretur aduentanti, præmunitis animis cæleſti remedio, ac ſupplicationibus pijs. adhibitam cohortationem publicam, vt in præſenti malo, tantus ſequutus eſt ardor animorum, vt ſacerdotes omnes, affectorum non ſecus, et cupientium morbum anteuertere, interdiu, noctuque, ſine vllo diſcrimine, vel a prima ætate repetitis confeſsionibus, obruerentur: quanta id diligentia fieret, curaque, vidiſ-

ſes

ſes ex non occulto mærore, et claris lacrimis confitentium: eadem erat omnibus ſolicitudo, aut potius formido iniecta: quin, et in confuſa multitudine inuentus eſt, qui alta liberaque voce, vt exaudiretur a cunctis, et crebro ſingultu interficiente verba, ſe accuſaret, quod, cum tot accepiſſet a Deo beneficia, memor et gratus non fuiſſet: quod ſacerdotes non perinde veneratus eſſet, vt eorum dignitas, et ſanctitudo poſtulabat: quod denique plura admiſiſſet, quibus multorum oculi, aures, animique offenderentur: orare proinde, vt veniam petenti darent ipſi, et a Deo immortali coniunctis precibus impetrarent. non facilis exiſtimatio eſt (vt efficacius mouent exempla, quam verba) quam ſint hoc viſo quaſi face ſubdita, flammati animi prius incenſi. reſponſum eſt vni ab omnibus, vt vnicuique conſcius ſubijciebat dolor, diuerſa quidem voce, ſed fletu conſonante. Ex agris etiam commeabant ruſtici, paſtoreſque: et qui per ætatem non poterant pueri, ſeneſque, humeris ſubuectabãtur: fuere aliqui, qui largo pretio emerunt vectionem, vt qualibet iactura rerum, defatigatione corporum, peruenirent ad locũ, vbi leuarentur animi onere peccatorum: quibus audiendis ſacerdotes, cum occupatam operam haberent, fratres ſinguli per noſodochia diſtributi, in ſolandis ægris curandiſque, nihil ceſſabant: ita et ſanati multi, neç quiſquam mortuus, qui non ante ani

mum

mum peccatorum ſordibus expiaſſet. Ergo dũ augetur numerus cæleſtiũ, et in obſcuritate tẽporum elucet Chriſtianorum induſtria, dæmonis inuidia exarſit. conueniunt miniſtri iniquitatis, capita conferunt venefici, percurſant lectulos ægrotorum, occulte inſpirantes venenum. Nimirum, hanc luem ingruere, conſpici aceruos funerum, numeroſque languentium, propter auitam religionem relictam: ad quam ſcilicet reuertantur: hoc ſolum eſſe remedium. Hac illorum oratione, magis peſtifera quam ipſa eſſet peſtis, vt in calamitate ſunt plerique ſuperſtitioſi, infecti ſunt nonnulli, qui antea non ſatis integri: horum augebat amentiam, quod finitima oppida, in quibus adhuc veſtigia antiquæ ſuperſtitionis, erant intacta, nec vllum cõſpiciebant funus: cum immanem in modum ſæuiret clades Iulienſis. ſed excitauit ſe ipſe Deus, cui curæ mortalium vltio: et tarditatem ſupplicij grauitate penſauit: requieſcente Iulia, vicina oppida peſtilens annus infeſtabat, per id tempus, quo intermiſſa ſatio, minabatur etiam famem. Ceterum ſuper multos, quorum perſpecta eſt in Deum fides, vt in caſuum aduerſis, eluxit pietas viduæ opulentæ, ac nobilis. Vnicum habebat filium, et poſteritatis ſpe, et magna ingenij morumque indole cariſſimum: agebat annum duodecimum: quæ ætas maxime petebatur a peſte. ob hoc mater magis ſolicita. illuc cuncta vergere, vt proſpiceretur

retur

retur adoleſcentuli ſaluti: et adhibuit quidem humana præſidia, quæ excogitarat ingenium vſu edoctum: ſed ſpem omnem ac fiduciam in diuinis habebat. Arietes quinquaginta (ſunt maiore corporis habitudine, quam noſtri, forma camelis non valde diſsimiles) in pauperum vſum diſtribuendos dedit: rem præterea diuinam faciendam curauit: cui interfuit ipſa, non vt olim, comitante cœtu matronarum nobilium, ſed ſtipante turba mendiculorum, quos ipſa conquiſierat, vt per eorum ora tranſmitteret preces ad Deum, exaudiendas, vel tuendo filij corpori, ne inuaderetur morbo, ſic enim dicebat, vel ſi aliter viſum, animæ leuandæ. filius poſt paulo peſte corripitur: nec propterea ſecius mulier in officio: orat ſacerdotē, vt quandoquidem domo ipſa egredi non poſsit ægroto affixa, adducat quotidie quã multos velit pauperes, pro ſalute filij liberali ſtipe donandos. Deo acceptum donum, votumque: cum aliorum, qui ſimili afficiebantur morbo, tæterrimus ſpiraret odor oris et corporis, ipſius adoleſcentuli ita erat ſuauis ac iucundus, vt exotica vnguenta crediderint noſtri, qui illum inuiſebant: verum, cum deinde ſcrutarentur omnia, compererunt non ex arcula vlla, aut e pyxide, ſed e corpore ipſo efflari, atque e ſpiritu ægrotantis: qui deinde ſanitati redditus, ingenti parentem, atque oppidum totum lætitia cumulauit. Sed et pueri Indi (tercentum

tum erudiuntur a noſtris) magna affecerunt oppidanos voluptate, cum magno apparatu expoſuerunt in ſcena, in fabulæ morem, quod patrocinium receptorum hominum in fidem et clientelam ſuam Angeli præſtent.

PANAMANA SEDES, ET SANCTI Iacobi.

PANAMA vrbs eſt in iſthmo, duo maria, a meridie et ſeptemtrionibus finitima; arctis faucibus dirimente: quem in locum, commercium multarum gentium, mutui vſus quotannis contrahunt ad tres menſes. magnus hic noſtrorum labor, ſiue in negotiatorum æquitate tuenda, et rerum contractarum fide, ſiue in audiendis confeſsionibus ex vtroque mari confluentium. quamquam, anno ſuperiore, ſpectata eſt eorum fiducia, atque conſtantia in Deum. cum enim aduentare diceretur claſsis archipiratæ Angli, trigintaque milliaribus non longius abeſſe, et qui ætate erant, aut ſexu imbecilli, quidquid poterant rerum opumque ſecum aſportantes, in tutiora dilaberentur: noſtri vrbe non ceſſerunt, auxilio ſolatioque remanentium: nec vero deſtiterunt, ante paſchales ferias, adornare ædem aramque ſepulcralem Chriſto Domino, ſollemni inſtructu: quod cum alia templa facere timor prohibuiſſet, mirum eſt, quam res illa fuerit omnibus, ſeu viſenda

ſenda propter ſpeciem, ſiue propter opinionem contempti periculi iucunda. Ceterum prauæ aliquot conſuetudines abolitæ. Aethiopes, quorum hic magnus eſt numerus, confeſſione purgati, et concionibus imbuti. neque ipſius vrbis terminis noſtrorum caritas ſe continuit: in vlteriora etiam ſe porrexit. Cum ad portum, qui appellationem traxit a nomine Dei, Hiſpanienſis claſsis vtraque appuliſſet, et bellica, et oneraria, eam ad prouinciam duo deſtinati, ita preſsi ſunt multitudine negotiorum, vt fere opprimerentur. illud admirabile, nec ſilentio prætereundum: cum enim tanta ſit grauitas huius cæli, vt ab externis, corpore ſuſtineri vix poſsit, ex quo et ſepulcrũ Hiſpanorum nominatur: tantaque eſſet vis ægrotantium, vt maximam partem, noſodochio lectulos non ſufficiente, in nuda humo iacerent, grauis ſacerdotis noſtri oratio, et multo magis exemplum (ipſe enim ſuum lectulum eo comportandum curauit) ita permouit homines pecunioſos et nobiles, ipſos etiam principes claſsium, vt ad inopes ægrotoſque certatim ſtragula mitterentur, et fomenta: fueritque id temporis, locus ipſe ſimilis inſtitutis veterum Chriſtianorum: qui, quacumque ex occaſione, infirmos muneribus et cura ſuſtentabant. ſacerdos item alter cum ſocio miſſus Mexicum verſus, cum claſſe, quæ aduerſus impetum piratarum erat inſtructa; et fuit pretium

mittendi.

mittendi. ipſo in curſu (Mexici ne, an alio in oppido, quo diuerterunt: nam de hoc neutrum habeo diſerte præſcriptum) ſacerdotem quẽdam extrema iam ſenectute, Eraſmi illius, numquam ſine execratione nominandi, olim diſcipulum, valdeque cupidum noſtros videndi, cum ſacerdote altero reconciliauit, a quo grauiter diſsidebat, cum offenſa multorum,

SEDES SANCTI IACOBI, Limenſi Collegio adnexa, multiplex Societatis munus vtroque anno egregie tutata eſt. puellæ, pueri, mulieres, viri, diſtributis temporibus, ad doctrinam Chriſtianam inſtituuntur. Dominicis diebus ſub veſperum conueniunt plurimi, præcipue e Sodalitijs, qui poſt auditum ſermonem de rebus pijs, ſeſe flagellis acerrime accipiunt. Templum porro ipſum amplum eſt, et magnifice inſtructum, cui additum ſacellum pulcherrime pictum, dicatum nomini beatæ Virginis, quæ Cæſarauguſtæ in Aragonia colitur ſupra columnam: atque hoc ipſum, poſtridie Calendas Februarias, ſumma omnium gratulatione. ſtatimque a concione inuentus eſt vir nobilis Aragonienſis, qui aureos centenos quotannis ſacello aſsignauit.

EXPEDITIO TVCVMANA.

TVCVMANORVM regio latiſsima, ſpatio ac cælo in Orientem, Paraguais, qui

ſunt

ſunt finitimi Braſiliæ, in Occidentem, Chilenſi regno obtenditur; Peruanis in Septemtrionem inſpicitur: Auſtralia eius per vaſtos, ac deſertos locos ad fretum vſque Magallanicum excurrunt. Hinc ad omnes illas prouincias perfacilis aditus, per planiciem ita patentem, vt plauſtrorum velocitate bina millium paſſuum millia ſuperentur. magna temperies cæli: nec caret tempeſtatum varietate: ſic tamen, vt calores magis, quam frigora ſentiat. Ceterum, propter immenſitatem camporum, adeo ventis obnoxia, vt eorum impetu arbores radicitus euellantur: eam ob cauſam, multis in locis colunt Indi ſubterraneas ſpeluncas. nullæ hic venæ argenti, aut alterius metalli. goſsipij magna vbertas, quod in filum adeo ſubtile artifici manu deducitur, vt ſit etiam vtile in intimam veſtem: nec Italicum linum deſideres. incolæ frequentiſsimi: ſed variæ linguæ: eorum præcipue, qui ad ripas fluminum. mitiſsimo omnes ingenio, et ad pacem potius, quã ad arma propenſi: verum ſi laceſſantur, indomiti: ſagittas et ipſi inficiunt veneno: plerique auitam ſuperſtitionem tuentur, diabolo addicti: pauci, Chriſtum induere: ſed ita negligentes religionis, vt ignorent penitus, quod profitentur. ad has tenebras pellendas, quartum iam annum miſsi ſacerdotes duo cum ſocio. ſed et ex Braſilia acceſſerunt quinque: vt ex vtraque parte, nouum hunc orbem videatur Societas eſſe cõplexa.

plexa.ſedulo nauatur operaHiſpanis Indiſque. de Hiſpanis nihil agã,quos ſacerdos vnus, qui hanc prouinciã ſibi depopoſcit, magnæ vir au ctoritatis,facultate,a ſacræ fidei Quæſitoribus conceſſa,in officio continet,obiens vrbes quat tuor, diuerſis inter ſe locis, tota prouincia diſtantes.res Indorũ perſequar paulo diligẽtius. In vrbe Sãcti Iacobi,vbi Epiſcopi,Prætoriſque ſedes,et caput totius regni,noſtri ſedẽ habent, domo temploque ædificatis: ex eoque varia in oppida fructuoſæ peregrinationes ſuſceptæ:fer me in hũc modum. Vbi ventum eſt in oppidum, cognoſcunt primo de Cacicio(Cacicios iã ſcitis eſſe capita rerũ) quot ſint in oppido nondũ facti Chriſtiani:e Chriſtianis, quot turpi pellicatu implexi: illos vt abluant, hos vt rite coniungant. Principio diei omnes in templum cõuocantur: facto ſacro, vbi Chriſtiani ſolum interſunt, ceteris admiſsis verba fiunt ad cunctos:tum ad meridiem vſque Ethnici inſtruuntur: baptizantur a prandio ad veſperam: dein Eccleſiæ ritu coniugia celebrantur, et aures dantur confitentibus. ad hanc rationem dies omnis conſumitur.confeſsionum numerus iniri non potuit. ſacra aqua tincti ab vno Patre Alphonſo Barzana per illud tempus excurſionis (ex quo de reliquis coniectes) ſexies mille, ſexcenti: copulati matrimonio ducenti ſupra quinquies mille: et hic quopue fructus caro conſtitit noſtris. cubile illis plerumque, terra, tento-

tentorium cælum, maidum cibus: frumenti genus eſt, pauperculis hominibus cum mutis animalibus commune. et tamen inter hæc omnia animis vigebant. Pater idem Barzana cum Calſaquenſes (nomina ſunt populorum) Hiſpani ſubegiſſent, mitioribus præceptis ad Chriſti cultum erudijt, breui tempore imbuendos. His feliciter tranſactis, redijt ad vrbem Sancti Iacobi, vbi et audiendis multorum confeſsionibus vel ab ipſa pueritia, operam poſuit omnino ſalutarem. Septuaginta duo iam grandes natu Chriſtiana ſacra ſuſceperunt. Poſt hæc cum ſuper quinque linguas, Cacæ etiam (Calam ſcripſi in litteris ſuperioribus, et ita legeram in commentarijs) ſibi ſubſidium comparaſſet, qua in his terris plurimum vtuntur, ex ijs ſeptingentos informauit ad fidem, quingentos trginta ſeptem a peccatis abſoluit: multo plures, a ſoluta libidine ad ſacrum matrimonij vinculum adduxit. primum Barzanam patria ipſorum lingua audiuere Indi verba facientem, non ſecus illum admirantes, ac ſi de cælo lapſus fuiſſet. abijt deinde Tucumanum, ea eſt vrbs, vnde nomen prouinciæ, mira vbertate ſoli, et hominum luxuria. hic, præter alia e re Chriſtiana geſta, Iubilei tempore octingenti amplius auditi, eorum maxima pars nuptiarnm legibus aſtricti. hinc ſe ad Sulenſes Indos contulit, Hiſpanis admirantibus. Homines illi ſunt immaniſsimi: ni malis feras dice-

re in ſpecie humana.fœda omnibus paupertas: maximæ opes arcus et ſagittæ : reliqua negliguntur:venatu victitant : tanta prorſus audacia, vt non multis ante annis Hiſpanorum vrbem ſuccenderint:et adeunt interdũ ad Hiſpanos,certis temporibus,operis faciendi: ſed Hiſpanorum nemo ſe ipſis committere audet. ita indomita habetur gens, et omnino inſociabilis. ſed tamen Barzana, vno puero comite, obtulit ſe præſenti periculo,eius tantũ fretus auxilio, cuius cauſa laborabat. igitur mitigauit Deus efferatam gentis ſæuitiam, quo eſſet vtilior conſtantia ſacerdotis. excepere barbari noſtrum, ſaltantes pedibus ad ſtrepitum cymbalorum modulantium:quin et cientes ſimulacra belli, magna lætitiæ ſignificatione:et coluere pari humanitate.Ipſe autem ex ijs,varia per loca, adiunxit Chriſto duomillia ſeptemdecim: nuptijs rite coniugauit mille quingentos ſexaginta duos.ſed tantum emolumentum non fuit ſine opera impenſa.tranãda ſæpe flumina:viæ inuiæ pedibus perrumpendæ: ſuperanda itinerum longitudo, pertenui ſæpe cibo, quem afferrent herbarum radices euulſæ : ea denique perpetienda, quæ vel iuuenem robuſtis viribus,ne dum Barzanam,affecta iam ætate, defatigare potuiſſent.etſi tantam rerum difficultatem, vt ſæpe fit,morbus excepit. denique tumentibus, et vlcerosis pedibus, poſt nonum menſem redijt ad Sancti Iacobi, plenus laborum,

rum,et fructuum, erecto animo, corpore afflicto. venienti occurrerunt Indi Diaguitæ, facto agmine, vt ad ſe flecteret orantes: illum ſibi magiſtrum dicentes, illum patrem, illum matrem, illum ſibi, poſt Deum, omnia. Recepit Barzana, vbi ſe refeciſſet aliquot dierum quiete, ad illos rediturum. Luſtrauit deinde, vbi ſe paulum confirmauit, pagos propinquos, et in ijs, nonaginta ſex capita lucrifecit: aliaque geſsit vtilia ſaluti animarum. quod et fecere alij in varias partes dimiſsi. ex hoc enim domicilio patet aditus in regiones diuerſas: et certatim vndique expetimur. ſed quota pars operariorum ad tantas terras? nuper cognitum eſt ingentem Hiſpanorum multitudinem in media barbarie contineri. Hi quinquageſimum ante annum, cum Malucas peterent, Magallanico freto ſuperato, vi tempeſtatis facto naufragio in barbarum littus eiecti ſunt: euadere ſæpius tentantibus ignotorum montium aſperitas obſtitit, et feritas incolarum. Igitur barbaris permiſti propagarunt vitam, et genus. nulla ex parte facilior ad illos tranſitus, quam ex Tucumano. et omnes eo tenentur eundi deſiderio. Sed ſacerdotibus duobus deſtinatis, reliqui ſunt in ſtatione ac vigilia, vt quocumque opus fuerit accurrãt.

MISSIO IN PROVINCIAM SANctæ Crucis.

SVPERIORIBVS litteris traditum eſt, tres e noſtris, multorum accitu, ad prouin-

ciam, quam Hiſpani Sanctæ Crucis appellant, iter direxiſſe, ſacerdotes duos cum ſocio communi. a quibus quantum ſibi pertimuerit dæmon, vel ex eo conicij poteſt, quod annum plenum atque integrum poſuerunt, opportunitatem tranſitus expectantes. Sed tota de hac prouincia, et moribus hominum, quædam neceſſario ponenda, exceptis ijs, quæ alias diximus, vt apud quos laborent noſtri facilius intelligatur. Diſtat a Suquiſachenſi et Potoſina vrbibus, ideſt a fine Peruani regni, non procul: cingitur, Orientem verſus, prouincijs latiſsimis, vbi homines crudelitatis infandæ: regio ipſa, vt olim ſcripſimus, æqua et plana: polum Auſtralem conſpicit ad gradus prope duodeuiginti: et quamuis torreatur caloribus, interim afflatur vento, ſic frigido, vt afficiat corpora. bona incolæ ſunt omnes et integra valetudine: vita longiſsima: quam multi ad centeſimum vſque annum, nonnulli ad decimum præterea extendunt. venatui indulgent. ſolum goſſipij ferax, vt diximus de Tucumano: infecundum frumenti vinique: abundat maicio, et oryza, communi cibo: frumentum enim et vinum a Peruano regno accerſitur, longa difficilique vectura: ſed præſertim vinum, per abrupta ſcilicet viarum, et ardua montium: vt vnus plerumque cadus centenis aureis æſtimetur. hæc porro inopia vini eſt cauſa, cur noſtri in ſacrificando parce admodum de eo delibent: nec

plus

plus, quam includeretur in nucis putamine: quam et Deus aliquando, non ſine miraculo, ſuppleuit. fama enim eſt apud Paraguaos dimidium cadi non adeo magni per annos quindecim ſuffeciſse quinis ſacerdotibus quotidie facientibus: ſic vt eodem ſemper eſſet in ſtatu, et numquam imminui videretur. quod tamen vinum, ſimulatque ex Hiſpania nouum allatum eſt, confeſtim euanuit: vt appareret illud diuinitus contigiſſe. Sed redeamus, vnde diſceſsimus. Ferarum genera, ad Sanctæ Crucis, diuerſa ab Hiſpanienſibus permulta. in ijs Struthiocameli: quorum in nidis quadragena quinquagena oua reperiuntur, tantæ amplitudinis, vt in vnius diei victum ſatis ſint hominibus trecentis: nec deſunt viperæ, et peſtiferæ ſerpentes. redditum eſt proxime de Sonalijs, quæ ſuũ ipſarum aduentum tinnitu indicant, vt ne obſint imprudentibus. huc addendum, quod ſunt hebeti oculorum viſu, cis tertiam vlnam: natura prouidente, vt quo virus illis nocentius, minorem habeant facultatem ad nocendum. Flumina plurima, et auctu pluuialium imbriũ late ſtagnantia, vt vtram in partem fluant non facile dignoſcas. vrbs ipſa in accliui colle, ex quo et vniuerſæ prouinciæ nomen Sanctæ Crucis in monte. alluitur riuulo ab initio Quadrageſimæ ad diem vſque dominicæ Aſcenſionis piſculento. Hæc quoque, vt alia quædam, ſunt poſita in annalibus ſuperioribus: ſed ſi

quis vtroſque componat, illos comperiet præſentibus vel illuſtratos, vel correctos fuiſſe: certe nihil iteratum ſine cauſa. quod etiam admonui de Peruana prouincia ſcribere aggreſſus. mites ſunt incolæ natura, nec inhumani: ceterum, ſi irritentur, intractabiles. Itatini finitimi feroces, ceteros mortalium habent contemptui, ſolos Hiſpanos in pretio, a quibus ſe iactant oriundos: gens acceptarum iniuriarum apprime tenax, vt neſciant obliuiſci. Mulier quædam grauiſsimo affecta morbo, cum eſſet morti proxima, dolere vehementer cœpit, et conqueri: nec lacrimis parcebat: ſcitanti hero cauſam fletus (is erat Hiſpanus) quia, inquit, ante hos annos viginti a te colaphum accepi, cum eſſemus ad Paraguaos: eius iniuriæ dolor mihi adimit vitam. adeo verum eſt, quod vulgo iactatur, Qui facit iniuriam ſcribere in aqua, qui accipit in ære. Veſtium nullus vſus: feminæ tantum folijs, aut corticibus arborum aduelant corpus: vbi traditæ ſunt nuptum, minor cura tegumenti: cum tamen Hiſpanorum oppida adeuntur, ſumitur amictus in egreſſu deponendus: vbi ſæuit frigus, quod fit plerumque flante Auſtro, domi ſe continent, totos dies iuxta focum atque ignem agentes: exeuntes titionem geſtant manu, eumque identidem applicant ad ſtomachum, flatu ſubinde vim eius reuocantes, ne obtorpeat. comam non nutriunt, ſed diuerſo tonſu ſe a ceteris Peruanis diſtinguunt.

ſynci-

ſynciput alij, alij occipitium, quidam dexteram partem capitis, quidam ſiniſtram acutis conchis, ad eum modum quo nos nouaculis, abradunt. ſunt etiam, qui circumtonſo capite longiores capillos relinquunt in vertice, eumque morem, longa ſæculorum ſerie, a viro quodam, cui Paicumæ nomen, prædicant accepiſſe: eum beatum Thomam Hiſpani arbitrantur, a quo Indorum illud nomen non valde abhorret: et perhibent Paraguais euangelium annuntiaſſe: quin etiam quodam in lapide, ſi velis credere, pedum ipſius veſtigia monſtrantur. cataclyſmũ agnoſcunt, eoque duos, Paitacurum, et Paiamandren, vt nuſquam poſtea comparuerint, raptos fuiſſe. multæ ſingulis vxores, octo, decem, plures, quot quiſque poteſt alere. neptis auo nubit. ſunt et apud illos, quæ impediunt matrimonium contrahendum, et quæ dirimunt contractum: ſunt etiam, quæ iniuſtum licet, contractum non ſoluunt. ſancta coniunctionis vincula, et affinitatis. a ſatu concepto, dum edatur in lucem, ſecubant vir et vxor: carneque et piſcibus abſtinent, ſollemni ieiunio: vbi mulier peperit, ſi quidem marẽ, auus ſuperſtes, aut alius quiuis genere proximus, nomen imponit: arcum et ſagittas offert: ſi feminam, auia filo quodam alligat ſuras, non ſine cærimonia: pater interea, per dies aliquot, in lecto quieſcit: vbi ſurrexit, religio eſt animal ferire, vel leui ictu: quod is ad infantem pertineat:

comeſſe

comeſſe quodlibet dentatum, etiam piſcem: ad vxorem accedere, donec puer primis plantis veſtigia inſiſtat. vt puella exceſſit annum, parentes virum deſtinant (is eſt proximus a cognationis gradu ſecundo) ad illum adeunt, arcum, ſagittas, et ligonem afferunt, ſymbola ſponſalia: ſi accipiuntur, extemplo gener oppigneratus abducitur domum, vt procuret rem familiarem ſocerorũ, donec puella nubilis fiat. quod, ſi adoleſcentulus petere occupet, fert ſe ad ſoceros cum faſce lignorum: ſi placet ſponſus, vterque admittitur. nulla apud illos Deorum ſimulacra: dæmonem ſolum venerantur, ei primitias offerunt frugum meſsiſque: in venatu piſcatuque, quod ſtudium apud homines præcipuum, ei ſe addicunt totos, deuouentque: non tam ſpe boni adipiſcẽdi, quam mali arcendi cupidine. namque et eorum corporibus aſsidue nocet. Indus quidam ad alterum e noſtris ſacerdotibus acceſsit, verberibus male acceptus, liuenti corpore, et cruento: mox ſe a dæmone (Thoborococi appellant) ita tractatum, propter neglectas primitias dicentem, vox pariter et vita defecit. Sed id inter eos, qui Varai, ideſt bellicoſi, nominantur, frequentiſsimum: quod niſi oculis vidiſſent noſtri, ſuperararet fidem. Certis anni diebus lymphata mente in ſiluas aguntur, vaſtamque ſolitudinem, et inconcinnis ſaltibus, vocibuſque inconditis Candire inclamantes (de illo abſur

dam

dam neſcio quam texunt fabulam, iam inde ab eluuione orbis terrarum) per præruptos ſcopulos, denſaque arbuſta, per ardentes etiam prunas, et mortiferas ſerpentes incedunt, ſine vlla noxa. ex horum numero bacchantium, mulier quædam ad ſacerdotem deducta eſt: cum interrogaretur, an ſe dæmoni addixiſſet, diras reſpondit mihi ſum omnes imprecata: ergo iam pœnas luis ſacerdos inquit. tum ad eius collum cum arculam alligaſſet, in qua Sanctorum reliquiæ, furor reſedit. mox facta peccatorum confeſsione (erat enim Chriſtiana) penitus liberata eſt. Hæc porro narrabat, ſe, in illa inſania, neſcio cuius impulſu coactã, vt hac atque illac diſcurreret, et Cãdire nominatim ſæpius appellaret. Funerum ingens ſuperſtitio. Vt mulier viro tradita eſt, funebrem tunicam ſibi atque illi perpolite texit, in qua cadauera inſuenda. vbi deſperata eſt ægroti valetudo, propinqui plurimum arenæ congerunt, in qua deponatur ſemimortuum corpus: eum exiſtimant lectum eſſe quammolliſsimum: et aliquot ante mortem diebus moribundo adhuc viuenti et videnti ſepulcrum effodiunt: dein cadauer rubro nigroque illinunt, horrendum in modum: diuerſis plumis exornant: arcum, et ſagittas, reliquaque arma apponũt, quibus olim vſus in bello: non nihil etiam cibi, et potionis: cadum ex maicio in ſimilitudinem vini corrupto: anatem præterea, et gallinam, et poſt vltimam con-

clama-

clamationem, admonent vt feſtinet fugam, dū ſuppetit commeatus. coniunctiſsimus quiſque attonſo capite luctum oſtentat. octauo poſt die a præcone indicuntur exequiæ: et conueniunt frequentes. ſed pridie eius diei, vt habeatur hic mortuo honos, ſeſe vino ingurgitant. poſt annum inſtauratur funus eodem ritu, et repetitur ornatus comptuſque capitis, toto anno neglectus. Varai non adeo ſuperſtitioſi: nec tamen funerum negligentes. vt quis mortuus eſt, qui ſunt ex eodem genere, ad parietem ſolumve allidunt caput, corpus etiam ex alto præcipites agunt, quaſi quærentes mortē, per ſpeciem mæſtitiæ. mira diebus feſtis crudelitas: ſi quem in prœlio ceperunt, eum per illos dies nigro purpureoque colore depictum, adornatum plumis, repletum mero, quo lætior contemnat mortem, alligant arbori: is, vel ab ebrietate, vel a deſperatione, animo ſumpto (neque enim ſe redimi vlla ratione pateretur) contumelijs iaciendis in circumſtantes, probriſque fœdiſsimis, inſtigat vltro ad cædem, tum teſtulis coniectis in faciem carnificis, exprobrans virium infirmitatem, adeo incendit hominem, vt vix tandem, ligneum pugionem, duratum olim ad ignem, terque quaterque magna vi adigens in caput, medium diffindat: accurrunt ſtatim mulieres, et (quod horreant aures) recentes a morte artus, et adhuc tepidos auide deuorant, laniatu infando:

tanta eſt diaboli poteſtas in illas gentes. narrauit etiam Hiſpanus, magnæ vir auctoritatis, quiddam hanc ad rem mirifice pertinens. Noctu iter faciebat cum indigena viarum et ſermonum perito: ad radices montis audit non procul, duos verba facientes: quærit de comite, qui ſint: Indus (inquit ille) cum dæmone colloquitur. tum curioſitate humani ingenij, cum acceſsiſſent propius ſuſpenſo veſtigio, Indus ſolus repertus: et interrogatus vbi nam eſſet alter, qui loquebatur, diffugiſſe reſpondit ad eorum aduentum: tum orauit vt apud ſe requieſcerent illam noctem. domus erat longa pedibus centum, et late patens, vt aliæ in illo tractu, nullis diſtincta contignationibus, aut cubiculis; nullum in ea inſtrumentum, aut ſupellex, præter pharetram, et arcum, ac rete penſile pro lecto, cui, hiberno tempore, ſubſternunt prunas ad rigorem frigorum molliendum. Cognouit Hiſpanus huc ſæpe dæmonem ſe afferre: ergo cum clanculum in pariete IESVS NAZARENVS carbone ſcripſiſſet, audiuit iratum diabolum attuliſſe mortem domino, dein amplius eam domum ingredi non eſſe auſum. In hanc incultam et agreſtem ſiluam, qui e noſtris deſtinabantur, tertio idus Apriles, huius ſæculi anno octogeſimo ſeptimo Copachuncho (id eſt vltimum Peruani regni oppidum) cum comitatu militum viginti, caput caſſide, pectus thorace tecti, metu Ciriguanorum,

norum, cum calceis ex cannabe, quoniam magna pars itineris pedibus erat conficienda, capeſsiuerunt viam: diuinum numen in rebus etiam paruis ſæpius experti: nam iumento, quod portabat duos vini cados ad ſacrum faciendum, ex alto decidente, crebroque alliciendum illos ad ſaxa, neuter cadus offendit: aliorum omnium cadi effracti: tranſierunt ſacerdotes Vapaim flumen, vt aſſolet, rate, ideſt, connexis inuicem lignis ne diſſoluantur: ea homines Indi, ad corpus adalligatis funibus, inter natandum trahunt: biduum poſitum in ſarcinis vectoribuſque tranſportandis: in poſtrema vectione, ligna multa aqua madentia, ruptis vinculis ſubmerguntur: et traxiſſent ſecum fratrem noſtrum, ſocium ſacerdotum, ſi nare neſciſſet. perituris vtique ſacerdotibus, ſi hoc contigiſſet illis ignaris natandi. ceterum cum fluuij, plana, vt diximus, loca inundaſſent, per continuas aquas erat iter faciendum, maximo cum labore, et diſcrimine vitæ, vix equis enatantibus. Nuſquam diuina prouidentia defuit: nam cum pernoctare non liceret in aqua, ad iuſta interualla cuniculi (alti ſunt cubitis binis, lati bis ſenis paſsibus) quos in ſicco formicæ effoderant maiuſculæ, diuerſorium dabant: capiunt cuniculi ſinguli homines octonos denoſue. equi, ne pedibus intumeſcant, connexis lignis ſuperponuntur: nec deeſt pabulum, extantibus herbis in aqua, vltra bi-

palma-

palmarem magnitudinem: ipſo in itinere, e comitatu duo baptizati morti proximi: alter tribus, ad ſummum, guttis, quæ remanſerant in cucurbita; alioqui deſideraſſet baptiſmum. ex hac ianua cælũ ingreſsi. Hæc repetita ſunt, quoniam in ſuperioribus litteris paulo alter erant reſcripta. Ceterum quam gratus omnibus noſtrorum aduentus fuerit, vix æſtimari poteſt. Domus erat apparata et inſtructa, vt deſideraretur nihil, multa admodum reijcerentur. Pecuniæ hic apud Hiſpanos nullus vſus: res veterrimo ritu, permutantur: templum, domuſque ſumma ciuium lætitia a primis fundamentis ædificari cœpta, breuique ad tectum et faſtigium peruenere. Quarto die ab aduentu, is fuit feria ſecunda Pentecoſtes, alter e patribus ſermonem habuit ad populũ: nuſquam maior gratulatio: manabant omnibus præ gaudio lacrimæ, recordantibus, vigeſimo iam et ſexto anno, ex quo conditũ eſſet oppidũ, neminem auditum fuiſſe concionantem. Die ſacro ſanctiſsimæ Trinitati, cum ſacerdos vterque in eam gratiam ſacrificium Deo obtuliſſet, dederunt ſe linguis, quas vtiliſsimas videbant fore, addiſcendis: alter cum fratre ſocio Gorgotoquæ, qua finitimi plures vtuntur: Varaæ alter, quam Braſilia tota, Paraguaorumque et Itatinorum regio, alijque populi longe diſiunctiſsimi communem habent. igitur, Hiſpanis duobus vſi interpretibus et magiſtris, primæ rudimen-

rudimenta ediſcere, et ad compendiũ redigere cœperunt, in eiſque ita profecerunt, homines ætate licet prouecta, vt quartum intra menſem, Catechiſmum, rationem audiendi confeſsiones, reliquaque plebi neceſſaria primi reddiderint, magna omnium admiratione, et vtilitate plurimorum. mirabantur autem non magis Indi: qui eos arbitrabantur vel eſſe de cælo demiſſos, vel ex ſe genitos, cum pueri eſſent abductos in Peruanum regnum, nunc demum rediſſe: quam Hiſpani: quippe quattuor menſibus tenere linguam, quam ipſi viginti annorum ſpatio vix percepiſſent. Nec tamen interea noſtri, dum Indorũ ediſcebant linguam, nihil agebant. Hiſpanis confitentibus matutino operam dabant: reliquum tempus conſumebatur in diſcendo: dein cœperunt diebus feſtis Indorum agmen cogere ad templum: mulieres erant mille quingentæ: par virorum numerus. iam qui Chriſto nomen dederant, peccata confeſsione expiabant: quod numquam antea factum: ſic vt nemini, niſi ceteris auditis, iterum liceret accedere. explicabatur interea doctrina Chriſtiana: res et propter vtilitatem expetenda; et propter nouitatem iucunda. et nunc, interdiu, noctuque totam vrbem ſtrepentem audias Indorum virorum, mulierumque (quinquageni centenique Hiſpanis ſingulis deſeruiunt) alternis, vel coniunctis vocibus, Chriſtianam doctrinam concinentium.

tium. cum primum Gorgotoquen linguam ſibi comparauit alter e ſacerdotibus , in finitima oppidã excurrit : plurimorum , qui titulo tenus videbantur Chriſtiani , confeſsiones excepit. Ceterum ne cuipiam victus cauſa eſſet moleſtus, permutatione acuum, vitreorum globulorũ, et aliarum rerum ceteroqui parui pretij, quæ illic magno æſtimantur, cibum ſibi ſocioque parabat. eorũ qui baptiſmo abluti, vel con feſsione expiati ſunt, numerus iniri nõ potuit. ex illorũ numero non paucis, qui confecti morbo ſenioue, poſt baptiſmũ , eo ipſo die, ſiue poſtero deceſſere, baptiſmus ipſe prærogatiua fuit cæleſtis triumphi. ſed cũ tres operarij non ſatis eſſent ad tãtam meſsẽ, ſubmiſsi alij ſacerdotes duo, quorum alter Gorgotoquen, alter Chanen ſium linguam cœpit ediſcere. Ceterum vnus ad Itatinos profectus eſt. Eſt Itatinorum gens efferata et barbara, quippe finitima Touis humana carne veſcentibus, et iaciendarum ſagittarũ peritiſsima: vnus de eorum Cacicijs, vbi audiuit a noſtris profectionem parari, attulit munera, farinam aliaque cibaria gentis, vt illis veſci conſueſſent: orauitque maturarent proficiſci. Igitur ſacerdos vnus die ſacro naſcenti Virgini, cum ſocio ex Hiſpano patre, matre Itatina (neque enim licebat cum pluribus) magnum ſui deſiderium relinquens Indis Sanctæ Crucis , qui eius manum certatim exoſculantes, multis cum lacrimis , proſperum iter pre-

cabantur, diſceſsit. celebrabatur ipſius aduentus, quacumque iter faceret, ſollemni gratulatione, feſtiſque luſibus, ritu gentis, præcipuę pilæ. de hoc luſu, quoniam hactenus ignotus, breuiter aliquid dicendum. Pila eſt e cuiuſdam resina arboris compacta, leuis tamen, et quæ minimo pulſu magis reſiliat, quam folliculus quicumque: eam porro non manu impellunt, aut pede, ſed capite, et, ſi forte, cubito, mira dantium accipientiumque dexteritate: et eſt magnum victori præmium. Nec deerant viri principes, qui ſe ſuaque oppida permitterent Patris voluntati. Vbi venit in caput prouinciæ, ſacroſanctam Crucem incredibili omnium lætitia erexit, et locum quemdam conſtituit, quo conuenirent, quaſi ad templum. incredibile eſt, quantum ſit vniuerſi populi in ſacerdotem noſtrum obſequium, et obſeruantia: ergo imbuuntur præceptis Chriſtianis, nonnulli etiam ſalutari aqua abluuntur. tam felicibus initijs vnum præcipue obſtat, quod ſingulis vxoribus non ſunt contenti: et quo nobilior quiſque, aut opulentior, eo pluribus nuptijs ambiuntur. in hoc præcipue eſt laborandum. ſed fuerunt aliqui rectum iter ingreſsi: inter hos, Cacicius, quem paulo ante dicebamus attuliſſe munera, Chriſtianas partes ita amplexus eſt, vt iam verbo caſtiget dubitantes, et tardiores inſtiget exemplo. Perſolui anno priori. Venio ad poſteriorem. Quattuor igitur ſacerdotes in prouincia

Sanctæ

Sanctæ Crucis,frater vnus.Pro ſe quiſque ſuam linguã edidicere:at frater duas: et ſinguli partiti ſibi prouinciam, regiones obeunt, moribus, ſermone, lociſque maxime diſtantes: de quibus ſeparatim dicendum. Vnus ad Varaos conceſsit: de quibus etſi poſuimus ſupra non nulla, hæc alia adijcientur. habitant in locis proceritate arborum opaciſsimis: earum pleræque feraces fructuum, Peruano regno, nedum Europæ,ignotorum. póma ſunt infra magnitudinem pyri, nigra extrinſecus, intrinſecus alba:naſcuntur in ipſo trunco arboris,non ſub folijs: ita denſa,vt corticem operiant. Inter Varaos nullum honoris diſcrimen, aut dignitatis: ſe ipſos inter ſe æquales eſſe iudicant, finitimis ſuperiores:quos etiam bello captos, opere exercent,eoſque ita contemnunt, vt rogarint adoleſcentulum comitem ſacerdotis, an et Varai in ſuſcipiendis Chriſtianis ſacris, eadem aqua,qua reliqui, eodemque ritu eſſent abluendi. at noſter, vt vel ab ipſis primordijs Chriſtianæ humilitati aſſueſcant, ſeruos, vel primos, vel cum dominis promiſcuos baptizabat. et prouiderat dæmon futurum aliquando, vt hi ad Chriſtum conuerterentur: propterea inſitum erat in omnium mentibus, rei, quæ ſub aſpectum non caderet, nullam eſſe fidem habendam.ita muſſabat apud eos, non minus diuina fides, quam humana, vel eluſa, vel eiecta. Nunc quoniam gens eſt nimia animi,et

ſemper alta cupientis, ſuis ipſi artibus edocti ſunt, vt ſtandum putent promiſsis, nec minus glorioſum eſſe, pro fide cõtra perſidiam, quam pro obedientia pugnare contra cõtumaciam. Sacerdotem noſtrum in magna veneratione habent, contra quam facere ſoleant erga ſuos Cacicios, et Curacas: quibus videlicet raro obtemperant, niſi fortibus in bello, aut iubentibus iucunda. nihil igitur non agunt ex ipſius arbitrio: quo etiam præcipiente creati ſunt magiſtratus, Hiſpanorum more ſuis virgis inſignes. Non minimum etiam amorem erga eum declararunt hoc facto. Erat ei aliquo eundum, per viam impeditam ac difficilem: hoc vbi acceptum eſt vulgo, mulieres, pueri, ſenes, ſponte egreſsi, certatim deiectis arboribus, amotiſque impedimentis, purgarunt iter, feceruntque vt ſuperari facile poſſet, ad nouem vſque milliaria, quo intendebat. Scytharum more nullam habent ciuitatem: domos facile mutant, et ſupellectilem: etſi hæc illis omnino curta, aut, præter arcum: et ſagittas, grandeſque cucurbitas, quas minutis quibuſdam vtenſilibus ſtipãt, potius nulla. plures vxores habere decorum eſt: a reliquis abſtinent. filiorum exortum parentes trimeſtri ieiunio excipiunt, certaque ciborum abſtinentia. trimi pueri, aut quadrimi depelluntur a lacte, tum eos ad omne crudelitatis genus exercent: bello captos illis permittunt ſagittis petendos: qui certo ictu ex-

poſitum

poſitum interfecerit, laude et præmio, inſuper etiam interfecti cognomine honoratur. hi luſus infantium: hæc iuuenum æmulatio: quin et viri ipſi in magno nominum ambitu ſunt, pro numero ſcilicet occiſorum in bello. e crudelitate enim ac cæde genti nobilitas: ad eamque excitari ſe volunt impoſitis nominibus canũ, tigridum, aliarumque ferarum animantium. Lunam naſcentem ingenti clamore, totiuſque corporis iactatione venerantur. nulli dij. nullæ deorum imagines. nulla formula, aut conſuetudo iurisiurandi. religio nulla. ſeptem dæmonum genera et nomina agnoſcunt: eos vt colant, malorum, quæ ab ipſis inferuntur, mortis etiam, timor facit. ſunt tamen ſuperſtitionibus maxime dediti. ineuntibus bellum, ſi ſagittæ deciderint, ſi lectorum penſilium funes rumpantur, pro omine habetur: venefici inſpectas ſagittas reijciunt, probantue: infelices illæ, et, ſi retineantur, hæſuræ in corpore retinentis: hæ certæ, et numquam fruſtra mittendæ. ceterum cum ſe Luna curuare cœpit in cornua, vt colliment, brachia: vt celerius currant, ſuras et femora, plurifariam incidunt: mox puluere e combuſtis corporibus ferarum rapacium, aut velocium aſpergunt: eodem modo mulieres, brachia, faciem, crura, quæ poſtea cuiuſdam arboris ſucco (cœruleus eſt, atque omnino indelebilis) ornatus cauſa perfundunt. Sed hæc eorum conſuetudo affligendi

punctiunculis corpora, communis eſt, non ſecus, atque apud nos, flagellis verberandi. hac formidine pueri coercentur: pueri inquam, nam in adoleſcentes, et natu grandiores nulla animaduerſio. furti crimen apud eos ex omni memoria ignotũ: et ideo magis vitatur, quam ſi vetitum eſſet. nihil venale: ſi quis veſte, aut re alia careat, donatur ab his, qui abundant. mortuorum corpora contingere nefas: eos tamen lacrimis et lamentatione proſequuntur. mulieres, continuantes diem ac noctem eiulando, ieiunæ cadaueri adſunt, tunduntque parietem capite, et pauimentum crebra corporis volutatione verrunt. mitius viri ſe gerunt, oſtendunt defuncti ſagittas, arcum, et clauam (claua enim magni ponderis in prœlijs Varai vtuntur) non ſine eius laudum, et rerum præclare geſtarum in bello commemoratione. totos dies octo peraguntur hæc triſtitiæ imitamenta: noctes interea ducuntur inſomnes: aut a ſomno reditur ad vociferationem et luctum. quibus autem lacrimis et conclamationibus proſequuntur funera, ijſdem etiam excipiunt carorum aduentum: vt iam noſtri, ab effuſa illa comploratione, vel deceſsiſſe aliquem cognoſcant, vel acceſsiſſe. Atque hæc de moribus Varaorum, qui nunc paulatim, Deo annuente, mitigari, et ad humanitatem traduci cœpere: et apparent in eis aliqua veſtigia bonitatis. Repertus vnus, qui in illa plures vxores

res habendi licentia, vitam caſtam et cælibem duxerat, iam annum quinquageſimum: interrogatus, vllos ne ſtimulos ſenſiſſet, igneſue libidinis: plurimos, reſpondit, et acerrimos: ſed omnes illos, quod admoneretur animus, vni Deo, cui placeret caſtimonia, morem gerendum eſſe, ſuperatos: is nunc ablutus baptiſmo in ſuſcepto vitæ propoſito libentius perſeuerat. baptizati præterea mille ducenti: ad vnius matrimonij iugum ſe contulere amplius ſexcenti: in hoc potiſsimum, apud has gentes, cardo vertitur rei Chriſtianæ. hoc magis, ſempiternus Dei hoſtis hominumque, infenſus: per veneficos, ſuos illos miniſtros, ſparſit hunc ſermonem, quotquot tacti eſſent aquis piacularibus, breui morituros: et impoſitum eſt nonnullis: ſed improbitatem mendacij rei euentus refellit. duo pueri, qui iam inſtructi, ſe a baptiſmo metu mortis ſubduxerant, repentino obiere: e baptizatis, adhuc quidem, pauci, nec niſi ætate extrema. Ceterum in viginti etiam regiones diuerſas Chriſtianæ religionis fama peruaſit: exque ijs, Cacicij et Curacæ nobiles, nonageſimum et centeſimum annum agentes, ſecumque ducentes, et filios, et nepotes, ad Patrem acceſſerunt, vt omnes baptizarentur. Inter eos quidam diuinitus, vt res ipſa docuit, permotus, ita magno elatoque animo diſſeruit, dictitans veniſſe tempus depellendæ caliginis, quæ tamdiu illas terras obſederat, grateſque

agens Deo auctori luminis, a quo reſeruatus eſſet in illud tempus, vt ardorem excitaret, innouaretque in mentibus audientium: et impleret homines certioris ſpei, quam quantam ſubijcere potuiſſet, aut ſenis auctoritas, aut oratio eloquentis. ſolent enim viri principes, albente cælo, vel inumbrante veſpera, adhortationem adhibere ad certamen inituros. Sub idem tempus Ciriguani montani, qui Tucumanum regnum diuidunt a prouincia Sanctæ Crucis, et vtrinque intercludunt aditum, alioqui feritate terribiles, ad vrbem Sanctæ Crucis Legatos de pace miſerunt: cum quibus ſacerdos, qui ſui colligendi, ſolet peregrinam expeditionem vrbana commoratione diſtinguere, cum per eos dies rediſſet, ita locutus eſt, Varaa lingua, quam etiam callent Ciriguani, vt incenderentur animi, et inuiti oculi lacrimis vndarent. excipiens orationem eius, vnus e Legatis, qui reliquos ætate anteibat, Quid mirum, inquit, ſi nos ab omni humanitate alieni habemur, et ſumus, ad quorum aures numquam talia verba acciderunt, animos penetrantia, nec niſi relictis aculeis recedentia? Probarunt vehementer laudaruntque noſtram inſtruendorum Chriſtianorum rationem, ornatum templi, omnemque Eccleſiaſticam diſciplinam. quod ſi pax et concordia firmetur, certum eſt ſacerdoti, ad illos erudiendos proficiſci, quod et ipſi vehementer expetiere: turpe

rati,

rati, atque adeo conqueſti, præferri ſibi mancipia (Indos a Sancta Cruce intelligunt) ea in re, quæ ſit omnium vtiliſsima. Hæc de illo ſacerdote qui edidicit Varaorum linguam. alter enim, qui Gorgotoquenſibus operam nauat, adiunxit Chriſto quingentos viginti:a vaga libidine abduxit plures ſexcentis: hi partem in vrbe, partem verſantur in oppidulis adiacentibus:magnopere capiuntur veritate, et ſuauitate Chriſtianæ doctrinæ: inter matutinum tēpus ac pomeridianum, ſeptenæ octonæue horæ in illo opere collocantur:plus negotij eſt in eis dimittendis, quam accerſendis:ſponte veniūt, nec diſcedunt iniuſsi. Sed in oppido quodam, quintodecimo ab vrbe milliario,dum ſacerdos neophytos perinde ac cathecumenos ad pietatem erudit,affertur repente Ciriguanos aduentare cum armis, ſeruitutem et mortem minitantes.et erāt,qui dicerent vidiſſe. terror hinc in omnibus,pauorque,et latior ex incerto.igitur,vt in extrema deſperatione,inopiaque conſilij, conclamantibus, ſacerdos perſuadet imbelli turbæ, vt fuga latebriſque ſeſe eripiat periculo: viris,quibus ætas apta ad bellandum,vt magno animo excipiant veniētes: cetera enim Deo exercituum curæ fore. ipſe adhortator erat in medio agmine finem rei expectans. ſed breui quieuit et rumor,et terror: præmiſsique exploratores, omnia tuta nuntiarunt. creditum eſt falſam ſpeciem obiectam aſtu dæmonis.

nis, rem Chriſtianam, vt ſolet, obturbare cupientis. Tertius ſacerdos procurat Chanenſium vtilitatem, eorum lingua, quam nullo fere magiſtro præeunte aggreſſus, excoluit, Indorum duorum tantum vſus adiumento, et fratris noſtri ingenio, qui, ſuper Chiuichicocenſem, Chanenſi etiam operam dabat: quæ cum ita eſſent, vterque ſeorſum ab altero luſtrabant terras, circuitu millium triginta: etſi diebus feſtis, quoniam non aberant procul, in vnum locum conueniebant. tractabat vterque hominum genus manſuetum, et ſimplex, mira morum facilitate, ad amicitias colendas æque et contrahendas natum, et neſcium iraſci: ſi quid rapiatur, etiam ſi vxor, quandoque redditur, ignoſcunt: et ſæpe ex iniuria gratia eſt orta. pollent memoria, præcipue pueri, ſic vt e ſingulis oppidis aliqui doceantur, qui deinde cum redeunt ad ſuos, ſubdocent capita legis Chriſtianæ: vt minimum noſtris, cum eo veniunt, ſit laborandum. at indigenæ venerari noſtros, vt patres: colere, vt magiſtros: amare vt ex ſe ortos. quippe qui teneant eamdem linguam. et obſeruatum ſane eſt, nullum maius eſſe vinculum amicitiarum, quam linguam communem. miſerantur ſuperiora tempora, quibus ignorabantur tanta bona: gratulantur præſentium felicitati. ex vtraque gente adhæſerunt Chriſto, bis mille centum. e quibus nonnulli, eodem die, aut ſequenti, obierunt. totidem fere matrimonio

nio

nio coniuncti, illegitimas nuptias repudiarũt. et e Chanenſibus qnidem multi olim, a ſacerdote quodam, vt in tranſcurſu, fuerant tincti: ſed ignaros rituum ac religionis, nec Ethnicos diceres, nec penitus Chriſtianos. ita magnus labor poſitus in eis docendis primum, deinde audiendis: quamquam, ob temporis anguſtias, auditi præcipue, qui a morte propius abeſſent. ad vnius mulierculæ confeſsionem euocatus pater in quoddam oppidum, reperit miſeram inſutam in tunicam funeream, in conſpectu ſepulturæ apertæ, more gentis, a mortua nihil differentem. extrahi iubet, imponit capiti particulam ſanctiſsimæ Crucis, ſtatimque illa, recepta poteſtate vocis, et mentis, culparum maculas confeſsione abſterſit. Supereſt quartus ſacerdos, qui dum linguam Gorgotoquen addiſcat, commoratur in vrbe, Hiſpanorum vtilitatibus intentus. eorum animos frequentiſsimis concionibus ad pietatem excitat, et criminibus purgat. elucet inter ceteros, Prætoris in Deum religio, in noſtros beneuolentia: templum conſtruitur, pro condicione loci, ſatis magnificum, et amplum. ciues materiam conuectant, Prætor operas abſoluit. ſpes eſt, intra quattuor mẽſes, perductum iri ad culmen. data opera eſt Prætore adhibito, vt ſuburbani paſtores et agricolæ, qui rarius ad vrbem cõmeantes ſacrificio miſſæ rarius intererant, ſingulis diebus feſtis rem diuinam audire cogantur. a diffic ili

princi-

principio tã ſalutare conſiliũ proſperos habuit euentus. Veniunt perpetuo agmine, ad ſacroſancta myſteria, et ediſcunt præcepta Chriſtiana: numerati ſunt interdum bis mille ſexcenti. ex eo, inertia omnis et laſciuia ruſticorum expulſa. ſed Prætoris ipſius humanitas iterum me rapit. Erga nos animum habet vere paternum: ita præſentes fouet, abſentes tuetur. is litteras ad Patrem Prouincialem dedit officij plenas: noſtrorum induſtriam commendãs, qua decem hominum millia ad Chriſtum dicit eſſe conuerſa: nouamque lucem, et quaſi mentem eorum aduentu additam eſſe ciuitati: orat eumdem, hortetur Patres, et pro ſua auctoritate admoneat, vt laxent ſibi, pro re bene geſta, aliquid laboris, et interdum, quantocumque ſpatio temporis, ſimul animos corporaque remittant, ne opprimantur vires mole negotiorum. Humanum conſilium, ſed prope neceſſarium: quietem enim excludit magnitudo vtilitatis perſpectæ. Idem Pater, vt Gorgotoque lingua ſe ſuccinxit, ad varia loca egreſſus, auxit Chriſtianum gregem capitibus ducentis ſeptuaginta ſex: aliaque multa geſsit e re Chriſtiana, quæ, quia communia ſunt, et contrita iam vſu, relinquãtur. Vix credi poteſt, quam latum campum hæc prouincia aperuerit Societati. nam, vt regiones alias prætercam, Prætori, ad Timbuos eundum eſt, cum manu numeroſa: atque vrbs ædificanda ex Proregis præſcripto. id ſi

fiat

fiat, vt ſpes eſt, plures e noſtris mittendi ſunt, aut ingens animarum ſeges deſerenda. Sed hac de re quoniam in ſuperioribus repoſui, (etſi pro Timbuorum, fuit tranſcriptum Timbiorum, facili lapſu) plura addere ſuperſedebo.

PROVINCIA LVSITANIA.

OBTINVIT LVSITANIA duos ſupra quingentos. In Oliſiponenſi Domo ſexaginta: in Collegio quinquaginta vnum: in Conimbricenſi eiuſque Reſidentijs centum octoginta: in Eborenſi centum et duodeuiginti: in Portuenſi quattuordecim: in Bracarenſi viginti ſeptem: in Brigantino viginti: in Funcalenſi quot in Portuenſi: in Angrenſi duodecim: in Angolana Reſidentia ſex. Finem vitæ fecerunt duodecim. Initium Societatis vigintiduo.

DOMVS PROFESSA, et Collegium Oliſiponenſe.

EMIGRARVNT E VITA Pater Leo Henricus perfectæ vir ſanctitatis: et Gaſpar Andradius adiutor operum, qui ſemper ſui muneris officijque rationem cum laude perſoluit. intenta in proximos noſtrorum induſtria nihil remittit. Pœnitentiæ Euchariſtiæque ſacramenta, vt cum maxime, vſurpantur. Conciones frequentiſsimæ: nec modici fructus. in oppido quodam celebri odium ſane pertinax concionatoris admonito ceſsit:

dexteræ

dexteræ inter viros primarios datæ: id quod oppidanis gaudium attulit, et exemplum. Feminæ ſex ad honeſtatem a turpitudine retulere ſeſe. duæ mox in matrimonio ſtabili collocatæ. ex eodem cæno viri quattuor emerſerunt: quorum vnus ſibi vxorique melius conſulens, pellicem exegit, datis in eius nuptias aureis centum viginti. ad hæc, periclitanti multarum pudicitiæ mature ſubuentum. mulier virilis animi, opulentum virum ac nobilem, qui eam pellicere conabatur, voce firmata monitiſque noſtrorum, et, quod caput eſt, ſacramentis, quæ frequentabat interim, infregit. Domus quædam erat in vrbe, vbi flagitijs virtutum ſtudia prætendebantur: ea vt omnino clauderetur auctores noſtri fuere. Mulieres tres e mortis periculo ereptæ. res per fraudem et dolum partæ, dominis redditæ, cum magno pondere argenti. Quidam, bona omnia ſibi lege ablata noſtris deprecantibus recepit. Duo falſum teſtimonium dixerant, ex quo vnus exturbabatur bonis: id vti reuocarent, noſtri effecerunt. obuiam itum vni, dum per ementita regia diplomata in ipſius regis famulatum, alioſque honores, falſis perſcriptionibus intendit. in vſum egentium dati aurei ducenti quinquaginta: mendici veſtiti nouem. Sed et mulieribus quibuſdam, quas inopia prohibebat egredi domo, collata veſtis ſtatui conſentanea. Sex et viginti educti e car-

cere,

cere, in quo tenebantur, ære alieno vel ſoluto, vel remiſſo. Vincti prandio ſemel atque iterum recreati. hoc exemplo ciuis adductus haud paruum frumenti numerum obtulit in pios vſus. in noſtri etiam templi ornatum acceſſere aurei mille. ardor inſtitutionis Chriſtianæ nihil reſedit: foueturque multorum liberalitate, vt tributis muneribus permulti alliciantur. Sacrarum quæſtionum Præſes et ſupremi Senatus, ad moriendum vicinus acciri iuſsit e noſtris ſacerdotem vnum, cui pectoris arcana committeret: de cuius ſententia, bona ſua, quæ amplius viginti millibus æſtimabantur, Sodalitio Miſericordiæ, optimo exemplo, legauit. Ceterum, quamdiu Angli hanc vrbem obſederunt ingenti auſu, noſtris non defuit occaſio faciendi multa patiendique pro Christo: ſed huius rei ſeriem exquiſitius narrare ſuperuacuum puto. Hæc de Domo Profeſſa.

IN COLLEGIO EXCESSIT e corpore Franciſcus Martinus, per annos fere viginti duos in domeſticis muneribus virtutis exercitæ. Diſcipulorum numerus aſcendit ad duo millia: nec minor eſt numero profectus. multi ſæculo valere iuſſo in varias religioſorum familias ſe abdidere. Nobiliſsimi quique, præſertim e Congregatione Parthenia, cum ſuis præceptoribus, diebus feriatis fere omnibus, ægrotos in noſodochijs omni officiorum genere proſequuntur. exeunte Maio

propter

propter tumultum Anglicanum gymnaſium ſiluit. Collegium continens vrbi diuino prorſus beneficio non intutum fuit. in eo pater Rector duoque fratres remanſerunt belli exitum expectantes: ceteri cum domeſtico inſtrumento vel intra vrbem ſe receperunt, vel ad tres Reſidentias Collegij: cum interea in vicina oppida excurrerent cum fructu non pœnitendo. Sub Anglorum diſceſſum redierunt in Collegium, et redintegrata ſtudia litterarum ſexto Idus Quintiles.

CONIMBRICENSE COLLEGIUM cum Reſidentijs.

DIEM CLAVSIT VITAE extremum Pater Antonius Paciecus poſt annum duodetrigeſimum Societatis: magnum dedit viuens in pertractandis animis exemplum dexteritatis, et decumbens in perferendis doloribus, patientiæ: mortui deinde fratres duo: ſedecim recepti ..res domeſticæ externæque feliciter ceſſere. Gymnaſium perquam celebre e florente iuuentute vberrimos fructus tulit. ſplendidiſsimus quiſque ſpiritualibus meditationibus exerciti. ad ergaſtulum aliquando a noſtris comportata cibaria, conciones crebro habitæ, miſsique qui commodarent aurem confitentibus: horum hortatu vincti ad perlegendos libros pios, et ad explorandam quo-

tidiano examine conſcientiam adducti. Ciuibus etiam opera præbita non indiligens. Duo, quorum alter alteri alapam impegerat, iras inter ſe gerebant longe acerbiſsimas: quod niſi interceſsiſſet ſacerdos, de percuſſoris vita fortuniſque actum foret. Cuidam ſacramento Euchariſtiæ interdixerat Parochus, quod conceptum animo odium numquam euomeret: hoc cum ipſe negligeret dulcedine ſperatæ vltionis, admonitus tandem a noſtris, agnouit quam peſtiferum venenum in pectore gereret: reſipuitque. In vicina oppida pagoſque excurſum lucro animarum. Quoddam oppidum ardebat odijs capitalibus: ea reſtinxit vnus e noſtris: ſimulque libellos, qui circumferebantur, omneque inſtrumentum inimicitiarum incendit. aliquorum cædes inhibitæ. Vnus cum efferato animo inimicum peteret, diſtrictum iam gladium, vaginæ, ſeſeque humanitati reddidit, occurſu noſtrorum. Oppidi cuiuſdam Præfectus cum litigantium cauſas componere per ſe ipſe non poſſet, diem vnum, quaſi vadatis omnibus, dicit, quo ſe iudicio ſiſterent: cum conueniſſent, ducit eodem agmine ad vnum e noſtris concionantem: quos noſter deinde, non ſecus atque arbiter et diſceptator, diremptis litibus æquos ab ſe placatoſque dimiſit. alibi a turpi lucro mulierculæ aliquot abductæ, et traditæ maritis iuſta cum dote. Aduentu et Quadra-

geſima ſacerdotes duo ad Algarbienſes deſtinati, operam ac ſtudium proximorum commodis impenderunt. Itum quoque Viſeum, et Mirandam, Epiſcoporum rogatu, quibus in vrbibus noſtri partes omnes ſui muneris explerunt. At Mirandæ grauis contentio inter duo Sodalitia de principatu inceſſus, bono publico, ſedata. Lamecum (nomen eſt vrbis) alius profectus, mirifice Clero, quem erudijt de officijs Chriſtianis, populoque vtilis fuit. prætereo rapinas cædeſque repreſſas: reſtitutiones factas: petitam ab inimicis veniam, dextraſque porrectas: aliaque, quæ enumerare longum eſſet. vnum aut alterum breuiter exponam. Duæ quorumdam domus aleatoribus patebant dies ac noctes, nec claudebantur turpitudini: ex quo magna pecunia veniebat ad dominos, cum infamia, atque animarum offenſa: illum e noſtris vnus perpulit vi concionis, hunc ſua præſentia, vt diſturbarent pernicioſos cœtus, et clauderent ſcelerum officinam. Ad Conimbricenſe Collegium pertinent Reſidentiæ duæ, Canalenſis, et Sancti Felicis: in hac ſex ſocij, in illa quattuor commorantur: neque eorum officium deſideratum eſt in procuranda ſalute animarum.

COLLEGIVM EBORENSE.

DECESSERVNT Pater Rodericus de Brito, et Conſaluus Aloiſius frater: quorum hic amplius triginta, quindecim ille annos in Societate egerant. ſex acceſſerunt: in his vnus e flore nobilitatis Luſitanæ, quem non ita poſt germanus frater Comes Vidiguerius cum inuiſere velle dixiſſet, et a violento peiora metuerentur, (neque ſuſpicio erat fruſtra) abnuere noſtri: hic ille a rege præſidium petit: ſeponitur tyro Oliſipone apud Algarbiorum Epiſcopum, libero ad eum aditu cõſanguineis: de quibus omnibus, Deo duce, egit triumphũ. adiuuet, is, qui incepit, militem ſuum. Fruſtra enim ſunt humana conſilia, niſi cæleſtibus auxilijs perducuntur ad exitum. eorum qui nos audiunt numerus pertinuit ad mille trecentos: quorum profectum, vt cetera taceam, declarant illa. Vnus ſolicitanti feminæ obſtitit peregregie, cauſatus id genus flagitij non cadere in eum, qui eſſet diſcipulus Societatis; quin et flexit animum mulieris, et ad confeſsionem adduxit. relicto alter pallio in manibus impudicæ, Ioſephi ſimile, in re non diſsimili, renouauit exemplum. tales ſunt alumni noſtrorum diſciplinæ: e quibus etiam, vt anno proximo, extiterunt in cuſtodias publicas officia caritatis. Vnus enim eorum, ex omnibus religioſorum

familijs

familijs ſacerdotes accerſijt, qui audirent confitentes, tum ſerico periſtromate locum inſtruxit, et Euchariſtia rite atque ordine imperti-ta, ſplendidum epulum omnibus dedit: ipſe ceterique ſtudioſi famulantium ritu ad menſam miniſtrarunt: dignum exemplum quod et poſteri imitentur. E Catechiſmo maximi fructus: id cum ignotum non eſſet Archiepiſcopo, Curionibus omnibus Parochiſque mandauit, pro ſuggeſtu admonerent curiales, eoſque quos haberent ſubiectos, ſuos vt quiſque liberos famuloſque mitteret ad nos in præceptis diuinæ legis erudiendos: ſimulque adiecit quiddam de noſtrorum laudibus, vt eorum, credo, docendi diligentia, et aliorum diſcendi cupiditas incitarentur. Idem cum certos viros mitteret, qui inuiſerent tractum ſuæ diœceſeos, ſacerdotem noſtrum cum ſocio illis adiunxit: quo inconſulto nihil agebant. Hic noſtri e re multorum aliqua fecerunt. illam ditionem grauis vrebat annona: Archiepiſcopus per litteras edoctus grandi pecunia ſubleuandam curauit. mox alios per diuerſa loca deſtinat, vt ſimili liberalitate reliqui fruerentur. quamquam nos quoque tanti viri humanitas attigit. mille enim aurei tributi, Collegij ianuæ, quod vnum maxime deſiderabatur, extruendæ. Atque hæc quidem eiuſmodi ſunt. Nunc enim vocat me iucunda memoria Patris Emmanuelis Fernandi: qui cum primus e Societate in agro Tranſtagano di-

no diuini verbi ſemen ſpargit, publicæque peccatorum licentiæ euellendæ maxime intentus, pellices amicaſque ab amatoribus impudiciſque hominibus multas abigit, id iniquo animo ferentibus, ab eorum vno, cuius nomen numquam promere voluit, in itinere vulneribus multis affectus, Eboræque defunctus eſt. nullum id temporis noſtrum Eboræ templum: itaque in templo maximo conditus. hoc tandem anno tranſportatum corpus in ædem noſtram. cum monumentum aperitur, ingens mortalium turba conuolat. eorum hæc vna vox, ad Sanctum, ad Sanctum: et apparuere indumenta trigeſimum poſt annum incorrupta: cum vero pro ſe quiſque, vt religio ſuadebat, aliquid concerperet, veſtis minutatim diſcerpta: vix impetrari a multis potuit, vt ab oſsibus manus abſtinerent: incluſum in arcam, quam fieri mãdarat Archiepiſcopus, aliquamdiu manet in ſacello: poſt triduum ſollemni pompa omnibus Parœcijs indicta, effertur, componiturque in noſtro templo, magna veneratione totius ciuitatis.

PORTVENSE ET BRACARENSE Collegia.

IN PORTVENSI conciones aſsiduæ, magna frequentia auditorum. Chriſtiana doctrina in noſtro templo vrbaniſque Parœcijs

ſtrenue

ſtrenue peræque et vtiliter tradita. Profuit noſtrorum opera aduerſus ſacrilegia, inceſtus, adulteria, aliaque non minus fœda peccatorum portenta. quidam, ne patraret homicidium quod animo agitabat, vnius e noſtris oratione deterritus. Lamecum, rogante Epiſcopo, ierunt Quadrageſima ſacerdotes duo: quo fructu, argumento ſunt, impunitas, et iurandi licentia coercita: abortiones impeditæ: reconciliationes gratiarum factæ. Tres viri nobiles aliorum famam iniuſte lacerantes criminationem cum laude commutarunt. Quidam, qui tertium iam annum gerebat cum altero inimicitias, nuperque in templum venerat cum duobus ſclopis minuſculis, vt interficeret inimicum, audita concione, abiectis armis, depoſuit et nocendi voluntatem. turpem concubinarum conſuetudinem deſeruere nonnulli. Hæc propter, atque alia, Lamecenſi Epiſcopo ciuitatique iniecta cupiditas, vt Collegium efflagitent.

IN BRACARENSI, homo Turca præcultus ad baptiſmum. huius conuerſio, quoniam admirabile aliquid habuit, breuiſsime attingetur. Famulus is erat viri nobilis, a quo, diu licet multumque admonitus, adduci numquam potuerat, vt Chriſtianus eſſet: accidit aliquando, vt ægrotanti domino temporarium altare cum effigie Deiparæ in cubiculo eſſet locandum: hanc iuſſus Turca reuincit læta fron-

de, herbiſque virentibus: poſtridie mane he-
rum adit, precaturque, vt ſuſcipere liceat reli-
gionem Chriſtianam: rogatus vnde nouum pe-
ctori conſilium: hæc, inquit, imago (ea cum di-
ceret, venerabatur ſanctiſsimam Virginem) af-
fuit mihi per totam noctem, blandiſque admo-
nitis, vt fierem Chriſtianus præcepit. et verum
fuiſſe viſum, docuere lacrimæ, quæ confudere
ſe cum ſalutaribus aquis, cum acciperet bap-
tiſmum. Archiepiſcopus, vt primum ad Colle-
gium venit, exceptus eſt in templo appoſitis
verſibus, et oratione Latina: paucis poſt diebus,
ſimili apparatu diſcipuli in gymnaſium ſalu-
tauere venientem. is non ſolum laudator eſt no
ſtri ordinis, ſed etiam fautor. Sermo de Do-
mini exceſſu haberi publice hoc anno cœptus
eſt, ex præſcripto Patris Generalis, prima luce:
et magna tamen, vt alias ſemper, cum habere-
tur de nocte, comploratio orta. Quidam, quem
exacerbauerat iniuria, vt dictitaret eius ob-
liuiſci non poſſe, mitigatus a noſtris veniam
petenti remiſit. Virginis magnæ matris Soda-
litium it melius in dies. Feria tertia Penteco-
ſtes, ſacrorum Antiſtes, qui et ipſe eſt ex eadem
Sodalitate, ſodales ceteros Chriſti corpore im
pertiuit: veſperi recitatus in gymnaſio dialo-
gus: ſub hæc, Sanctorum tutelarium nomina,
vt cuique obtigerant, data: ſingulorumque
laudes verſu celebratatæ: auxit ea res venera-
tionem Sodalitij, et numerum admitti cupien-
tium.

tium. Chaues (oppidum eſt) poſtulante Catharina Principe iere noſtri Aduentu Quadrageſimaque, magno cum fructu proximorum.

BRIGANTINVM, ET FVNCALENſE Collegia.

HOC ETIAM ANNO Brigantinorum ſedatæ diſcordiæ, quarum, vt difficilis eſt exitus veterum iurgiorum, non alius finis, quam multorum pernicies, oſtendebatur. quidam ſacerdotem externum, perfoſſo clamculum pariete, haud dubie domi oppreſsiſſet, niſi ſacerdos e noſtris talia molientem ab iniquo conatu repuliſſet. Confeſsionem vnus reformidabat non ſecus, ac mortem: quod perſuaſum haberet, quicquid admiſiſſet, de ſcripto recitatum iri a Parocho, cunctis audientibus, in templo. ſed is noſtrorum hortatu a tam praua opinione atque obſtinatione animi diſceſsit. Mulier, cui ob paupertatem, menſes iam octo, in carcere male erat, vt emitteretur a iudice eſt impetratum. Nexi quoque recreati aliquoties cibo, et ad vnum abſoluti omnes per ſacramentum Pœnitentiæ de criminibus totius vitæ.

IN FVNCALENSI non defuerunt ſocij muneribus Societatis: in multorum pacificationem ſe ſe vtiliter interpoſuere. Vir honeſtiſsimus in foro fuſte pulſatus, vltionem ſeptennio

ptennio cogitarat: is deinde, re a noſtris ita compoſita, reum ſupplicem ad templi limen humaniter complexus in gratiam recepit, mirantium exemplo. Quemdam, qui vxoris et liberorum oblitus alio conceſſerat, ad ſuſtentandam familiam rerum omnium indigam ſacerdos e noſtris reuocauit. Femina vi concionum commota ingenium excogitauit, quo ſe eriperet ex amatoris conſuetudine: cum venientem domum conſpexiſſet e feneſtra præcelſa, Aut ne ingredere, inquit, aut ego me hinc præcipitabo. ſubſtitit ille admirabundus, retroque reflectens gradum, noluit experiri quid poſſet femina, vbi ad meliora animum flexiſſet. Publica incluſis cuſtodia delata ſunt a noſtris Scholaſticis ſubſidia vitæ. Acta huius Collegij claudet res miraculo haud eximenda. Duo ſeruitia puteum in Collegio præaltum perpurgabant: in medio opere puteus ruit, laboranteſque in præceps trahit, atque operit. concurritur repente ad egerendam terram, lapideſque: inque eo labore, cum alijs ſuccederent alij, conſumuntur horæ tres et triginta: noſtris interim vota ſacraque facientibus: tum demum reperti putearij incolumes: nec caruit ea res admiratione, vniuerſa ciuitate ad ſpectaculum confluente.

AN-

ANGRENSE COLLEGIVM, ET Sedes Angolana.

IN ANGRENSI cenſentur diſcipuli tercentum ſeptuaginta: nec parum proficiunt: ij præſertim, vt aſſolet, qui de Sodalitio Deiparæ. gratum fuit diploma Pontificium, quo concedebatur ſodalibus peccatorum remiſsio, a Patre Generali tranſmiſſum: et propoſitum ſollemni gratulatione. fuit pompa inſignis. effigies auguſtiſsimæ Virginis explicatum diploma manu habentis circumferebatur, thenſa exornatiſsima, humeris ſodalium. Varijs locis viſebantur actores dramatum, cantoreſque audiebantur: Dei matris laudibus celebrabatur via omnis, et perſonabat. dum tandem longo circuitu reditum eſt in noſtrum templum veſtitum ſplendide, ornatumque, vbi Epiſcopus ante ſacrificauerat: et intererat militum cœtus: de quorum pietate quoniam ſcriptum eſt annuis proximis, nihil repeto: quod ea audire, non neceſſarium eſt ſcientibus, et dicere, breuitatem profitenti minus opportunum. Ceterum doctrina pueris de more explicata: itum ſæpe in valetudinarium excipiendis confeſsionibus ægrotorum: adnitentibus noſtris educti e compedibus nonnulli: multorum item inopia ſubleuata. Vni, quem Epiſcopus ter anathemate perculerat, ad abſolutionem impetrata venia, et remiſsio culpæ.

ANGOLAE nihil noſtris antiquius, quam vt et Luſitanos in officio contineant, et indigenas rite baptizatos ad Chriſti ouile perducant. Oloanda, inſula, quæ regi Aluaro paret, tota fere Chriſtianam religionem complexa eſt. Vniuerſam terram noſtri perluſtrant, magnamque vim infantium atque adultorum aggregant Chriſto. Sobæ aliquot (nomen hoc Dynaſtarum eſt) cum ex inſidijs Luſitanos conarentur opprimere, in ſcelere deprehenſi, et capite damnati ſunt. ex his vnus, cum quo prius noſtri egerant de baptiſmo, mori voluit Chriſtianus, ad eamdemque mentem vnum e coniuratis adduxit. ita optabile ambobus fuit, vel cum aliqua moleſtia mori terris, vt tam feliciter cælo renaſcerentur.

PROVINCIA BRASILIA.

BRASILIAM HABVERE ſocij centum ſeptuaginta. e quibus in Baicenſi Collegio ſeptuaginta: in Sedibus duabus huic Collegio adnexis, Ilheorum nēpe, Portuſque ſecuri, decem: in ſingulis quini. In Collegio Fluminis Ianuarij triginta duo: in Præfectura Spiritus Sancti tredecim: In Reſidentia Sanctorum, ſeptem: ſex Piratiningæ: quattuor in Tucumana expeditione: In Collegio denique Pernambucenſi viginti duo. Debitum naturæ ſoluit vnus. Societatis vinculo ſe obſtrinxere ſeptem.

BAICENSE COLLEGIVM.

TENTATI MVLTI varijs morbis, ſanatique: ereptus vnus Pater Antonius Gomeſius, vir propter egregias animi dotes, vel admiratione, vel amore dignißimus. Pater Chriſtophorus Gouea Viſitator, rebus omnibus prudenter conſtitutis, in Luſitaniam reuertens, tantum nobis in diſceſſu doloris rependit, quantum in acceſſu attulerat voluptatis. Scholaſticorum, vel e remotis locis diſciplinæ cauſa concurrentium, magna iuxta frequen-

tia,

tia,et induſtria. Sodalitium ſub patrocinio vocabuloque vndecim millium virginum iam pridem inſtitutum,nũc, cum Deiparæ Virginis Sodalitio coniunctum, proſperum curſum habet, præſide et gubernatore,illuſtriſsimo Epiſcopo huius ciuitatis : cuius ope natalis virginum concelebratus apparatu magnifico : ſuauitate videlicet concentus in veſpertinis precibus peruigilij, et elegantia dramatis populo dati. Primo veſpere,ſubluſtri adhuc cælo,pulcherrimum capeſsiuere oculi ſpectaculum:vbi e loco edito,plurimi orbes verſatiles,ſulphureo ſuffecti puluere, et ad emicandum inſtructi, concepto igne, innumeros radios cum fulgore ſtrepituque vibrauere , ſcintillis coruſcantibus , vt ſtelliferum labentem imbrem imitari viderentur . erat etiam iucundum videre coronatam turrim lychnis ardentibus , admirabili artificio:cum interea campana æra , tinnitu : et fragore , bellica: repercuſſum inter , et flammantem aera, afficerent viſum auditumque horrifica voluptate . ipſo autem die celebrata ſupplicatio , magno ciuium apparatu , concurſuque exterorum , quos pompæ ludorumque fama conciuerat. communicauit virorum mulierumque multitudo quamplurima: Aſſueri deinde hiſtoria a noſtris diſcipulis pulcherrime acta.poſtridie facta decurſio equitum in ſimulacrum belli:et victores præmio donati.nihil omnino defuit in ea celebritate,ſiue ad gaudium

plebis,

plebis, ſiue ad ſollemnia religionis. Ceterum, præterquam quod in noſtro templo: concionati etiam noſtri, rogante Epiſcopo, frequenter in æde maxima; et alijs in locis magno cum fructu. ad bonam frugem conuerſi permulti. aliquorum inimicitiæ, atque inter hos, duorum, propter exortam litem iuridicialem, compoſitæ. Nobilis quidam vir, falſam ſuſpicionem quam de famulo habebat, illius ſanguine: acceptam alter iniuriam, veneno, diluere moliebantur: vterque, de conſilio noſtrorum, ab iniquo conatu depulſus. Filius ſe ab obſequio patris ſeduxerat: et par coniugum ab amore matrimonij: perſuaſit vnus e noſtris, illi, vt ad imperium paternum: his, vt ad communem torum reuerterentur. Vir ita exarſerat in vxorem fugitiuam, vt collegiſſet iam pecuniam e venditione omnium rerum, quam ſecum auferret, illa interfecta: ſed hunc quoque, immutator cordium Deus, oratione noſtrorum, ad ſaniora conuertit. Perditæ aliquot mulieres a turpi vita retractæ. aliæ conſtantes aduerſus minas, et impudicorum promiſsa, opera noſtrorum, ne idem ſæpius experirentur, in tuto locatæ. Et excitata erat tempeſtas tæterrimo ſpiritu diaboli, ſed eam lenis afflatus diuini numinis ſedauit. Mancipia, quæ ex Angolano regno huc aduehuntur, materiam noſtris afferunt, ſiue in egeſtate, neceſſaria: ſiue in ægrotatione, remedia: ſiue in morte, ſolatia

ſolatia conferentibus , exercendæ caritatis: et ex ijs aliquot baptizantur . eadem opera fructuſque conſtitit in tribus Indorum pagis, quibus noſtri præficiuntur . in his mira paganorum pietas , quam , et ſedula purgatione animi , et atroci corporis diuerberatione teſtantur . Confeſsiones tum in his pagis, tum domi exceptæ , duodecim millium ſummam efficiunt : e quibus centum generales. Communicantium numerus , nouem millium et octingentorum circiter fuit . Centum quadraginta quattuor ſalutari aqua tincti : ex his vnus ſexagenarius (qui e remotis regionibus acceſſerat , hoc vnum expoſcens) ſtatim a baptiſmo animam reddidit . Quinquaginta legitimo matrimonio iuncti. Pari fructu per Luſitanorum villas duo perpetuo excurrũt.in his, quo melius Aethiopũ mentes formentur Chriſtianis moribus , Sodalitates aliquot inſtitutæ Chriſtianæ doctrinæ : ita ſpecie honoris vtilitas inuecta . hac in excurſione confeſsi octies mille:de omni vita centum viginti : ad ſacram ſynaxim venere bis mille ducenti . centum et octoginta ſacro fonte renati . ſollemnibus nuptijs copulati centum et viginti . atroces diſcordiæ ſedatæ. In vxoris cædem virum quemdam ob incerta ſuſpicionum furor armauerat , ſed noſtrorum induſtria exarmauit ferocem animum , ſuſpicionibus euaneſcentibus. actum cum altero , vt in publico veniam pete-

ret a

ret a Parocho, quem allatrauerat: idque exemplum vtile compluribus fuit. nonnulli abſtracti a conſuetudine impuræ libidinis pudicitiam adamarunt.

SEDES ILHEORVM ET PORTVS Securi.

CONCIONVM FRVCTVS domi foriſque in Ilheorum ſede non ſpernendus. Quidam, alienato a nobis animo, ac diſſentire manifeſti, noſtrorum beneficio mitigati: atque in his vnum cum orta tempeſtas rapuiſſet in prærupta, eripuere naufragio: dein cum e labore incidiſſet in morbum, aſsidue inuiſerunt. Hauſtum alter venenum erroris, quod auide retinebat, eiecit. Neque vero cum Luſitanis datur opera, Indi neglecti: edocti in noſtro templo initiamentis fidei, et concionibus inſtructi: ſubleuati ægrotantes, et ſacchurariæ operæ interuiſæ, adiutæque, difficultatem itineris vtilitatis dulcedine compenſante. eorum, qui apud nos ſacramenta obeunt, frequentiam teſtantur a peccatis abſoluti homines quater mille, refecti epulo cæleſti bis mille quingenti, baptizati ſexaginta quinque, iugati ritu Chriſtiano duo et quadraginta.

EXTITERVNT in Portu Securo diſcordiarum aliquot tempeſtates turbulentæ, ſed poſuerunt, diuino fauente numine, interuentu

noſtrorum. Duarum familiarum animos ira ita incenderat, vt extrema vellent: adoleſcens vulneratus ab altero iniuriã reponere meditabatur, iamque erat oppidum in duas factiones diſtractum: viri aliquot propinquitate coniuncti, iracundiam cognationi præferentes, odio erant et genere iuxta cogniti: innocenti capitale crimen intentatum erat ab aduerſario: epiſtolis editis matronarum illuſtrium fama periclitabatur: his omnibus incommodis, ſacerdotes noſtri, Dei prouiſu, ſalubriter ac dextere occurrere. Crebræ hinc miſsiones tum ad Luſitanorum pagos, quorum vnus caret Parocho, tum etiam ad Indorum, propinquos. Indi autem in tutiorem locum adducti, ne paterent ita crebris barbarorum incurſibus: commodiore etiam templo et capaciore inſtructo: et iam laudabilem agunt vitam procul omni tumultu.

MISSIO AD PARAGVAOS.

DE PARAGVAIS ſcripſimus aliquid annalibus annorum octogeſimi ſexti ſeptimique coniunctorũ, in Prouincia Peruana. eſt Prouincia e Peruanis regionibus maxime remota, ad oram amnis, quem Argenteum vocãt, multis Hiſpanorũ vrbibus oppidiſque nobilita ta. Huc accerſiti duo, ex eorũ numero qui annis ſuperioribus in Tucumanum miſsi. Cupide excepti præparatum ſolum inuenere ſeminibus

diuini verbi late ſpargendis. cum enim ea gens careret ſacerdote, nullumque fere haberet vſum ſacramentorum, eorum aduentu melior forma extitit regionis: ex itinere, vno tantum in loco cum eſſent, audiere confitētes mille tre centos, omnes fere de criminibus vitæ totius: ducentos abluere baptiſmo: centum, et quod excurrit, ſanctitate matrimonij illigarunt: pacificarunt multos: ad vitæ ſanctimoniam adduxere nonnullos: quæ ſingula enumerare, longum magis, quam neceſſarium eſſet. in his tantis occupationibus, quamdiu in hac vrbe commorati ſunt, ſingulis diebus vicatim ducentes agmen puerorum, docuere capita religionis. Atque hæc geſta in aditu prouinciæ. quæ huc retulimus, quoniam ſuſcepta expeditione iuſſu Patris Leonardi Arminij, e Collegio Baicenſi, ad idem Collegium videbantur pertinere.

COLLEGIVM FLVMINIS Ianuarij.

EXPIARVNT animas ſacramento pœnitentiæ hominum ſex millia quingenti: confirmarunt Angelorum pane quattuor millia. multorum diſcordia mutata eſt cum pace, impudicitia cum amore caſtitatis. Diſcipulorum magnus in litteris et pietate profectus: in afficiendo verberibus corpore, affligendoque cilicijs, duriſsimi: diligentes in aliorum vitijs

coercendis: declaratum id maxime, cum vnius precibus, et lacrimis, cuidam viro, quæ inſederat peccandi libido, extorta eſt. Indorum pagi noſtrorum curæ commiſsi laborarunt hoc anno grauiſsimis morbis: et quamquam complures opportune ſubleuati, aliqui non euaſerunt: ex horum numero Martinus Alfonſus, vir bello egregius, rerumque fortiter in hac ora geſtarum memoria inſignis. is auctor olim vt hac vrbe Luſitani alijſque oppidis potirentur: eas ob res illũ rex Sebaſtianus inter equites Chriſti ordinis adlegit. nec pietatis erat ſtudio minore: atque id tum tota vita, ex quo renatus eſt fonte baptiſmatis, tum maxime in ſupremis declarauit. in his pagis aperuere peccata homines bis mille: excepti cæleſti conuiuio circiter mille: celebratæ nuptiæ quinquagenæ: Chriſtianæ religioni dedere nomina centum: mulier in his annorum ſexaginta, quæ cum morbo grauis e longinquis terris huc veniſſet cauſa baptiſmi, eodem momento conualuit. hoc miraculo confirmati multi, alij erecti.

PRAEFECTVRA SPIRITVS Sancti.

IN SEX PAGOS deſcripti noſtri Indis operam nauant, cum tamen Luſitanis non deſint: et conſtitit fructus laboris. Aduentus Patris Prouincialis magna affecit homines voluptate:

luptate: obuiam iuere venienti, domumque deduxere admirabili frequentia: et dati ludi indices lætitiæ, more ſollemni. Hac fama commoti Indorum principes, vel e remotis oris, accedunt rogantes mitti aliquem ad initiandum populos fidei Chriſtianæ. Hos inter Tuiupabucus, vir acumine ingenij, et firmitate iudicij, vel cum Luſitanis cõferendus, excitatus colloquijs Patris Prouincialis, ex continente innumeram prope Indorum multitudinem ad nos adduxit Chriſtianis præceptis imbuendam. Ceterum in his pagis baptizatorum ſumma ad trecētos, confitentium ad tria millia, communicantium ad mille quingentos, matrimonia contrahentium ad nonaginta, aſcendit. magnam porro venerationem habet aqua luſtralis: et apparet effectus, mirabilem in modum. eius videlicet aſperſu morbi effugantur. Puer carens ambulandi vſu ab Inda matre brachijs aſportatus ad templum, ablutuſque vnda ſalutari, ſuis pedibus domum, ſine cuiuſquam adminiculo, reuertit. eodem remedio vnus atque alter e leti faucibus erepti. Ipſi porro oppidani beatum Mauritium Thebæorum Ducem inuictum, cuius reliquiæ in templo noſtro, præcipue colunt, et eius patrocinium perſæpe experiuntur. Ponetur vnum atque alterum exemplum. Celebrabatur natalis dies Mauritij, maximo mortalium concurſu, plauſuque: cum interea puer intentus ſpectaculo ex editiſsimo loco in aceruum lapidum

 ſubie-

ſubiectorum cadit: aduertit caſus quampluriſmos: et accurrere contritum exiſtimantes: is autem inuentus eſt ſanus atque incolumis, Mauritij nomen appellans; neque vlla apparuit offenſa. manſit tantum rubicunda lineola, index beneficij, cinguli in morem totum corpus amplexa. Ex oppidi primoribus vir quidam, ingraueſcente morbo, deferri ſe iuſsit ad templum, vnde, pie oſculatus cum eſſet reliquias, recepta ſanitate diſceſsit. illud etiam auget religionem. quod numquam proferūtur reliquiæ (proferuntur autem non raro) ad euocandam pluuiam, quin imber largiſsimus exundet. Has ob res creſcit in dies Sodalitium ſancto Mauritio ſacrum, et cultus ſacramentorum. quod vel maxime indicant abſoluti peccatorū nexu quinquies mille, termille diuina dape refecti.

RESIDENTIAE SANCTORVM et Piratiningæ.

DE RESIDENTIA Sanctorum hæc pauca ponentur, omiſsis communibus. Puellæ aliquot, quarum pudicitiæ obſtabat inopia, in loco tuto atque honeſto locatæ. Reconciliati nonnulli, tanto maiore gaudio, quanto præſentius periculum metuebatur.

PIRATININGAE trecenti facti Chriſtiani: in Reſidentia Sanctorum ſeptuaginta: his duobus in locis, per confeſsionem, peccatorum

torum ſarcinam depoſuere octomillia: quinque millia percepere Euchariſtiam: iure connubiorum conſociati viginti.

COLLEGIVM PERNAMBVCENSE.

IN MAGNO mercatorum cômeatu propter opportunitatem portus, magna vis confitentium, et ineuntium pacta de conſilio noſtrorum: ſua etiam vtilitas concioni, quam et teſtatur pax inter diſcordes ſæpe côſtituta: inter naucleros ſeditio, quæ cruentam cædem minitabatur, compreſſa. e ſorde libidinum ad legitimas nuptias traducti amplius quadraginta. Qui in noſtro templo Chriſti corpore paſti, fere quattuor millia cenſentur. Ex his vnus cæleſti cibo confirmatus, ea patientia, et conſtantia, oblatam ſæpe certaminis occaſionem reiecit, vt eodem die in ſuam amicitiam aduerſarios retraxerit. Et agnoſcunt oppidani induſtriam noſtrorum, eamque ſibi gratam eſſe oſtendunt liberali eleemosyna. tria millia aureorum hoc anno contributa: quam ob rem proceſsit Collegij exædificatio: excitataque turris campanaria cum horologio, noſtris externorumque vſibus maxime opportuno. Nec vero in oppido ſe tenuit noſtrorum labor: foras etiam ſe intendit. igitur, in excurſionibus Chriſto per baptiſmum aggregarunt ducentos: acceperunt confeſsionum duo millia: ſponſalia

ſalia conſtituere inter paria octoginta: diſcor-des ſedarunt: atque in his vnum eo prouectum amentiæ, vt ſacro in loco ſacerdotem interfi-cere meditaretur. De Paraiba oppido, anniuerſariaque ad ipſum profectione, ſcriptum eſt annis ſuperioribus. Eius Præfectus, perſpecto noſtrorum fructu, de Collegio fundando cœpit cogitare, eaque de re certiorem vult facere regẽ: neque diffidit de eius liberalitate, et aſſenſu. eodem ſtudio Dux alterius loci duas obtulit paraſangas, in quibus excolendis elaborare poſsimus. At noſtri, propter paucitatem operarum, ſpe dilata in poſterum, vnius tantum pagi procuratione ſuſcepta, extruxere templum, in quo occupatam operam habent, non ſine fructu. Præfecti erga nos beneuolẽtiam declarauit pax inter ipſum et Hiſpanorum Ducem conſtituta: ita ciuitas olim in duas diuiſa partes cum periculo mutuæ cædis, concordia coaluit. ex quo permagna confeſsionis et communionis ſacramenta frequentantium copia veluti ab radice pullulauit.

DEFVNCTVS SVM, Deo adiuuante, Patres Fratreſque ſumma obſeruantia colendi, hoc etiam anno, vt alijs proxime duobus, opere difficili atque arduo conſcribendorum annalium. auxit difficultatem eius dilatio, cui, confectionem aliarum rerum, quæ in dies ſuperueniunt, cum iuſſus anteuerto, iniecimus manum eo fere tempore, quo oportuit eſſe perfectum.

fectum. ita vno menſe octo Prouincias e longioribus abſolui, nec ſatis integra valetudine. neque erat fortaſſe feſtinato opus:ſed verebar, ne procraſtinatione moram curamve arguente, apud ignaros cauſæ, viderer aut citius potuiſſe ſcribere,quam vellem,autmelius voluiſſe quam poſſem. Ceterum, ſi alterutrius inopiæ fama ſubeunda eſt, malim profiteri deeſſe mihi facultatem ſcribendi, quam vobis, quibus debeo, iuxta Deum,omnia, gratificandi voluntatem. Valete. E Collegio Romano Decimo Calendas Decembres. M. D. XCI.

Omnium in Chriſto ſeruus

Franciſcus Bencius.

JCB
18-300

Pag.	Verſ.	Errata	Corrige.
4	7	infamiæ	infantiæ
24	29	cepimus	cœpimus
67	23	proijciens	iaciens
78	9	præſctiberet	præſcriberet
87	16	carcerem	carcere
88	18	Accademia	Academia
104	19	Aliquod	Aliquid
144	27	grau ſſime	grauiſſimo
	28	morbor	morbo
160	27	repentibus	repetentibus
165	22	proboſum	probroſum
181	8	tragædia	tragœdia
197	16	quam	quem
204	10	occidunt	decidunt
205	1	ſic	hic
211	1	auerſam	accerſam
233	2	Prædoſito	Præpoſito
234	22	meditationubus	meditationibus
235	14	MONASTERIENSI	MONASTERIENSE
252	18	Pharmaceutica	Pharmaceutria
266	27	diſenteriæ	dyſenteriæ
271	19	corpore	corpori
329	15	e ſupplicatione	e triplici concione
332	8	erecti	erepti
422	4	conicij	conijci

Sunt et alia, præcipue in interpunctis. ſed ea animaduerti facile, et inter legendum corrigi poſſunt.

F W G

4A591
J58a